Digitized by Google

201
5 H
6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1346.

HISTORIAE
ACADEMIAE PISANAE
VOLUMEN III.

A U C T O R E

ANGELO FABRONIO

EJUSDEM ACADEMIAE CURATORE.

PISIS)(MDCCXCV.

EXCUDEBAT CAJETANUS MUGNAINIUS

IN AEDIBUS AUCTORIS.

Digitized by Google

ACADEMIAE PISANAE

HISTORIA.

MIhi profiteri auso perscripturum omnia quae ad Academiam Pisanam pertinent, praefari liceat, crescere pene opus, quod prima quaeque & vetustiora perficiendo minui videbatur. Porro si quid praeterieris earum rerum, quae propter vetustatem ab memoria nostra sunt remotae, dabit tibi justam excusationem vel majorum negligentia in parandis conservandisque monumentis, vel temporum injuria in iis delendis, prope ut id concedendum atque ignoscendum videatur. Verum si recentiora tractanda susceperis, omnes quidem a te, ut a teste, narratarum rerum veritatem exigent, nec facile ferrent Lectores si diligenter omnia non quaesieris, & minima quaeque haud persecutus fueris. Praeter quam quod, cum disciplinae pene omnes inveteratam quamdam barbariem exuerint, nec quaeratur amplius quid consentaneum sit Aristotelis sententiis, ad quem, tamquam ad saxum, omnes veteres Doctores adhaerescebant, ita recentiorum laudare debemus industriam, ut omnes intelligant per quos gradus ad novae sapientiae genus ii pervenerint. Quid autem praetermissum est a Ferdinando II. ejusque fratre Leopoldo ad rerum divinarum humanarumque, & caussarum, quibus hae res continentur, scientiam assequendam? Hi insita atque usitata Mediceae familiae consuetudine honores & praemia offerebant omnis praeclarae artis cultoribus, hi subsidia parabant amplissima ad detegenda naturae arcana, hi non solum vo-

Digitized by Google

ce, & liberali gratificandi voluntate, sed etiam exemplo ad magna tentanda atque suscipienda omnes invitabant, cum studium philosophiae a prima adolescentia cultum & semper auctum, Galilejo & Torricellio auctoribus, ita revocassent, ut fructus tulerint uberrimos (1). Quemadmodum vero iis, qui solem intuentur, evenit, ut si quo postea oculos convertant, diu eamdem orbis perlucidi imaginem videre sibi videantur, ita qui semel in illorum Principum conspectum colloquiumque veniebant, tanta luce perfundebantur, ut cum ab Etruria recedebant, in eorum mentibus haererent, quae viderant, quibusque maxime incitabantur atque inflammabantur ad gloriam. Accidit id, ut unum atque alterum exempli gratia commemorem, Dominico Cassinio, accidit Geminiano Montanario, per quos viros astronomia & physica plurimum sane promotae fuerunt. Vel in remissionibus tantorum Principum adesse sapientia videbatur: provocabant reddebantque sermones eruditionis plenos, neque eorum familiaribus congressionibus atque conviviis, ut de Trajano praedicavit Plinius, aut peregrinae superstitionis mysteria, aut obscena petulantia oberrabat, sed benigna invitatio, & liberales joci, & studiorum honor. Quod autem praeclare a sapientibus dicitur, tales esse populi mores, quales sunt administrantium rem publicam, apparebat adeo in Etruria, ac praesertim Florentiae (2) ut cum multi inter se glo-

(1) *Multi quidem mentionem fecerunt earum rerum, quas in tractandis physicis studiis per se invenerunt Ferdinandus & Leopoldus* Medicei, *sed de iis praesertim egit Jo. Targionius Tozzettius eo in opere, quod inscribitur;* Notizie degli aggrandimenti delle Scienze fisiche accaduti in Toscana ec.

(2) *Paulus Bocconius (*Museo di fisica p. 267.*) haec ait;* ho osservato che in Fiorenza ad imitazione del loro Regnante, tutti i nobili sono affezionati agli studj della Fisica ed esperienze. *Quot nobilitate principes tum numerabantur Galilei disciputi! Quantorum domus quasi Lycea patebant cunctis adolescentibus, qui optimis studiis novare operam volebant! Magnum in eo se facere quaestum putabant, si pro sua quisque parte Principum exemplum aemularentur.*

riosa aemulatione contenderent de egregiis operibus edendis, omnes putarent nihil posse jam ad illius gloriam accedere. Quale autem studium horum Principum arbitrabimur fuisse in Academiam Pisanam, quae parens, altrix, sedes dicitur doctrinae omnis, quaeque vetustate ac gloria tanta est, ut fractum olim ac debilitatum Pisanorum nomen ejus laude niti videatur? Haec & alia hujusmodi multa, quae testantur immortalia & divina Mediceorum Principum in rem litterariam universam merita, cum narrare mihi proposuerim, vereor sane ne illorum gloriam imminuam, & ne minus appareat quantum ex una Etruria ad ceteras nationes lucis dimanaverit. O diem illum funestum universae provinciae nostraeque praesertim Academiae, quo Ferdinandus extinctus est! Verba, vultus, vestes tantam jacturam testabantur, Doctores pullati per annum incessere, illud elogium saepe in ore habentes:

Principum Sapientissimus, Sapientum Princeps,
Fovit artes & auxit, adamavit scientias & habuit.

Neque hac in re expertes gloriae fuisse putaveris, qui illi successit, Cosmum III. & hujus filium Jo. Gastonem, cum quo extinctum fuit Mediceorum regnum: nam quamvis hi plurimum majorum gloriae concedere debuerint, quod cum ille superstitiosa sollicitudine torqueretur, hic autem bonam ingenii indolem ignavia ac luxurie contaminasset, ad aliorum voluntatem & sensum multa gerere solerent, nunquam tamen se inexorabiles praebuerunt in solvendis praemiis litterarum cultoribus, & in tuenda dignitate Lycei Pisani. Fuit aliquando tempus, quo Cosmus dedecus sui imperii duxit esse philosophiae doctores, qui illa flagitia Democriti, sive etiam ante Leucippi renovasse videbantur, cum asperis & laevibus, & hamatis uncinatisque corporibus concreta omnia esse affirmarent. Haec sentientibus mala minitatus est, & consilio Jesuitarum jussit revocari Pisas studia Peripateticae philosophiae, quae obsolevisse videbantur, quamvis in

iis majores nostri firmissimum Christianae religioni praesidium posuissent. Haec Cosmi severitas, seu potius stultitia effecit, ut nobiliores magistri praecepta recentioris philosophiae occultius traderent, dolerentque, quod cum haec longe lateque flueret, & ortum suum in Etruria habuisset, pene ab Academia Pisana exulare cogeretur. Recordabantur etiam illa felicissima tempora, quibus Galilejanorum nomen sic viguit, ut nulli alii docti viderentur, quibusque ipsi Principes a rerum publicarum cura mentes suas ad naturae observationem traducebant. Docte & copiose quaedam de his rebus disseruit Paschasius Jannettius, quae valuerunt ad concitandum in illum Jesuitarum odium. Suam dignitatem retinuit Philosophia sub Jo. Gastone, quod omni suspicione violatae religionis ejus cultores liberasset. Nec sane ignorabat quot ab ea suppeditarentur hominum vitae utilitates, & Scholastici impedimenta attulissent nobiliorum omnium fere artium incremento. Didicerat haec ab optimis praeceptoribus, sed nisi faces admovisses, minime excitasses indormientem ad praeclarum aliquid agendum, quasi velle posset magis, quam facere. Dum viguit prima aetas, ingenii laude floruit, major Principe visus, dum privatus fuit, & omnium consensu dignus imperio habitus, nisi imperasset. Nihil vero Etruriae infelicius accidere potuit interitu Mediceae familiae, a qua tot in illam bona atque ornamenta dimanarunt, ut nulla fuerit non in Italia modo, sed & in universa Europa provincia illustrior. Quacunque circumspexeris, immortalia hujus familiae monumenta invenies. Sed ut propius ad Academiam Pisanam accedam, quibus viris in illa gubernanda ii, de quibus mentionem fecimus, Principes usi fuerint nunc dicam, deinceps qui fuerint in ea magistri, & siquid aliud erit memoria dignum exponam.

CAPUT I.

De Curatoribus Academiae

MOrtuo an. 1636. Hieronymo a Sommaja, de quo superiori in volumine diximus, quoque nec meliorem, nec laudabiliorem Gymnasiarcham habuit Academia, in illius locum suffectus fuit Gherardus Saracinius Sallustii Filius. Noli putare quemquam ad Praefecturam Academiae gerendam venisse nulla cognitione rerum, nulla scientia ornatum. Etsi fuerint nonnulli fallacissimis disciplinis eruditi, ne a saeculi moribus degenerarent, qui nil probare videbantur, nisi quod Scholasticum, & Peripateticum redoleret, in iis tamen satis praesidii fuisse putabis ad rem litterariam splendide atque honeste, prout ferebant tempora, tuendam. Quod grassante peste in universa pene Etruria plures e Pisanis Doctoribus ab Academia recesserant, nonnulli etiam languidiores facti fuerant, plurimum adlaborandum fuit Sommajae & Saracinio, ut res Academica pristinum in statum restitueretur. In hac administranda summa erat cum Curatorum, tum eorum, quos Auditores Studii vocitabant, auctoritas, neque cuiquam fas erat quidquam contra eorum voluntatem aut facere, aut tentare. Vel illis Saturnalium dierum & Paschatum feriis nemini Doctorum ad brevissimum tempus ab Academia abesse sine eorum venia licebat, quam quod semel iterumque minime petiisset Alexander Marchettus in Pontormanum suum concedens, non solum statim redire coactus est, sed etiam severissimis verbis Principis nomine reprehensus. Nihil dico de deserto officio: lex enim erat, aut caussa, aut mulcta esto. Optimi testes ingnaviae & diligentiae cujusvis Doctoris erant famuli Academiae (Bidellos appellamus) in quorum ephemeridibus, quae

Digitized by Google

in Mediceo tabulario aſservantur; invenire licet quid quoque die tum a doctoribus ipsis, tum a discipulis actum fuerit. Rectores illi Collegiorum si depravari mala disciplina mores sivissent adolescentium, neque gravi, continenti, severa formassent, aut loco movebantur, aut praesenti poena coercebantur. Poenam temeritatis tulit Innocentius Masinius, quo nullus tum clarior erat jurisconsultus, quod in Curatorem inofficiosus fuisset. Dicet hic fortasse aliquis, nimis diligenter me inquirere in ea, quae sunt memoriae prodita, studio efferendi veteres institutiones: sit hoc sane, nam cum historia testis sit temporum, magistra vitae, nuntia vetustatis, facile ex ea quilibet judicare poterit tempora cum temporibus comparando, quid sit illud, in quo a majoribus nostris vincimur, & in quo illos superamus. Omnes quidem homines natura libertati student, & severiori disciplina neglecta, facile ex libertate licentia, qua nulla res est in bene constituta civitate societateque hominum perniciosior, existit. Sed ad Saracinium redeo, ad quem deligendum multa moverunt magni Ducis animum. Natus is erat Senis, educatus autem sic, ut decebat summae spei, summaeque nobilitatis adolescentem. Quare non solum Latinas Italicasque litteras bene calluisse, sed & commode saltasse, praeclare fidibus cecinisse, & affabre pinxisse dicitur. Romae dum fuit in aula Alexandri Ursinii Cardinalis, frequentans maxime Humoristarum Academiam famam ingenii ac doctrinae conciliare sibi studuit, quod aditum ad honores consequendos daturum sperabat. Sed cum evanescere omnes spes suas vidisset, quanquam ad breve tempus Ravennae cum potestate fuerit, in Etruriam rediit, gloriosius & tranquillius ducens Musis, quam hominibus servire. Lucem quidem ingenii, & consilii sui cunctis civibus porrexit, & quod valebat in arte dicendi, sic celebrabat litteratorum hominum coetus, ut per eum plurimum splendoris obtinerent. Paucae, quod sciam (1), extant

(1) *Testis est quidem Ugurgerius*: Pompe Senesi Tit. XVIII. p. 600. che vedonsi di suo alle stampe molte belle orazioni e vaghe poesie. *Praeter eam,*

tant illius orationes, quarum una, quae vulgata est Senis an. 1629. laudes celebrat Catharinae Mediceae Mantuae Ducis, cui non mediocre ornamentum accessit ex carminibus Fabii Chisii, & Sfortiae Pallavicinii, quorum alter Summus Pontifex, alter Cardinalis creatus est. Quae a me sic laudari nolo putes, quasi in iis nullum corrupti saeculi vestigium appareat. Nam praeoccupati animi minime videbant quid illam oratoris poetaeque perfecti praeclaram & eximiam speciem ac pulchritudinem efficeret. Veniebat saepe Saracinius ad Leopoldum Mediceum, cui commissa erat rerum Senensium procuratio, & quamvis esset natura moderatus, illi minime occultare poterat quanto studio, quantoque labore vel a prima aetate properasset ad gloriam. Itaque sapientissimus Princeps de praemiis illius, deque referenda gratia cogitare incepit, dumque ipsum hortabatur, ut spem omnem in aequitate Ferdinandi II. reponeret, accidit mors Sommajae, cujus ut in locum succederet, vehementer adlaboravit. Hoc munus ad tuendam existimationem, quam sibi, humaniores praesertim litteras ac philosophiam excolens, comparaverat, aptissimum esse existimavit. Nec sane ulli labori pepercit, ut res Academica & litteraria florens esset, & quod non minus ingenio, quam consilio, & auctoritate valebat, effecit, ut *egregie cordatus homo* appellaretur. Is secum Pisas adduxit,

eam, quam memoravimus, orationem edita quoque fuit Senis an. 1614. *oratio alia de laudibus S. Jo. Baptistae. De poetico vero ingenio Saracinii mentionem faciunt Crescimbenius & Quadrius, ille* Vol. V. p. 149. *hic* Part. I. Vol. II. p. 464. *Janus Nicius Erythraeus, qui pluribus illum laudat in Pinacotheca altera, ait* tum Latina, tum Etrusca lingua versus quam elegantissimos fecisse, & cum dicendum esset, pura, dilucida, nitida & copiosa oratione uti solitum, quae eo gratius hominum ad aures veniebat, quo summa cum oris vocisque suavitate erat adjuncta. *Omnino natura illum formasse videtur ad oblectandos animos, sibique conciliandos, & corporis venustas & pulchritudo non mediocriter ipsum commendabat.*

Digitized by Google

& Logices cathedrae praeficiendum curavit Isidorum illum Ugurgerium e Dominicana familia, qui de laudibus Senarum urbis opus conscripsit, in quo licet concupierit se mendacem non putari, si tamen diligenter inquiras in ea, quae memoriae prodidit, saepe ab eo veritatem postulaveris. Si valuissent Saracinii consilia Roma magnis praemiis Pisas evocatus fuisset Jo. Baptista Donius, a quo sane maximum ornamentum accepisset nostra Academia, quae tum non mediocrem jacturam dignitatis atque honoris fecisse videbatur ob discessum Laelii Mancinii, & Julii Gustavinii. Contigit postea Lyceo Florentino tantum virum habere, qui cum per hos dies eximium librum vulgasset de generibus & modis musicae, hoc ad conciliandam illi Ferdinandi II. gratiam, qui omni praeclaro opere mirum in modum delectabatur, non mediocriter conduxit (1). Cum videret Saracinius esse Doctores plures vel invidia, vel controversiis, vel aliis de caussis dissociatos, nihil non egit, quod ad eorum sanandas conciliandasque mentes pertinere arbitrabatur, & multos sane aut beneficiis sibi devinxit, aut au-

Serenissimo Signore.

(1) Quel poco di tempo, che m' è avanzato alle mie occupationi più serie, ho creduto lodevolmente impiegarlo in certa sorte di studj reconditi, che possino notabilmente giovare al pubblico per esser maneggiati da pochi, & a me servino insieme di qualche honesto sollazzo e ristoro nelle domestiche afflitioni e fatiche dell' animo. Havendo dunque ridotto a fine un'opera sopra la musica, nella quale molte cose importanti di nuovo si scoprono o si cavano dalle profonde tenebre dell' ignoranza dove restarono lungamente sepolte nell' inondationi de Barbari hò preso ardire di presentarne un' esemplare a V. A. Serenissima come un picciolo tributo dovuteli da quello che più d' ogni altra cosa si pregia d' esser nato suo vassallo, & in quella città dove hanno rifiorito felicemente tutte le buone lettere non tanto per la qualità degl' ingegni e temperie del clima, quanto per la continuata protetione de suoi magnanimi antenati, de' quali

Digitized by Google

ctoritate coercuit, aut consiliis mollivit. Quantum in eo esset animi ac virtutis saepe declaravit Magnus Dux, qui seu quid communicandum, seu quid administrandum videretur, prudentiori se non committere posse ajebat. Morte, quam obivit Pisis aestate an. 1641. annos natus sexaginta, prohibitus est, ne ultra quinquennium munus suum exerceret, successoremque habuit Joannem Viscontium Pistoriensem, in cujus virtutibus commemorandis eo nunc ero brevior, quod de eo satis multa superiori in volumine dixi. Vir summa integritate atque innocentia, nec mediocri doctrina, mirum in modum consuluit utilitati Academiae, suaeque famae, quanquam nil minus vellet (erat enim modestissimus) quam inanem aucupari rumorem, & umbras falsae gloriae consectari. Monumentum in patria, & in Aede S. Spiritus habuit cum hac inscriptione.

V. A. ha compiotamente redato non menó le virtù heroiche, che gli stati e la gloria. La supplico perciò humilmente a gradirla e riceverla con la sua solita benignità anco per segno dell' ardente desiderio che ho d' incontrare una volta occasioni di mostrarle la mia fedelissima devotione. Et facendoli homilissima riverenza prego il Sig. Iddio a concederli lunghissima vita e piena felicità. Di Roma il dì 26. di Marzo 1636.

Di V. Altezza Serenissima.

Devotissimo & Humilissimo
Servitore, e Vassallo
Gio. Bat. Doni.

Digitized by Google

D. O. M.

JOANNES VISCONTI

PATRITIUS PISTORIENSIS

EQUITUM S. STEPHANI PRAESUL

PISANI LICEI MODERATOR

EXIMIA PIETATE ET DOCTRINA CLARUS

NE DIVIDERETUR EXTINCTUS A PATRIBUS S. JESU

QUOS ADVOCARI IN PATRIAM VIVENS CURAVERAT

IN EORUM CONDITUS EST ET TEMPLO ET TUMULO

OBIIT NON. OCTOB. A. D. MDCXLVII. AET. LXVIII.

PATRUO SUO

VENERATIONIS ET AMORIS MONUMENTUM POSUIT

FRANCISCUS VISCONTI

EQUITUM S. STEPHANI MAGNUS PRIOR

A. D. MDCCXVI.

Alexander Minerbettus Antonii filius nobilissimo genere, quod maximis cum Leone XI. Pont. Max. propinquitatis vinculis conjungebatur, Florentiae natus est. Postquam in patria eas litteras sub optimis praeceptoribus didicit, quibus ad sapientiam concipiendam adolescentium animos imbui & praeparari decet, Pisas venit, & juris pru-

Digitized by Google

dentiae praesertim operam dedit, cujus disciplinae insignibus a Laelio Mancinio decoratus fuit. Hanc ipsam facultatem Romae coluit, & exercuit, cum Ruperto Ubaldinio Cardinali consobrino suo a cognitionibus (Auditorem dicunt) fuisset. Cooptatus quoque fuit in Collegium Canonicorum Florentinorum, & virtus, probitas, innocentia & integritas, quae in stipendia Ecclesiae merentibus desiderari solent, in illo emicuere. Jam vero quot adjumenta honoribus sibi ex litteris comparaverit, & quot naturae & doctrinae praesidiis ad dicendum esset instructus, intelliges ex oratione, quam an. 1614. dixit in Academia Florentina de laudibus Francisci Medicei, quamque illo ipso anno typis impressit Cosmus Juncta. Nam scripta est elegantissime & sententiis & verbis. Multa alia hujusmodi, solitus frequentare litteratorum hominum coetus, exaravit, quae minime in vulgus sunt edita, quamvis ab universo consessu plausus multiplex illis daretur. Etsi omni gradu amplissimo dignissimus videretur, omnesque illum observarent & colerent, se tamen laborum suorum magnum cepisse fructum arbitratus est, quod Academiae autumno an. 1647. praefectus fuerit, in cujus rebus procurandis suorum Principum studia aequavit. Doluit aliquando quod valetudinis incommodis impediretur, quominus ad Academiam ipsam, dum studia instaurabantur veniret, quam ob caussam commissum fuit Michaeli Grifonio Stephaniano Equiti, qui litterarum minime expers erat, ut illius vices gereret (1). Sed dum angebatur, ne muneri suo deesse videretur, gra-

---

Molto Illustri & Eccell. Sigg. Dottori di Pisa.

(1) La malattia di Monsig. Minerbetti Prov. di codesto Studio, nella quale và tuttavia seguitando, toglie la speranza, che egli possa essere costì al prin-

vius aegrotavit. Relevatus haud potuit pristinam recuperare valetudinem, eratque Pisis, cum ineunte anno 1652. e vivis excessit. Ejus mors consentanea vitae fuit sanctissime honestissimeque gestae, in qua saepe magno usui Reipublicae & privatus, & in magistratibus fuit. Tum captum consilium, ut ille idem Grifonius Eques, de quo paullo supra mentionem feci, Curatoris partes expleret; sed cum ille onus hujusmodi recusasset, suscipere coacti fuerunt Curinius, Schipisius, & Chesius, quorum nomen erat illustre inter juris prudentiae Praeceptores.

---

cipio di Novembre, e forse per qualche tempo più là per potere assistere in persona alla sua Carica, che perciò havendo S. A. S. nostro Signore considerato, che per buon Governo bisogni provedere suggetto, che assista, & invigili in suo luogo, e con la sua autorità, ha eletto l' Illustrissimo Sig. Cav. Michele Grifoni, come per suo motuproprio dato questo giorno, e che dal medesimo Sig. Cav. sara consegnato al Cancelliere dell' Università per doversi porre, e registrare nella Cancelleria. Comanda però S. A. S., che in tutte le funzioni, che doveranno farsi, & in ogni occorrenza, che porrà succedere alla giornata, dalle Sigg. V. Eccell. si presti a detto Sig. Cav. quell' ossequio, reverenza & obbedienza, che prestavano, e presterebbero al medesimo Monsignore. Siccome da S. A. gli è ſtata conferita tutta la medesima autorità, come per detto motuproprio, esequiranno in questa forma il comandamento dell' A. S., & io resto, alle Sigg. VV. Eccell. con vero affetto baciando la mano. Di Firenze

Delle Sigg. VV. molto Illustr. & Eccell.

Lì 21. Ottobre 1651.

Devotissimo Serv.
Niccolò Fantoni Ricci.

Haud multo post declaratus fuit Curator Franciscus Maria Zatus Florentinus, sed is non plus biennium munus suum exercuit. Puer didicit, quod discendum. Grandior autem factus operam dedit philosophiae & juris prudentiae, & ne a gentis suae moribus degeneraret (fuerunt enim in Zatorum familia Florentiae nobili plures doctrina clari homines) has ipsas facultates, addito theologiae studio, quoad vixit, coluit. Sed nihil illi fuit antiquius, quam dignitati & gloriae Academiae consulere, qua in re sane minime fefellisset spem illorum, quorum judicio Curator delectus fuerat, nisi citius, quam par erat, mortem obiisset.

Hanc jacturam compensavit Philippus Magalottus nobilissimo genere Florentiae natus an. 1599. Domi in prima aetate educatus docilitatis & memoriae, quae fere appellantur uno ingenii nomine, praeclara indicia dedit, easque tanta industria aluit, ut inter aequales unus omnium maxime floreret. Tali modo cum praeparasset animum ad nobiliores disciplinas, Englostadiensem Academiam petiit, in eaque & philosophiae, & juris prudentiae operam dedit. Post id perlustravit Germaniam, & in ipsa Caesaris aula cognitus & probatus est. Inde redeuntem Roma excepit, qua in urbe multa majorum suorum erant impressa vestigia sane gloriosissima. Hoc in loco statuit vitam traducere in sinu Musarum ab ambitionis studio remotus, miserrimos illos existimans, qui adulantur, dissimulant, fallunt, serviunt etiam, anhelant, tabescunt, dum honores consequantur. In ore, in oculis, in familiaritate Magalottum vidisses eorum omnium, quos sapientia magis, quam fortunae splendor decorabat. Hos frequentans in memoriam ei redibant illa Hispani Epicteti dicta (1). *Quae illum felicitas, quam pulchra senectus manet, qui se in horum clientelam confert? Habet cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet,*

(1) De brevitate vitae.

Digitized by Google

quos de se quotidie consulat, a quibus audiat verum sine contumelia, laudetur sine adulatione, & ad quorum se similitudinem effingat. Ac talem quidem se se effinxit, ut cum assecla fuisset Cardinalis Magalotti patruelis sui in quibusdam legationibus, admirationi omnibus iis esset, cum quibus versabatur. Maximis propinquitatis vinculis Magalottia gens cum Barberinia erat conjuncta, quare deesse non poterant honores Philippo, Pontificatum Maximum gerente Urbano VIII. Sed ipse, qui malebat quietam vitam agere, quam sollicitam, cum antea oblatum a Gregorio XV., qui & veniam aetatis indulserat, episcopatum Cabellicensem in Provincia recusasset, semel iterumque recusavit quoque Ferrariensem, quo se abdicare volebat Magalottus Cardinalis. Obtinuit tamen ab eo litterarum amor, ut vocibus pareret Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis, a quo an. MDCLIV. vocatus est ad Gymnasiarchae munus sustinendum in Academia Pisana. In hoc exequendo diligentia fuit singulari. Omnibus aderat, omnes stimulabat ad magna capessenda, de omnibus bene sentiebat ac loquebatur. Haec illi erant solemnia ac suavissima oblectamenta cum Doctoribus versari, ac familiares sermones serere de omni doctrinarum genere, disceptare etiam in utramque partem, ac rationes quaerere, quibus veritas limatur. Frequentabat & scholas, ut Doctorum diligentiam acueret, & cum revocata fuissent Anatomiae studia, quae diu nimium esse desierant, illo tempore, quo gravissime aegrotabat, ex qua aegrotatione minime convaluit, hac de re una conquestus est, quod interesse prohibebatur novi Magistri praelectionibus. Non amplius biennium in hoc munere fuit, & cum nemo illo esset commodior, comior & moderatior ad omnem rationem humanitatis, nemo etiam integrior ac sanctior, omnium lacrymae illius funus decorarunt. Laudavit ipsum funebri oratione Valerius Chimentellius, qui summa prorsus de illius virtutibus & doctrina praedicavit, illud & addens, hominem, qui luculenter Latine sciebat, copiose adeo, ornate, eleganter & composite eloqui & scribere Etrusce consuevisse, *ut non immerito inter*

Prin-

Principes Florentiae, qua in urbe dicendi elegantia post renatas litteras inventa & perfecta est, haberetur. Omnis quidem elegantiae studiosissimus fuit, neque hoc praeteribo, quanquam nonnullis leve visum iri putem, sic hortum rusticum coluisse, ut in eo esset florum omnium varietas, quam ob rem a Jo. Baptista Ferrario laudatus est (1). Pisis extremum diem morte confecit IV. Id. Martii an. 1657. cum complesset nondum quinquagesimum & octavum aetatis annum. Dum novus eligeretur Curator, hujus officia exequi jussi fuerunt Chesius, Curinius & Marsilius.

Anno post suffectus fuit in illius locum Jo. Baptista Quaratesius Benedicti Florentini Filius. Summa profecto in hoc fuit dignitas generis, integritatis, industriae, ceterorumque ornamentorum omnium, quibus opinioni hominum commendamur. Unum extat illius Latinum epigramma in obitu viri amplissimi, summaeque auctoritatis Zenobii Girolamii, ex quo cognosci potest non expertem litterarum humaniorum fuisse; multa vero sunt documenta ejusdem in jure civili, & in rebus publicis administrandis prudentiae. Nam ab an. 1641. ad annum usque 1658., quo Pisas venit, Senis amplissimum munus sustinuit, Auditoris, ut vocant, quod secundum est a Praefecto Provinciae. Dum ad rempublicam usum, & scientiam & studium conferebat, tranquillius & ingenio suo accommodatius duxit, Pisis rem litterariam curare, in quo quidem nemini concessit. Laudi quoque hoc illi dandum, quod, minime ignarus quantum ornamenti a Galilejo physicarum rerum scientiae accessisset, a Ferdinando II. aliquando postulaverit, ut esset in Academia Pisana, qui illius philosophi dogmata explicaret. Magnopere se confidere demonstrat, si ejus rei sit potestas facta, fore, ut Scholasticorum tyrannide deleta, homines in

(1) Hesperid. lib. 3. cap. 31. p. 351.

inveniendo vero occuparentur, & magnam partem laudis atque existimationis perventuram ad Carolum Rinaldinium, si, illo docente, novum hoc philosophandi genus proponeretur. Sed non defuere, qui censerent veteres institutiones haud immutandas esse, neque permittendum praeceptoribus publicis in scholis libere dicere, & sequi quem vellent. Non propterea tamen defuit negotio Quaratesius, multosque concitavit cohortatione sua ad studium cognoscendae percipiendaeque recentioris philosophiae. Nihil languidi, nihil remissi in eo unquam vidisses, & cum vel ad levia parem animum afferret, cumulatissime muneri suo satisfecisse videtur. Nihil nunc dico de ejus diligentia in procurandis sacris Stephaniani Ordinis (sunt enim haec munera conjuncta) quod id minus ad Academiam pertineat. Cum esset summa in Deum pietate, ita ex hac vita discessit, tanquam ex hospitio, omnesque boni de illius morte fleverunt.

Eodem illo anno 1662. quo Quaratesius decessit, ejus locum occupavit Alexander Marsilius, in quo multae & variae erant artes, quibus summa claritudo paratur, quique vel ab an. 1637. accesserat ad Academiam Philosophiae magister. Multa praeclara in eo noverat Galilejus, dum Senis apud Piccolomineum Archiepiscopum commoratus est, nec dubito quin ejus commendatione factum fuerit, ut Pisas cum liberalissimo DC. centussium stipendio vocaretur (1). Sed quia mentes hominum doctrinas, quibus semel imbutae fuerunt, facile retinent, haud ipse potuit Peripateticorum laqueis exsolvi, quanquam nihil difficilius esse dicebat, quam in eadem sententia de rebus phy-

(1) *Id confirmare videntur Marsilii litterae ad Galilejum ipsum*. Dò parte a VS. Eccellentissima con questa mia come dal Serenissimo G. Duca sono stato honorato della condotta di Pisa con stipendio di Scudi 600. Questo honore mentre lo riconosco quasi affatto dalla cortese protezione di VS. Eccellentissima, anche vengo a confessargliene una somma obbligatione &c.

ſicis permanere. At contra permanſiſſet, ſi animum, ut ita dicam, incorruptum attuliſſet ad investigationem naturae, praesertim cum illi fortuna favisset, ut Galilejum amicum haberet, eaque videret, quae in Leopoldina Academia, quae ab experiundo *del Cimento* appellabatur, & in quam ipse lectus fuerat, quotidie magis ac magis detegebantur. Itaque, quanquam ab illo quidem cumulate satisfactum fuerit Magistri muneri, sic tamen velim existimes saepe illum caussam sui reprehendendi dedisse tum Academicis collegis suis, tum iis, qui Pisis novum excolebant philosophandi genus. Postremo dissimulandi caussa, & quasi sui expurgandi, sicuti jurgio lacessitus foret, ad Leopoldum Principem dedit litteras, postulans ne quid de se temere crederet, & se esse eum putaret, qui faveret ingeniis, & nullius industriam retardaret. Ortus Senis, ut aliquid de ejus vita innuamus, nobilissima familia, VII. Kal. Jan. 1601. patre Hippolyto, matre autem Faustina Bulgarinia, ita institutus fuit, ut a juris prudentia nomen & quaestum sibi faceret, qua in facultate magistrum praesertim habuit Alcibiadem Lucarinium, a quo & doctrinae insignia accepit. At philosophiae amore incensus, huic se totum dedidit, & compleverat nondum vigesimum secundum aetatis annum, cum eamdem disciplinam docere coepit in patrio gymnasio. Si ipsum audiisses Peripatetica docentem, non modo contentus fuisses, sed nec meliorem quaesiisses. Ex gestis ab eo magistratibus, qui primi in civitate putantur, utilitatem patria, ipse autem laudem consecutus est. Neque minus bonus paterfamilias habitus est, cum ex Margarita Bichia tres suscepisset liberos, qui in maximo dolore ob mortem dulcissimae conjugis magna solatia ipsi dederunt. Fuerunt enim avo, patre, majoribusque suis dignissimi. Solatus est etiam viduitatem suam omni religiosorum officiorum genere, eorumque fines longius protulit, cum presbyter factus fuisset, & onus suscepisset procurandi sacra Stephaniani Ordinis. Vir omnino vita integerrima, & a doctrina instructissimus ita honores, copias & amicitias quaesivit, ut in iis bonitati, minime verò ambitioni instrumenta haberet. Haud illi grave

fuit discedere e vita, in qua nihil inesse dicebat nisi miseriam & aerumnam, quanquam, ut est Stoicorum sententia, ubi est virtus, ibi esse miseria & aerumna non potest. Obiit autem Senis, prohibitus infirma valetudine Pisas concedere, XVI. Kal. Februarii an. 1670. & septem post dies in locum illius ascendit

Felix Marchettus Francisci nobilis Pistoriensis & Flammettae Bracciolíniae filius. Tyro in hac ipsa Academia militavit, & cum anno 1647. coepisset Caesareas institutiones publice interpretari, & per biennium explicasset, visus est posse cum veteranis contendere. Habuit deinde a Magno Duce munus, quod amplissimum putabatur (Secretarium Status vocitabant) & in quo exequendo diligentiam adhibuit singularem. Missus & legatus fuit ad Caesarem, cum unus omnium ad res gravissimas tractandas idoneus judicaretur. Ei quidem deliberatum erat servire reipublicae, sed cum eumdem gratiae locum, quem tenuerat apud Ferdinandum II. minime teneret apud Cosmum III. tranquillius & utilius sibi duxit abesse ab aula, & in sinu litterarum Pisis vitam traducere. Non est tamen tacendum, illo rem Academicam procurante, malas consuetudines aut tum primum irrepsisse, aut robur accepisse: sunt enim omnes homines ad laxanda officiorum vincula natura propensi. Id malum gravius tulerunt, & sanandum putarunt Cosmus III. Magnus Dux & ejus patruus Leopoldus, cui commissa praesertim fuerat rerum Academiae cura, &, quas infra exscribemus, litterae testes erunt summum illos tenuisse studium, ne negligentia, aut ignavia Magistrorum obtorperent adolescentium animi, malisque exemplis corrumperentur (1). Ob haec aliquid fortasse de-

Illustriss. e Molto Rev. Sig.

(1) Il sentire che con tanta audacia si pretenda da codesti Dottori e Scolari, di non volere studiare, nè insegnare ne' tempi delle Vacanze dalle Lezioni Pubbliche, mi obbliga a scrivere con la serietà che si conviene

Digitized by Google

decoris in Marchettum derivavit, quod eo magis dolendum fuit, quia antea ita semper se gesserat, ut ejus neque consilium, neque ince-

---

ad una materia così grave questa mia Lettera a VS., dicendole ch'Ella cerchi pure insinuare fortemente a cotesti Dottori, e Scolari, quanto siano incongrue queste pretensioni, e lo dica anche a i Rettori de' Collegj, mentre in oggi unite queste a voler partire anche ne' tempi di Maggio dalli studj, all'havere augumentato gli abusi degni di rimedio della multiplicità delle Feste Scholastesche, perchè non si legga *infra annum* in molti giorni, come si faceva prima, si ridurrebbe cotesto Studio più ad apparenza, che a sostanza. Onde prima di venire a qualche rigorosa riforma, come si è fatto a Padova, & a proporre al Serenissimo Gran Duca cose, che potriano riuscire di poco gusto a quelli, che si credano men vogliosi d'insegnare, e seminatori di questi mali concetti, ho voluto scrivere a VS., perchè se si vedrà che si continui con questi pensieri, e molto più con gli effetti, di non insegnare quando stanno costà nelle Vacanze, perchè le serva di pretesto a dire che li Scolari non vogliono, non si dolghino se sentiranno uscire resoluzioni, come ho detto, necessarie, e per essi di dispiacere. Non sono più lungo, perchè mi pare d'essermi spiegato a bastanza, e VS. c'invigili con ogni fervore, mentre le auguro dal Cielo ogni prosperità.

Di Firenze 29. Gennajo 1674. ab Inc.

Al piacere di VS.
Il Cardinal de' Medici.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Al medesimo

Se VS. Illustrissima non fusse stata come me presente, e non havesse da se stessa udito, mi troverei in obbligo d'esaggerare il sentimento, col quale il Serenissimo G. Duca parlò all'uno, & all'altro di noi nel negoziarsi

ptum ullum frustra unquam fuisse videretur. Quare minimè est mirandum si missionem facile obtinuit, quod ea ne de caussa, quam

---

ultimamente il Ruolo sopra lo svario e diminuzione grande delle lezioni, della tiepidezza con che in oggi si cammina nello Studio delle scienze, della trascuraggine, che si pratica nelle repetizioni pubbliche e private, della licenza, che molti si pigliano di non intervenire all' asseg[illegible] de punti, alli Anniversarj de Serenissimi Predecessori di S. A. [illegible] apute di Sapienza con individuare l' A. S. sì al minuto tutti i d[illegible] ommissioni de Sigg. Professori, e Scolari, che non potè a noi ri[illegible]e, che di somma ammirazione, che un sì gran Principe, divertito da sì multiplicate, e gravi occupazioni, avesse una presence, e freschissima memoria per reflettere anche alle più piccole circostanze di tal negozio, e volendo S. A. portare a sì fatti disordini i dovuti remedi, ha la medesima deliberato quanto appresso,

Et primieramente sapendo, che il numero delle lezioni, si è ne' tempi moderni per mero abuso molto diminuito, non solo da quello fu constituito nella Riforma dello Studio del 1554., che ordinava si facessero 150. lezioni, che di poi fu ridotto a 110 per grazia speciale di S. A., e che in oggi a pena si faccino 70. lezioni, anzi che nel decorso anno 1679. non siano giunte a 60., onde ne segue la poca applicazione alli studj, e la poca abilità successivamente de' soggetti, che a suo tempo restano impiegati nelle Giudicature, nell' Avvocazioni, Cancellerie & altri Ministerj della Giustizia, che mai puol essere bene amministrata da chi non ne prese con l' assiduità dello studio i fondamenti.

Per rimediare dunque S. A. a sì notabile inconveniente vuole, che si tolgano li seguenti abusi. Cioè che ne' giorni di Vigilia di qualunque Santo si legga, e che ciò parimente si adempisca nel penultimo, & ultimo giorno di qualunque Terzetla: Che le Nazioni, che sono state solite chiedere, & ottenere la vacanza, l' abbino nel giorno, che cade la festa del Santo loro Avvocato, o Protettore, nè possino anticiparla, o differirla, e che non s' intenda esservi Nazione, quando non siano almeno otto i Soggetti, che la compongono, e questi debbano essere Scolari effettivi

Digitized by Google

Magno Duci exposuit, consulendi valetudini suae, an voluntate ejusdem acciderit, quia nihil nobis constat, non videtur pro certo ponen-

---

matricolati, che frequentino la Sapienza, e siano conosciuti per tali: Che i giorni delle Rogazioni non siano esenti dalle lezioni, nè tampoco diverse festicciole introdotte da poco tempo in quà, non eccettuando lo statuto, che le feste in onor di Dio comandate da S. Madre Chiesa. Vuole dunque S. A., che VS. Illustria. faccia nota questa sua ferma deliberazione uniforme alle Leggi già esistenti, e chi non leggerà, sarà, conforme ordina l' istessa legge, appuntato giusto il tenore di essa, cioè nella centocinquantesima parte dello stipendio, che respettivamente ogni Professore ha per suo annuo assegnamento, e contro li Scolari, che coopereranno al disturbo delle lezioni, si procederà in modo, che i primi trasgressori doveranno servire d' esempio agl' altri che presumessero contravenire a sì buon' ordine, & alla santa mente di S. A.

E' mente anco di S. A. S., che i Sigg. Professori rimettino in uso la frequenza delle private repetizioni, e circoli nelle case loro, e vuole, che in fine dello Studio V. S. Illustrissima riceva da ciascheduno di essi una nota puntuale degli esercizi praticati per farne relazione a S. A. poichè ciò possa servire di motivo ad haversi i medesimi Professori in considerazione nelle ricondotte, augumenti, & altre loro convenienze, siccome li Scolari stessi per i loro avvanzamenti.

Nell' occasione, che si assegnano i punti a Laureandi, debbano intervenire tutt' i Promotori a riserva di VS. Illustrissima per la sua Dignità, & i Settuagenari, e chi manca deve essere appuntato nella metà della propina, che doverebbe ricevere in quel Dottorato d' applicarsi per un 3. all' Interessenti, per un 3. all' Università, e per un 3. a' Bidelli, e se ne faccia subito la ritenzione.

In pena di Lire tre per ciascheduna volta, e per ciascuna cada, e s' intenda caduto chi non interverrà alle dispute pubbliche in Sapienza de' quattro Lettori estraordinarj, intendendosi però tal obbligo a Professori di mano in meno di quel Collegio, a cui si adattano le materie, e conclusioni, che si sostengono, e gl' altri assistino, se vogliono.

dum. Cum Pistorium secessisset, & pro gesto Curatoris munere CCC. centusses illi penderentur, eo in loco extremum diem morte confecit, ineunte anno 1691.

Quoniam saepe mentionem feci singularis studii, quod Leopoldus Mediceus contulit in litterarum & Academiae bonum, non ab re erit pauca de illius moribus ac virtutibus hoc loco exponere, eo magis, quia diu Scholae omnes Academiae ejusdem divinis laudibus personuerunt.

E sotto la prefata pena d' applicarsi come sopra, s' intendino obbligati i Sigg. Professori a intervenire agli Anniversarj de Serenissimi Gran Duchi, agl' ingressi dello Studio, e de Novelli Lettori, e di qualsisia altra pubblica funzione, ne debbansi dalle medesime partire sino a che non siano terminate sotto la medesima pena senza urgentissima causa da essere notificata a Monsig. Provveditore, & al Priore di quel Collegio, sotto di cui è chi l' allega, da quali debba esser' portata alla notizia dell' Auditore dello Studio per attendersene l' approvazione, altrimenti non tenga.

Tutte queste cose, che considerate da per se possono essere stimate di poco rilievo, ma che unite son di somma importanza, e son capaci di produrre ottimi effetti, vuole S. A. che da VS. Illustrissima si faccino esattamente osservare, e che col mezzo de Bidelli le faccia note a' Sigg. Professori, perchè possino satisfare alla mente dell' A. S, e farà VS. Illuſtrissima registrare in appreſſo questa Lettera negli atti della Cancelleria perchè poſſa ciascheduno haverne piena cognizione. Et io confermandole anche in questa congiuntura la mia osservanza, la reverisco.

Di Firenze li 25. Novembre 1679.

Di VS. Illustriss. e Rev.

Devotis. & Obblig. Servitore
Ferrante Capponi.

runt. Is ab adolescentia mathematicas disciplinas plurimum excoluit, sed praesertim animum applicuit ad cognoscendam naturam, qua in contemplatione, confectis rebus necessariis, vacuus negotiis honeste ac liberaliter vivebat: efficiebatque industria, exemplo institutisque suis, ut multa obscura, prorsusque ignota illustrarentur atque patefierent. Quam singularia vero ac prorsus mirabilia sunt ea, quae gessit ad illarum artium incrementum, quae naturam adjuvant, ornant atque ad vivum exprimunt! Ex insito menti cognitionis amore explicandi disserendique cupiditas consequebatur, easque facultates, quae ad id pertinerent, in se studiose coluit, & in aliis munifice fovit. Mens, quam a natura habuit, acris, vigens, celerrimeque multa simul agitans, &, ut ita dicam, sagax efficiebat, ut non solum in excolendis disciplinis, sed etiam in omni vitae actione gubernanda, in consiliis dandis, rebusque publicis administrandis (a fratre enim Magno Etruriae Duce plurimum adhibebatur) caussas & consecutiones rerum videret, similitudines transferret, disjuncta conjungeret, & cum praesentibus futura copularet sic, ut divinum virum, nedum prudentem non immerito dixisses. Isthaec ingenita veri inveniendi cupiditas maxime in animi dotibus apparebat. Diligebat enim justa, fidelia, simplicia, constantia, gravia, id est vera omnia, habebatque in se expletam & perfectam honestatis, decoris, humanitatisque formam. Quanquam omnia, quae ageret ad societatem communitatemque generis humani referret, non tamen hominum testimonia quaerebat, & esse magis, quam dici bonus sapiensque vir optabat. Nihilo tamen minus omnes in illo consenserunt elogio, hunc aetatis suae primarium fuisse virum.

Sed ad Gymnasiarchas, unde parumper digressi sumus, revertamur. Relictum a Marchetto locum an. 1685. occupavit Franciscus Maria Sergrifius Francisci Patritii Florentini filius, qui Florentiae natus est non. Octob. an. 1633. Duro admodum initio usus est adolescentiae. Nam cum mature patrem amisisset, minimeque abundaret fortunae bonis, & septem usque alere deberet sorores, facultatem mi-

nime habuisset sustentandi se Pisis studiorum caussa, nisi Magni Ducis benignitate sublevatus fuisset. Labores, quos impendit in eas praesertim disciplinas, quae ad bonum & aequum pertinent, magna gloria, magnisque praemiis compensati fuerunt. Minime compleverat aetatis annum XXIV. cum coepit in hac ipsa Academia Caesareas institutiones interpretari, a quarum cathedra quinquennio post ad extraordinariam juris civilis transitum fecit. Hujus muneris quadriennio exacto, in Senensium Judicum collegium lectus fuit, in quo & prudentiae & continentiae laude unus omnium maxime floruit. Plures extant ejus Decisiones Senis an. 1671. typis impressae, ex quibus judicari potest, quantum usum ad eam doctrinam, quam Pisis adolescens ab optimis praeceptoribus hauserat, & caussas agens, & judicia exercens adjunxerat. Alia & munera obivit Senis (Justitiae Capitaneum, & Auditorem Fiscalem vocitant) omnesque mirabiliter de eo loquebantur & sentiebant, quia omni cura ac diligentia providit & consuluit, quod rei publicae utile ac salutare esse putavit. Pertaesus demum forensium & civilium rerum, tranquillius vitae genus amplexus est, cum Ecclesiae & Stephanianae Militiae nomen dedisset, curamque suscepisset sacrorum ejusdem Militiae & rerum Academiae Pisanae. Is statim renovavit morem quotannis imprimendi album Magistrorum, quod fieri desierat vel ab anno 1666. idcirco quia Archiepiscopus Pisanus contendebat Antistitis & Praesulis nomine minime decorandum Academiae Curatorem & Stephaniani Templi, ut vocitant, Priorem. Auctoritate & gratia Sergrifii opus fuit ad muneris sane honestissimi dignitatem tuendam, effecitque ut potestas, quam antea gesserant in presbyteros omnes, qui militant in Stephaniano Ordine, XII. illi Equites, qui Pisis ejusdem Ordinis negotiis praeerant, in Antistitem transferretur. Sed abunde omnia praesidia eidem Ordini in Sergrifio fuerunt, postquam in Ferrantis Capponii Senatoris amplissimi locum successit, qui Magno Duci a consiliis erat in administrandis rebus tum Ordinis, tum Academiae. Hinc factum, ut Academiae ipsi ab an. 1688. ad annum usque 1703. suus de-

Digitized by Google

fuerit Curator, sed ita illi, dum vixit, quamvis saepissime Pisis abesse cogeretur, consuluit Sergrifius, ut Curatorem minime requireret. Porro is nullum locum praetermittebat agendi, monendi, providendi. Bene animatos magistros consilio, lingua, plures etiam auctoritate & gratia sublevabat atque incitabat, desides ad industriam revocabat, contentiosos molliebat, illos autem, quorum voluntas esset obstinatior, severe objurgabat, quarum rerum omnium extant monumenta in ejusdem epistolis, quae in tabulario Mediceo asservantur (1). Sic fiebat, ut cum omnes humanitatem & facilitatem admirarentur illius, agnoscerent etiam severitatem, quae nunquam non adhibenda est reipublicae caussa, dum ab acerbitate absit. Habes sermonem bene longum Francisci Mariae Cessinii de laudibus Sergrifii, cum ab eo rogatus fuisset, ut scripto mandaret, quae e re Academiae esse putasset. Sed nihil erat quod ipse diligentissime non cognoverit, quodque usu doctus partim non correxerit, partim non comprobaverit. Ad haec nullus fere dies abibat, quin Magnus Dux ad se se vocaret Sergrifium consulendi caussa de rebus publicis. Tenuit & eumdem gratiae locum apud ceteros Mediceos Principes, & aliquando Romae fuit, ut adesset in consilio Francisco Mariae Cosmi III.

(1) *Nescio an aegre ad voluntatem incubuerit Cosmi III. cum jussus est minas jactare, ac pericula intendere Doctoribus, quorum haec erat opinio:* Magis arridet, relicta veterum schola, sentire cum recentioribus qualitates & accidentia esse quid fictitium, cum nihil possit intelligi, nisi corpus intelligatur, nec immerito sobolescit in scholis haec opinio, quia magis est sensibus accommodata, nec non veritati proxima. *Litterae, quae haec continent, ad Soldanium & Tabulam, qui partes gerebant Curatoris Academiae, datae sunt III. Kal. Decemb. an. 1698. Eodem ſerme tempore graviter reprehendit Sergriſius Doctores, qui in circulis habendis minime servabant mores majorum, & qui in contexendis, ut appellant, laureis non laudes adolescentium celebrabant, sed collegas aut mordebant, aut pungebant.*

Filio, qui non multo antea Cardinalis creatus fuerat. Omnino nec fideliorem, nec prudentiorem minime invenisses, nec potius quidcquam habuit quam opem amicis, praesidium litterarum cultoribus, officia Dominis, & prope cunctis civibus lucem ingenii & consilii sui porrigere atque tendere. Animus, aetas, virtus illius minime sivere perturbari mortis adspectu, eamque sancte obivit Florentiae an. 1699. Sodales Galantiniani, quibus testamenti sui executionem mandaverat, in Sodalitii Aede monumentum eidem posuerunt cum hac inscriptione, quam ab Antonio Maria Salvinio ejus amicissimo facile obtinuerunt:

D. O. M.

EQUITI FRANCISCO MARIAE SERGRYPHIO FRANCISCI F.

PATRICIO FLORENTINO PISIS PRIMUM LEGUM INTERPRETI

DEINDE SENIS JURI DICUNDO, ET CRIMINALIBUS JUDICIIS PRAEFECTO

MOX AD SACRAM LENITATEM CONVERSO

MILITIAE EQUITUM D. STEPHANI MODERATORI AC PRAESULI

ATHENAEI PISANI FLORENTINIQUE PRAESIDI ET CURATORI

VIRO HUMANISSIMO ATQUE INTEGERRIMO SACERDOTI RELIGIOSISSIMO

QUI PAUPERIBUS JESU HEREDIBUS EX ASSE INSTITUTIS

PATRIMONIUM SUUM IN CHRISTI SORTEM CONSECRAVIT

SODALES GALANTINIANI S. FRANCISCI EJUS TESTAMENTI EXECUTORES

MEMORIAE EJUS DEVOTISSIMI POSUERE

OBIIT POSTRIDIE NON. MAII A. S. MDCLXXXXIX.

VIX. A. LXV. M. VII. D. V.

Digitized by Google

Aegerrime tulit Academia citius anno 1703. suum minime habuisse Curatorem. Tum, vel anno post res illius procurare coepit Cajetanus Macchiavellius origine Florentinus, ortu autem Ferrariensis. Nam Ferrariae natus erat Kal. Februarii an. 1649. patre Laurentio Marchione, matre Eleonora Tienia. Genus, aetas, opinio doctrinae, mores dulcissimi suavissimique, vitaeque integritas facile illi conciliarunt omnium existimationem atque benevolentiam, ac, dum vixit, retinuit. Homo minime ambitiosus, minimeque in rogando molestus nunquam suspicionem movit malle se rebus suis, quam Academiae consulere, neque id solum sua sponte, sed multo etiam magis monente Nicolao Antinorio, quem Cosmus administrum consiliorum sibi assumpserat, & quocum Macchiavellius summa consuetudine conjunctus erat. Prorsus intentus omni modo animos eorum accendebat, a quibus gloriam & utilitatem sperare poterat Academia, & quoniam ea tempestate Benedicti Averanii facundia clara pollensque fuit, eum hortari non cessavit, ut, quas dixerat orationes, in vulgus ederet. Hominem sibi amicissimum omni officiorum genere prosecutus est, agentique animam sic adfuit, ut plura a fratre exspectare minime potuisset (1). Sic enim erat na-

---

Al Sig. Senatore Antinori.

(1) In questo giorno a ore 23. è restata priva questa Università per la morte del Sig. Dottor Benedetto Averani di F. M. di un Lettore della stima e virtù a VS. Illustrissima molto ben nota. Questa mancanza è stata sentita da tutti questi Sigg. Professori con universale dispiacere, & in specie da me, che ho havuta la fortuna di assistergli fino all' ultimo respiro, essendo morto nelle mie braccia. Io non ho voluto mancare di parteciparlo a VS. Illustr., per risegnarli con tal congiuntura la mia devota osservanza, e gli faccio ossequiosissima riverenza.

Di VS. Ill. e Clar.

Pisa 28. Decembre 1707.

Dev. Obbl. Serv.
Gaetano Macchiavelli.

tura comparatus Macchiavellius, ut bene & religiose facere ei in more esset, quippe cujus spes omnis in Deo posita esset. Pisis naturae concessit prid. Non. Martii an. 1717., & nemo fuit, qui tam excellentem virum minime desideraverit (1).

Restat, ut de Caspare Ceratio dicam, de cujus morte cum mihi Romam nuntius esset allatus, opinione omnium majorem animo cepi dolorem, quod vir egregius, conjunctissimusque mecum consiliorum omnium societate prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat. Sed quoniam perpetua quadam felicitate usus ille cessit e vita, ac tamdiu vixerat quam satis esset ad bene beateque vivendum (non sensit enim incommoda, quae secum afferre solet senectus) nostro magis detrimento, quam ulla illius infelicitate dolere videbamur. Is nobilissimo genere natus erat Parmae an. 1690. Patre Valerio Comite, matre Fulvia Anguissola, educatus autem sic quemadmodum decebat summae expectationis adolescentulum. Nullius artis, quam sibi ediscendam esse putavit, difficilem cognitionem expertus est, & cum eam dignitatem maxime expetendam esse cognovisset, quae in coercendis cupiditatibus omnibus, & in virtute exercenda consistit, eam ut facilius consequeretur, Societati Jesu nomen dare constituit. Sed obstitit patris voluntas, nec mutationis consilii illum poenituisse oportet, quod, dum vixit, in Jesuitas minus amico animo fuerit. Licuit tamen illi in collegium cooptari illorum Presbyterorum, quod Romae institutum fuit a S. Philippo Nerio, tantoque amore se inflammatum sensit in urbem, quae una in omnibus terris domus est habita virtutis, imperii, dignitatis, & quae patria, parens omnium illorum semper fuit, qui ingenii & sapientiae laude floruerunt, ut in ea tabernaculum vitae suae collocare deliberaverit. Plurimo cum labore versatus est in omnibus illis studiis, quae ad res divinas pertinent, &

(1) *Minime praetereundum esse videtur per eum auctam fuisse Antistitis Stephaniani dignitatem, cum jussisset an. 1704. Cosmus III.* che il Priore della Conventuale avesse il primo luogo in Consiglio, e precedesse ad ogni altra dignità etiam Capitolare.

Digitized by Google

tam bene noverat Ecclesiae historiam, omneque antiquitatis iter, ut non facile reperisses, quod illi esset incognitum. Neque haec studia ab elegantia doctrinae segreganda putavit; quare quae scientia & cognitione comprehenderat, sic explicabat, ut non posseut aut ornatius, aut planius exprimi. Itaque cum omnes ejus doctrinam, & multo magis virtutem & diligentiam admirarentur, vocatus est ad ea comitia, quibus Pontifex Maximus creatus est Laurentius Corsinius Clementis XII. nomine, ut eorum, qui ad ipsa venerant, confessiones exciperet. Qui ab eo consilia exquisierunt, non facile prudentiorem ac fideliorem invenissent, idque assecutus videtur, ut conciliaverit sibi omnium animos, qui de virtute & doctrina praestanti poterant judicare. Et jam aetatis ususque ejus esse videbatur, ut majora susciperet. Sed minime adduci potuit ad Pontificatus gerendos, & invitissime cessit postulationi, vel potius imperio Philippi V. Hispaniarum Regis, a quo in patriam revocatus fuit, ut institutor adesset Carolo filio, qui, mortuo Antonio I. Farnesio, ad regendum Parmae & Placentiae, ut vocant, Ducatum accitus fuerat. Quanquam multa, & magna, & difficilia siut ea, quae sunt Principum institutori necessaria, nemo tamen dubitavit, quin Ceratius omnibus & doctrinae & naturae praesidiis (erat enim moribus suavissimis humanissimisque) esset instructus ad tantum munus sustinendum. Quo expleto, cum fortuna alio vocasset Carolum, rediit Ceratius ad suum urbanum otium, & ad pristinum vitae genus, dumque obsequebatur studiis suis, ea ipsa artium genera circumspiciebat, quae in quadam varietate versantur, quas qui tenent, eruditos appellare solemus. Quis vero non mirabitur hominem non solum ingenio & doctrina abundantem, sed etiam integritate & innocentia tanta, ut vel invidi & malevoli nihil in eo invenissent, quod reprehenderent, minime decoratum fuisse iis honoribus, qui saepe ignavissimis, & vel dormientibus deferuntur? Sed non decet homines fortuna metiri, seque beatum putavit Ceratius, quod commendatione Caroli Borbonii, qui gratus & pius erga Praeceptorem suum cognosci volebat, a Io. Gastone Mediceo an.

Digitized by Google

1733. Pisas vocatus fuit, ut praeesset Academiae, & Sacris Stephani Ordinis. Utrumque munus, quod nemini post Macchiavellii mortem obvenerat, decebat sane hominem, qui in religione & litteris colendis omnem contriverat aetatem, & utrique diligentissime atque cumulatissime per solidos XXXVI. annos satisfecit. Tum concupivit transmarina ac transalpina Lycea invisere, factaque potestate, Galliam, Britanniam, Bataviam, ac Germaniam lustravit. Ille quidem omnia, quae pertinent ad usus populorum, moresque varios hominum, quae versantur in consuetudine vitae, in ratione reipublicae, in hac societate civili philosophorum more investigavit, multorumque doctrina praestantium virorum amicitiam sibi conciliavit, inter quos honoris caussa nomino Montesquienm, cujus extant litterae ad Ceratium, Fontenellium, Reamurium, Jussieum, Hamelinm, Mairanium, Aubignium, e Britannis autem Bradleium, Stormontium, omnesque ferme eos, qui in Londinensi Academia praestabant, quibus & libuit Collegii, seu, ut vocitant, Societatis jura Ceratio concedere. Non secus egerunt Berolinenses Academici, cum apud eos fuisset Ceratius, testimonium amplissimum de illius doctrina ferente Maupertuisio, cui summe carus & acceptus fuit. Maximi huic habiti honores illustre illius nomen reddiderunt, nec se externis oblinivit moribus, idemque rediit in Etruriam, qui discesserat, gravis, religiosus, modestus, apertus simplex, & ad omne humanitatis genus compositus, atque accommodatus. Illud quoque in Ceratio laudare debemus, quod sive narraret aliquid a se vel visum, vel auditum, vel animadversum, sive hominum errata ac vitia notaret, & facta demonstraret, ex iisdem locis, unde graves sententias ducebat, duceret quoque interdum facetias, & plura nunc etiam ejus dicta recordamur bella, litterata, salsa, venusta, ex quibus judicari licet tantum apud ipsum habuisse loci festivitatem, ut nullum esse vitae tempus putaverit, in quo non deceret leporem humanitatemque versari. Genera illa jocandi, quae in ironia dissimulantiaque versantur, quae ex alterius oratione pendent, cum aliud excipias, atque ille vult, quae habent su-

spi-

spicionem ridiculi absconditam, quae conjectura explanantur longe aliter, atque sunt, sed acute & concinne, quae verbi ratione & vi continentur, quaeque mores effingunt, adeo erant, domina natura, in potestate Ceratii, ut in omni familiari sermone aliquid hujusmodi condimentorum adspergeret. Memoria teneo, cum mihi sermo, multis audientibus, cum illo esset institutus de exaedificata Pisis astronomica turri, & ego plurimis verbis laudassem doctrinam Thomae Perellii, qui illi praeerat, respondisse illum; vide ne sepulcrum potius, quam domum Uraniae magnis sumptibus parasse videamur, qua re segnitiem hominis reprehendere voluit. Tot porro erant, quae Ceratius collegerat ex variis & diversis studiis & artibus, & ex summorum hominum consuetudine, ut recte judicare posset de cujusque ingenio & doctrina, & quia putabat virtutem hominibus instituendo & persuadendo, non minis, & vi, & metu tradi, vel cum monitor erat deserti officii, festivitatem quamdam ejus habebat oratio. Atque haud scio an illo magis idoneus unquam fuerit ad incitandos juvenes ad laborem & studium, atque ad exponenda ea, quae de officiis a summis doctoribus praecepta fuerunt. Multum etiam negotii habebat, ut omnibus iis satisfaceret, qui consilia & judicia de litteris ab eo requirebant, & plenae erant ejus epistolae rerum, quae ad usum civilem moribus & legibus constitutae sunt, quae pertinebant ad Dei immortalis cultum & sanctiorem disciplinam, quae aperiebant fraudes & fallacias eorum, qui hanc infirmare, & discordias in Ecclesia catholica serere adlaborabant, quae declarabant quomodo tractari conveniat illud, quod ad veritatem spectat, quaeque omnino ostendebant haud vulgares esse fructus, quos ex illius scientia capiebant amici. Reprehendes fostasse hominem, quem judicem adscivere suorum carminum Polignacchius Cardinalis, & Antonius Contius, cujus consiliis usus est Lignacchius de sensu intimo scribens, quem pene comitem studiorum habuit Prosper Lambertinius antequam Pontifex Maximus crearetur, quem Lovanienses theologi saepe consuluere, quique innumeris prope de suo lumine

Digitized by Google

lumen accendit, quod nunquam in litterarum stadium prodierit, similis illis, qui cum ad Olympiacum cursum venissent, & stetissent ut mitterentur, se tamen intra carcerem continuerunt, ut narrarent aliis, quomodo Ladas aut Borus cum Sicyoniis cursitasset. Unum extat scriptum illius, & hoc posthumum de utilitate insertionis, ex quo judicari potest quantum agricultura oblectaretur, solitus dicere illum sine oculis & sine mente vivere, qui omnino nesciret quomodo fiat sementis ac messis, arborum putatio ac vitium, minimeque admiraretur, si ita loqui fas est, cum arboribus ipsis

. . . . . *novas frondes, & non sua poma.*

Nihil illi erat jucundius quam in agris & cum agricolis versari, neque communi intelligentia contentus legerat omne id, quod a peritissimis hujus artis scriptoribus tum veteribus, tum recentioribus fuerat litteris consignatum. Dum suburbana vero rura incolebat, saepe amicos ad prandium invitabat, eosque non minus delicatissimis cibis, quos edens & bibens ἀδεῶς amabat, quam eruditissimis sermonibus pascebat. Cum frequenter ad eum irem, semper sic statui, neminem fore tam ineruditum, tam inurbanum, ac tam inhumanum, qui in ejus sermone, tanquam in peropportuno aliquo diversorio minime conquiesceret. Quae ab natura & ab industria habuerat bona, virtute & innocentia tutabatur singulari, quare ita aetatem egit ad LXXIX. usque annum, quasi honores omnes contempsisset, ita hos obtinuit, quasi praemia virtutis, & incitamenta ad bene de omnibus merendum. Heredibus suis nil nisi memoriam sui praeclaram reliquit, cum quas habuerat opes, & vivens & moriens in subveniendo indigentibus consumpsisset. Mortem Florentiae obivit, ac sepulcrum habuit in Aede, prope quam incolunt Moniales S. Stephani, in quo haec jussit inscribi.

Digitized by Google

Hic expectant adventum Domini

ossa

Gasparis Cerati Patricii Parmensis

Ecclesiae Conventualis

Equestris Ordinis Sancti Stephani

Prioris

Et Universitatis Pisarum

Provisoris Generalis

Obiit die xix. Junii mdcclxix.

Annos natus lxxix. Menses v. Dies II.

Digitized by Google

C A P U T II.

De Sacrae Scripturae & Ecclesiasticae Historiae Magistris.

PErgam, ut institui, de divinarum litterarum Magistris dicere, initium ab iis faciens, qui divinos libros interpretati sunt. Horum munus acumen, eruditionem, & notitiam Hebraicae ac Graecae linguae desiderat, sed non omnes, qui illud obiere, his facultatibus praediti fuerunt. Praecipiendum quoque iis videtur, ut, quoniam divinorum librorum scriptoribus minime defuit verborum gravitas, & elegantia, & copia, & illud eloquentiae genus, quod esset accommodatum ad eorum animos, apud quos dicebant, ad id, quod volebant, commovendos, in quo vis quaedam divina virtusque cernitur, nec ipsi despiciant, quae ad dicendi artem pertinent. Sed hoc majus est quiddam, quam ab iis, qui totam aetatem in Coenobitarum claustris consumpsere, ex quibus ad Lycea accedebant, postulandum sit. Itaque vereor, ne dum mores, instituta, & facta, & vitam hujusmodi Magistrorum explicavero, reprehendar, quod ignotos homines & historiae munere indignos in medium vocaverim. Sed dandum est aliquid necessitati; accipio quod datur, & ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Nec profecto defuerunt Magistri, qui tantam gloriam pepetere Academiae, ut in eorum laudibus efferendis nostra exultare debeat oratio.

Digitized by Google

Jam illud ex ipsius Academiae monumentis perspicuum est fuisse hominem acutissimi ingenii Minoritam Jo. Baptistam Ptolomaeium Auximatem, qui per duodecim annos, postquam divinis rebus Romae operam dederat, magisteria exercuit Anconae, Brixiae, & Venetiis, qua in urbe a consiliis quoque fuit Vendraminio Cardinali, & Venetorum Patriarchae. Fuisse & orator dicitur, neque nunc quaerendum, quae tum esset in honore eloquentia & quot inusta calamistris. Profecto id studuit Jo. Baptista labore assiduo & quotidiano, ut consilia & praecepta bene vivendi sic explicaret, ut eos, qui audiebant, quocunque incubuisset, potuisset impellere, quae vis eo major erat, quo magis cum probitate & prudentia summa jungebatur. Is ad Academiam accessit an. 1623. ut Laelio Marzario succederet in magisterio, ut loquuntur, Sacrae Scripturae, cum sexennio antea eidem successisset in Fidei Quaesitoris munere. Biennio autem & amplius post mortem obivit Pisis Nonis Septembris, cum complesset aetatis annum L L, omnibus suae diligentiae & virtutis triste desiderium relinquens. Suffectus in illius locum fuit an. 1629. (nam per quadriennium nullus fuit Pisis divinorum librorum interpres) Cyrinus Sanctius Sigismundi nobilis Senensis filius e Monachorum Cassinensium familia, de quo saepe testati sunt Academiae Curatores, exspectationem, quam sui ab adolescentia excitaverat, mirum in modum sustinuisse. Hanc viam sibi videns esse expeditiorem ad famam, & ad honores, qui a suis dari poterant, obtinendos, nunquam de deserenda Academia, quoad corporis vires sivere, carus omnibus cogitavit, in eaque permansit ad annum usque 1677. quo scholae vacationem obtinuit. Scilicet id egit semper, ut quamvis senex morbis vesicae & renum laboraret, ita de Academia ipsa mereretur, ut ne quid laudum, quibus illum omnes in caelum jure & vere ferebant, amitteret. Conjunxerat philosophiae studium cum mathematicis disciplinis, minime expers erat humaniorum litterarum, antiquitatis scriptorumque veterum erat peritus, nec Graecam modo & Hebraicam, sed & Germanicam & Hispanicam linguam callebat, omnino talis magister erat, teste Isidoro Ugurge-

Digitized by Google

rio (1), qui totum illum noverat, quique illi se plurimum debere profitebatur, quod dum Pisis fuit logices praeceptor, ab eodem adjutus fuerat consilio & opera, ut auditores suos in admirationem raperet, neminique concederet. Obiit Senis in Cassinensium suorum coenobio, quod multis beneficiis, selectissimisque libris (2) ornaverat, an. 1679.

Jam vero illud fuit fortunatissimum, quod relictam a Cyrino cathedram occupaverit homo, cujus vivet immortalis memoria & gloria. Is est Henricus Norisius, de quo hoc loco ea referre libet, quae alibi de ipso narravimus. Fecit autem non loquacitas mea, sed viri praestantia, ut in illius vita explicanda longior fuerim (3), neque jam metuo, ne tu mihi succenseas, quod dicta nunc repetam; nam si ea noveris, a legendo abstinebis, secus autem aequi bonique facies. Atque hic tantus vir natus est Veronae IV. Kal. Septemb. an. 1631. patre Alexandro viro prudenti ac satis erudito, ut indicat ejus de bellis Germanorum historia, matre Catharina Manzana castissima femina, quorum diligentia, optimaque natura, quae maxime valet, studia virtutemque vel a pueritia amavit & coluit. Ductus ad Jesuitas provocare ardentiores industrioresque condiscipulos, multa signa impetus ingeniique dare, ut magis freno, quam calcaribus egere videretur. Ferre impatientius cum coepisset scholasticas tricas, quae non tam praeceptoribus, quam temporibus assignandae, tanquam solatio, mirifice delectabatur S. Augustini lectione; tantoque ejus amore exarsit,

---

(1) Pompe Sanesi Tit. XIV. in fin.

(2) *Inter hos fuerunt Volumina VI.* Praelectionum in Sacram Bibliam & Repertorium Biblicum, *quae ipse exaraverat. Reliquit &* Cursum philosophicum *& carmina varia, cum teste Angelico Ambrosio fuisset* Poeta arguitissimi & vivacissimi ingenii.

(3) *Extat haec in Volumine VI.* Vitarum Italorum doctrina excellentium. *Multa in illam addidimus monumenta, quae mirabiliter comprobant veritatem narratarum rerum, quaeque brevitatis caussa hoc loco praetermittenda duximus.*

Digitized by Google

ut illi longius quidquam minime fuerit, quam Augustinianorum familiae nomen dare. Praestitit id Arimini, ex qua urbe, vix exacto tyrocinio, concessit Romam evocatus a Fulgentio Petrello, qui universae familiae praeerat. Nam cum a multis audiisset, & ipse quoque per se novisset, posse Norisium, quam se cumque in partem dedisset, perfectum evadere, exercendam illius industriam eo in loco putavit, in quo esset sacrarum disciplinarum domicilium. Coactus ipse audire Scholasticos, & in eorum putidis ineptisque disputationibus quotidie versari, quibus omnem ingenii admirationem, omnem laudem theologiae ii contineri existimabant, animi quodam judicio coepit ab iisdem abhorrere, & hanc disputandi exercitationem tacite exagitare atque contemnere. Itaque majora spectans, quae subtilior cognitio, ac ratio litterarum alere debebat, quaesivit a Christiano Lupo, qui per illos dies Romam advenerat, qua ratione posset, eo, quo intendebat, pervenire. Cum audiisset ab ipso nomen theologi eos solum mereri, qui diu & multum in SS. Ecclesiae Patrum, Conciliorumque lectione sint versati, qui omnem pene noverint antiquitatem, & multarum sint linguarum peritia exculti, adolescens industria summa, & ingenio uberrimo affluens haec curanda sibi esse, ac quaerenda, & investiganda duxit. Gratus vero in Lupum, a quo plurimum se adjutum fuisse ad rectam studiorum rationem ineundam palam profitebatur, tanquam parenti omnia semper tribuit officia. Adfuit ei etiam demonstrator, & tanquam mystagogus, cum admiranda urbis quondam terrarum dominae inviserer, tantaque cura incumbebat in omnes res illius, ut nisi familiae praefecti hujus conjunctionis dulcedinem minuissent, jusso Norisio theologiam Pisauri docere, retinere Romae Lupum, quod vehementer ab ipso Pontifice propter summam hominis doctrinam exoptabatur, facile potuissent. Hic vero memoriam extare voluit sui singularis amoris in Norisium, cum ei ab adolescentia nondum egresso epistolam inscripsisset de *Christiana contritione*, qua dissertationem hac ipsa de re antea vulgatam ab invidorum calumniis liberavit. Dum autem Norisius omni contentione animi in

inquirendis antiquitatis, praesertim christianae, monumentis elaborabat, minus de theologia scholastica sollicitus, ferre debuit reprehensiones suorum, quorum erat sententia, theologiam non solum augeri, sed omnino ali Scholasticorum disputationibus. Sed quoniam Norisius oppressus jam erat opinionibus non modo vulgi, sed etiam hominum leviter doctorum, qui eruditionem a theologia, tanquam ab animo corpus, sejungebant, inane illud, & iis temporibus consentaneum genus theologiae pluribus in locis docere debuit. Docuit quoque Romae Peripateticam philosophiam, quod munus illa conditione accepit, ut sibi liceret fateri nescire quod nesciret, neque imitari morem illorum, qui e scholis aut cantilenam, aut acres, litigiosas atque pertinaces disputationes requirunt. Neque minus invite aliis muneribus praepositus fuit Norisius, & conciones, quanquam minus aptus ad eloquentiam videretur, saepe habere debuit ad populum, & ad comitia familiae singulo quoque anno venire. Quid tam perversum praeposterumque excogitari potest, quam abstrahere homines ingenio abundantes a litteris suis, abripere ab itinere, quod natura illis assignasse videtur, & ipsos vel invitissimos cogere in quodam studiorum genere omni barbarie inquinato versari? Nisi hoc malum importatum fuisset per religiosas familias, sane litteratorum respublica in fastis suis, quibus maxime gloriatur, multorum nomina immortalitati consecrasset, quae nunc quasi perpetua oblivione obruuntur. Quidquid igitur elaborabat Norisius, ut e fontibus, minime vero e rivis divinarum rerum notitiam hauriret, studiose occultabat: & si quos adolescentes invenisset, quibus gloria & dignitas scientiae cara esset, hos secreto hortabatur, ut animo rei magnitudinem complecterentur; ne se in disputantium scholas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi & compingi sinerent; neque iis aut praeceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus omnes fere tum utebantur, sed aliis quibusdam se id, quod expetebant, consequi posse confiderent. Ut vero illos molestos & odiosos clamatores exemplo convinceret, magno apparatu opus esse theologo, & rebus exquisitis undique, collectis, arcessitis, com-

comportatis, quotidie ex se gignebat aliquid, quod cum laboriosa delectatione vestigabat ad auctoritatem Augustinianorum dogmatum vindicandam, narrandamque historiam bellorum, quae sapientissimus Doctor cum pervicacissimis haereticis gerere coactus est. Ex his exercitationibus effloruit opus *de Historia Pelagiana*, cui paullo post accessere *Dissertatio historica de Synodo V. Oecumenica*, & *Vindiciae Augustinianae*, quae omnia anno MDCLXXIII. Patavii, ubi magistri munus apud suos exercebat, Norisius in lucem emisit. Sed priusquam id praestare posset, Romam petere coactus est, quo refelleret & coargueret Jesuitarum mendacium, qui universi ajebant his scriptis quasi veritatis lumen extingui, & certiora de divina Gratia dogmata funditus everti. His sparsis rumoribus, male acceptus fuit Norisius a quibusdam Cardinalibus, quibus cura commissa erat inquirendi in violatores Fidei, & vel ab ipso Hieronymo Casanata, viro docto & sapiente, qui in illorum Cardinalium Decuria *Assessoris*, ut vocant, munus sustinebat; sed in caussa facili & explicata contigit Norisio eos ipsos, apud quos accusabatur, non modo propugnatores sui, sed etiam ornatores habere. Nam a Cardinali Barberinio attributa pecunia ad imprimendum opus, & quod triumphi instar fuit, ipse Censor factus est librorum (*Qualificatorem* nominant) qui ad Decuriam ipsam deferuntur. Itaque jussus est, explicatis rebus suis Patavii, ad Urbem remeare. Erant nonnulli (& hi quidem aut Norisii scripta minime legerant, aut de iis judicare non poterant) qui affirmabant actum eumdem egisse, cum post Baronium, Rivium, Vossium, Latium, Usserium aliosque de rebus Pelagianorum scribendum suscepisset. Baronio quidem, Usserio, & Rivio id unice curae fuisse videtur, ut historici partes agerent, eaque propter Pelagianorum ortum, progressum, atque exitum accurate quidem exposuere, sed in eorum dogmatibus, oppositisque Patrum sententiis referendis, examinandisque parcissimi fuerunt. Praestitit id Joannes Vossius, quo exortas apud suos Batavos de divina Gratia ac libero arbitrio controversias componeret, cujus vestigia postea secutus est Latius. Nihilo tamen minus

Digitized by Google

haud se dubitare ajebat Norisius, quin multa adhuc essent, quae summos illos viros praeterierint, quod quidem re probavit, cum in contexendo, de quo diximus, opere multa nova protulerit. Non omnia tamen protulit. Nam eo, quo scripsit, tempore neque Jo. Garnerius, neque Stephanus Balutius integra Marii Mercatoris opera, neque Christianus Lupus *synodicon adversus tragoediam Irenaei* in vulgus emiserant, neque extabant Vigilii Papae *Constitutum*, & S. Columbani *epistolae*, & aureus libellus *de mortibus Persecutorum*, qui Lactantio Firmiano tribui solet, & alia hujus generis plura antiquitatis monumenta, a quibus Pelagianorum historia mirifice illustratur: quare minime est mirandum si alii eamdem rem postea & eruditius & copiosius pertractarunt. Porro in iis, de quibus lectores suos docet Norisius, vix desideres perfectius dici; & quod res erant magnae, implicatae, variae atque graves, de quibus homines docti minime inter se conveniebant, distincte, explicate & abundanter eas illustravit aperuitque. Habet nonnulla, quae sumpsisse a Garnerio videri potuisset, si *Historia Pelagiana* serius *Dissertationibus in Marium Mercatorem* emissa in vulgus fuisset. Quoniam vero caput illius historiae esse putavit Norisius, ut ostenderet Origenem Pelagianorum principem fuisse, & Theodorum quoque Episcopum Mopsuestiae eorum sententiis addictum & consecratum fuisse, separatim disserendum suscepit *de V. Synodo Oecumenica*, a qua eorum errores judicati ac damnati fuere. Qua quidem in re se operae pretium facturum putavit, & quod ejusdem Synodi historia confusius ab aliis exposita esset, & quod Petrus Halloixius Leodiensis magno apparatu illius auctoritatem, nimis in Origenem & Theodorum, aliosque Pelagianos & Semipelagianos, ac turpem illorum caussam propensus convellere studuerat. Quoniam vero mos erat Norisio tempora omnium rerum, ac personarum, de quibus disserendum susceperat, distinguere, placuit ei multorum errores corrigere de imperio Justiniani, Justini II. Tiberii & Mauricii, de annis Totilae, & de universo Gothico bello, illud inter cetera ostendens, quod omnes antiquitatum investigatores fugerat,

Procopium res, quae duobus annis acciderant, in unum compegisse. Quanquam hi libri, in quibus Augustini sententiarum de divina Gratia explicatio & defensio posita est, omnem fere hujus generis doctrinam continere videantur, singularis tamen Norisii in Parentem amor & cultus, & magnitudo doloris, qua audiebat ab impurissimis hominibus inexpiabili scelere, impune tamen, sanctissimi Doctoris sententias, ac libros perstringi, facile ab eo obtinuerunt, ut separatim ejus defensionem arriperet. Quod ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas defensori defuit, qui in Magistri caussa perorandа visus est a mortuis excitasse sanctissimos Pontifices, Bonifacium praesertim & Caelestiuum, & illa lumina Augustinianae scholae Prosperum, Fulgentium, Caesarium, Prudentium, Remigium, aliosque bene multos non tam doctrina, quam sanctitate praestantissimos viros, & ab iis exigere, ut quemadmodum olim adversus furiosorum impetus sartam & tectam esse voluerunt summi Doctoris laudem auctoritatemque, sic eamdem a recentium theologorum calumniis, tanta est impunitas garriendi, tantusque novitatis disseminandae amor, propugnarent! Nihil est objectum, quod *Augustinianae Vindiciae* (sic enim liber inscribitur) scienter & perite non diluant, & contorta & aculeata adversariorum sophismata adeo patefaciunt, ut omnem suspicionem in illos ipsos recidere intelligas. Examinantur illorum sententiae, quae minus favere Augustinianis dogmatibus putabantur, & in extremo libro centum & triginta quinque recentiorum contra sanctissimum Doctorem censurae, convicia ac dicteria referuntur, certissimis auctoritatibus comprobante Norisio, ea omnia ab eodem Doctore aliisque Sanctis Ecclesiae Patribus jamdudum fuisse repulsa. His vulgatis, quoniam se maxime peti Jesuitae intelligebant, majora etiam alienati & offensi animi signa dederunt. Sed non propterea commotus est Norisius, qui satis se armis instructum putabat, quibus vel tectus ipse esse posset, vel provocare inimicos, vel se ulcisci lacessitum. Praeter quam quod caussa erat ejusmodi, in qua sibi nec dissimulandum, nec pertimescendum videbatur, ne aut metuendo ignavissimus, aut

ignorando stultissimus judicaretur. Non defuerunt qui vel in concionibus ad populum contumeliose laederent Norisium, ceterosque, qui recentes theologos insectari & exagitare audebant, poenas ab optimo quoque deposcentes sui doloris, quas improbissimo cuique inusserat magistratuum severitas. Ad imminuendam vero Norisii famam ajebant, Pelagianam historiam ab illo minime confectam fuisse, sed a Francisco Macedo ex *Minorum*, ut vocant, *Observantium* familia, & in Patavina Academia Ethices Doctore, quod cum persuadere hominibus non potuissent, nihil non egerunt, ut Macedum ipsum in Norisium concitarent. Pudet hujusmodi machinationes referre, nec libet singulas inquirere. Quod Romae videbat consociatos accusatorum greges, quodque minime sperabat se posse ibi tranquille ac libere propter multas occupationes studiis suis vacare (nam quae ibi scribebat, erant fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa, aut periculosa, aut certe gratuita) libentissime munus accepit docendae Ecclesiasticae historiae in Academia Pisana, cujus disciplinae cathedra tum primum instituta fuisse videtur, auctore Antonio Magliabechio, qui in hac facultate tantum tribuebat Norisio, ut illi neminem superiorem poneret. Assignatum eidem stipendium fuit CCCLXXX. centussium, jussusque nihil non sperare a beneficentissimorum Principum, ac praesertim Leopoldi Cardinalis liberalitate. Autumno an. MDCLXXIII. in Etruriam venit; & cum coepit e superiori loco dicere, magna frequentia, magnoque plausu auditus est, quod nihil non graviter, non subtiliter, non erudite, denique non theologice diceret. Interdum etiam facetias & jocos adhibebat tum ad nimiam orationis gravitatem relaxandam, tum ad auditorum benevolentiam sibi magis magisque conciliandam. Dolebat scholasticas exercitationes se revocasse semper ab iis studiis, quae ad orationem ornandam atque illuminandam valent; & quoniam vix ullam sententiam illustrem esse putabat sine luce verborum, magno labore effecit, ut in hac quoque arte quidquam sibi deesse minime videretur. Id enim affert ratio, docent litterae, confirmat consuetudo & legendi & loquendi. In his exerci-

tationibus comitem habebat Jacobum Gronovium, cui munus commissum erat docendi in ipsa Academia Pisana humaniores litteras, in quibus excellere putabatur. Multi quidem sperabant hanc studiorum similitudinem, suavitatem consuetudinis, delectationem vitae atque victus, sermonis societatem, interiores litteras aditum fore homini Batavo ad Catholicam religionem amplectendam; & Norisius quidem nihil praetermisit, quantum eniti potuit, quin ipsum a Calvini erroribus avocaret. Quo studio providit, ne ullum ipse existimationis detrimentum faceret, utque suam in Magliabechium benevolentiam, cui magnopere cordi erant gloria & commoda Gronovii, navare posset! Sed ea postea acciderunt, ut Norisius virtute, & officio suo, minime vero exitu rerum laetari debuerit. Erant malevoli (late enim patet hoc vitium, & est in multis) qui affirmabant teneri Gronovium a Norisio specie quadam assimulatae amicitiae, verum secreto ab eodem contemni, & odia in illum strui. At qui haec suspicari possumus de homine, qui nihil non modo perfidiosum, & insidiosum, & fallax in amicitia, sed ne humile quidem ac jejunum ferre posse videbatur? Quo plura in Norisio erant virtutis & industriae ornamenta, eo mirandum est minus non defuisse illi malevolos, qui quidem cum indignatione videbant ipsum sudare acriter laborantem quomodo non solum tueretur, sed etiam vinceret expectationem, quam de se concitaverat. Quia multis gratum esse cognovit, & probabatur maxime ab Academiae Curatoribus, eam a se praesertim illustrari historiae Ecclesiasticae partem, quae cum Constantini imperio conjungeretur, hoc oneris ac muneris libentissime suscepit. Magnum enim per id sibi suppeditari campum intelligebat, in quo excurrere sua doctrina cognoscique posset, praesertim cum Arianorum atque Donatistarum praecipuae res gestae ad eadem spectarent tempora. Non ei erat in animo Baronium exscribere, sed suis ponderibus omnia ab eo aliisque prolata examinare, de unaquaque re subtiliter & copiose, quemadmodum in historia Pelagiana praestiterat, disputare, & ita limare veritatem, ut omnem legentibus tolleret dubitationem. Quo instrumento indi-

guisse hominem putamus, qui haec sibi proposuerat? Sed omnia abunde aderant Norisio, doctrina, eruditio, perfecta cognitio antiquitatis, critice, dona illa naturae ad divinandum, comparandum, perspiciendumque quid in quaque re verum esset, quid probabile, quid non: & quod omnes ingenuas & humanas artes uno quodam societatis vinculo contineri, & mirum quemdam omnium quasi consensum doctrinarum concentumque esse intelligebat, ex disparibus dissimilibusque facultatibus multa sumpsit seposuitque, quae magno adjumento sibi in sacris litteris illustrandis fuisse affirmavit. Atque his tot tantisque cognitionibus instructus ad historiam Donatistarum conscribendam animum cogitationemque adjecit. Quantis laboribus, quantisque vigiliis sibi steterit ea colligere, quae ad opus contexendum, instruendosque in his ipsis rebus discipulos suos pertinebant, declaravit amicissimo suo Antonio Magliabechio, & quod ejus fama pervulgata erat, ad illud ipsum in lucem emittendum saepe cohortationibus amicorum incitabatur. Nam quamvis Baronius in Annalibus, Rivius in Augustini vita, Balduinus atque Albaspinaeus in observationibus ad Optatum, aliique multa de Donatistis conscripserunt, horum tamen nullus plane eruditorum desiderio satisfecisse videbatur. Sed hoc nec facere licuit Norisio, quod multa retardaverint laborem illius. Eodem mortuo, cum quae scripto mandaverat, in manus pervenissent fratrum Balleriniorum, eorum industria, diligentia ac prudentia omnino singulari factum est, ut quae dispersa & confusa erant, ratione atque ordine distribuerentur, quae vix Auctor tetigerat, apertius explanarentur, & multa, quae deerant, supplerentur. Sane non mediocriter facit ad laudem Norisii, quod doctissimi viri ejus de Donatistis historiam publica luce haud indignam judicaverint, cum extarent jam quae Tillemontius, ac praesertim Dupinius, homines cum paucis comparandi, hac ipsa de re conscripserant. Libuit quoque iisdem proferre in publicum, quasi operis appendiculam quamdam, nonnullas *Praelectiones* habitas a Norisio in Academia Pisana, quae quamvis inconditae sint (multa enim iis memoriter in recitando addere solebat)

Digitized by Google

satis tamen declarant, quam interiores & reconditae litterae essent in eo, & cognitam ipsi fuisse omnis fere antiquitatis memoriam. Dolendum tantum virum distractum ac pene divulsum fuisse adversariorum petulantia, ne dicam perfidia, a perficiendo multa, quae inchoaverat, in quibus res Catholicae Ecclesiae agebatur. Illa, quibus repulit contumeliosas voces in se & scripta sua emissas, quamvis e penitissima theologia atque eruditione plerumque hauserit, ejusmodi tamen sunt, ut iis facile carere possemus. Instabat acriter Franciscus Macedus, seque perpetuum bellum cum Norisio habere velle ostendebat. Ad hujus impudentiam reprimendam edidit libellum, quem *Adventoria* inscripsit, quoque probavit, se merito in Pelagiana historia affirmasse S. Vincentium Lirinensem, & S. Hilarium Arelatensem, priusquam Semipelagianorum haeresis damnaretur, harum partium fuisse, jureque optimo (quod est praecipuum libelli caput) contendisse adversus Baronium in inscriptione libri S. Augustini *de Gratia Christi* legendum *Albine, Piniane & Melania*, quamvis priori nomine femina notetur. Ait enim illa aetate feminarum nomina non semper feminina terminatione elata fuisse, quin immo consuevisse Ecclesiae Patres in eorum scriptis masculinam praeferre. Sic cum feminam, non virum fuisse ostendisset Albinum, plura de ejus origine, familia, parentibusque disserit; quam dissertationem se festinanter idcirco scripsisse ait, ut haec ei Romam *advenienti* statim occurrere posset. Haec *adventoria* impulit Macedum, hominem prompta audacia, ut majora adversus Norisium moliretur. Non pudebat Franciscanum illum maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convicio arripere, quod multi indigne ferentes Norisii defensionem suscepere. Atque in primis celebratum fuit scriptum, cui titulus *Thraso, aut miles Macedonicus Plautino sale perfrictus*, quod semel iterumque impressum fuit Altdorphii Noricorum primum, cum nomen prae se ferret Hannibalis Corradini Veronensis, deinde Lovanii nomine Hannibalis Buttarini Veronensis. Plerique in ea fuerunt sententia, & in his Jo. Albertus Fabricius, & Ephemeridum Italarum Scriptores, sub iis homini-

bus latere voluisse Norisium, ceterum ex ejus officina prodiisse libellum non Attico, sed salsiore quodam perspersum sale, & scenica venustate conditum. At istud ille semper negavit, & vel ipsi Autonio Magliabechio, cum quo nihil unquam habere voluit clausum atque reconditum. Illud eriam addere solebat non mediocri argumento esse, hunc foetum ex se minime extitisse, quod totus creverit ex Plautinis copiis & ornamentis, quorum ipse semper fuerat ignarus. Sed hisce rebus potius irritata, quam repressa fuit Norisii adversariorum audacia. Defertur ejus Pelagiana historia ad Romanos Quaesitores Fidei, & Joannes a Guidicciolo (quis latuerit sub hoc nomine ignoro) dignam existimavit amplissimo ordine censoriam animadversionem suam, qua Bajum & Norisium plurimis in rebus mirifice inter se congruere, persuadere volebat. Acute argnteque huic animadversioni respondit Norisius motus Magliabechii aliorumque exhortationibus, & mutuari visus est defensionem suam a Macedo, cum ex ejus operibus eruisset, quod valebat ad probandum, quidnam esset illud, quo Bajus & Norisius inter se differebant. Libellus inscribitur: *Responsiones P. Francisci Macedi adversus propositiones parallelas Fr. Jo. a Guidicciolo collectae ab Annibale Riccio*. Hanc vero caussam attulit Norisius, quare usus sit Macedi auctoritate atque testimoniis, quod non dubitabat plurimum ea ponderis habitura apud amicum & collegam ipsius Macedi, qualem Guidicciolum esse suspicabatur. Res interea vehementer agitabatur apud Quaesitores Fidei, auctore maxime Albitio Cardinale, quem cum deditum obstrictumque, & ad quidlibet audendum (erat enim vehementia atque petulantia prope iucredibili) paratum haberent Jesuitae, eo architecto & machinatore maxime utebantur ad traducendos judices in partes suas, & ad discordiae atque invidiae flammam ubique disseminandam. Obstitere huic maxime clarissima illa Romani Senatus lumina, Columna, Casanata & Azolinius, neque querelarum, neque contumeliarum modum fore praedicentes, si quod Patres olim sua sententia, adnitente maxime Cardinali Bona, quo nemo sanctior & prudentior fuit, comprobarunt, pro

Digitized by Google

adversariorum libidine fas esset ad examen revocare. Dolentes Jesuitae de dilato judicio in vulgus edunt *Germanitates Jansenii & Norisii;* & quod suspecta iis esset Romanorum judicum fides, adducunt in scenam Humbertum Cartusianum Jesum Christum iis verbis alloquentem: *Surge, Domine, judica caussam tuam*. Quid plura? Comminiscuntur Norisium sua tandem agnovisse errata, & ipsum, edito scripto quodam, eadem retractare, & submisse veniam delicti petere. Praeter id liber vulgatur cum hac inscriptione: *Censura del P. Enrico Noris sopra le risposte raccolte dal P. Annibale Ricci in nome del P. Macedo alle proposizioni parallele del P. Gio. da Guidicciolo Lettore Giubilato Min. Osserv.* qua re (argutule quidem) concludi volebat suimet poenituisse Norisium, quod Macedi sententias male interpretatus ad suam caussam ipsas transferre studuerit. Prodiit etiam in lucem *retractatio P. Henrici Noris de Calumnia Semipelagianismi imposita S. Vincentio Lirinensi*, & hujusmodi alia (neque enim singula referre libet) iisdem fucata ineptiis, & aspersa mendaciis. Tantam impudentiam adversariorum cogitanti Norisio saepe Cardinalis Bonae & ipsius Magni Etruriae Ducis sententia vera & sapiens videri solebat, qui se semper ab omni contentione ac dimicatione revocaruut. Sed quoniam ingresso jam stadium res in integro haud amplius erat, se ab iis contemni ac despici minime sivit, praesertim cum ea in re sui existimatio ingenii, rectique in theologicis disciplinis sensus ageretur. Itaque libellum edidit cum hoc titulo: *Responsa P. Francisci Macedi adversus gerras Germanas Germanitates Cornelii Jansenii & Henrici Norisii collecta ab Annibale Riccio*. Huic addita deinde est epistola quaedam ad confutandum Fulgentium Risbrochium (quis hanc personam induerit ignoro) qui omne contumeliarum genus in Norisium tanquam haeresis reum jecerat, & ad ostendendum totam ex rebus fictis & commentitiis constare epistolam post damnatum a Romanis Judicibus Risbrochii librum vulgatam hac inscriptione: *Henrici Noris Eremitae Augustiniani ad suos fratres Eremitanos epistola gratulatoria Italice manuscripta*,

Digitized by Google

& a quodam Concellius Latine traducta & publicata. Per idem ferme tempus de damnatione operum Norisii Venetiis ferventer loqui est coeptum. Habebat ille nonnullam invidiam, quod asseruerit Aquilejae Patriarchatum ab illius civitatis schismate ortum duxisse, quam sententiam tantum aberat esse ipsius Norisii propriam, sicuti contendebat Macedus, ut eam communem non solum cum Lupo, sed etiam cum Baronio, Sirmundo & Bollando haberet. Res per summam fraudem & malitiam ad Judices in Jesuitas propensos & cum Macedo conjunctos delata primo vacillare & claudicare visa est; sed novo iis addito judice, opera praesertim Nanii Senatoris amplissimi, cujus multum apud omnes valebat auctoritas, nec non Basadonnae Cardinalis, tanta accidit commutatio, ut non modo nullum detrimentum existimationis fecisse Norisium, sed ejus amplitudinem inimicorum injuria plurimum illustratam fuisse aequi homines judicaverint. Conjectus est etiam in carcerem Macedus, quod saepe, & sine caussa tumultuaretur. In hac turbulentissima tempestate a Gallis quoque de honore suo timere debuit Norisius. Nam Ferricro, qui erat Regi a confessionibus, omnem movente lapidem, non solum cautum ne in Galliae regno Norisii opera ad rem theologicam pertinentia imprimerentur, sed etlam mulcta iis typographis dicta, qui id facere instituerant. Surrexit etiam ad lacessendum vir Germanus, nisi quis alius, ut putabatur, latere voluit sub F. Brunonis Neusser nomine; & in tanta librorum turba, qui se in omni maledictorum genere effundebant, nunquam Norisii constantia, animique magnitudo debilitari potuit. Scopulum dixisses, a quo frangi oportebat vel magis tumescentes fluctus. Illi vero risum magis quam stomachum movere ei solebant, cum tantis ipsum sceleribus esse & factis notatum dicerent, ut Manichaeo, Lutherano, & Calvinista, ceterisque hujusmodi pestibus detestabilior esse videretur. Cum autem invitaretur ad prodendos horum maledictorum miserrimos auctores, illam Plinianam sententiam usurpare solebat: *Quisquis ille, qualiscumque, sileatur; quem insignire exempli nihil, non insignire huma-*

Digitized by Google

nitatis plurimum refert. Neque illa non mediocria erant solatia, habiti honores, decreta virtutis doctrinaeque praemia, res gestae atque scripta prudentissimorum hominum judiciis comprobata. Nulla est enim laus tam insignis, neque ad diuturnitatem memoriae tam stabilis, quam ipse a doctissimis non solum Italorum, sed etiam Gallorum, atque Belgarum non reportaverit. Itaque sic illudere solebat adversarios suos, ut ostenderet non modo eos illius expertes esse prudentiae, quam sibi adsciscerent, sed ne viam quidem ac rationem illius sibi comparandae nosse. Patiamur (ita ferme scribebat ad amicum) furiosos istos & sordidos, qui se magistros profitentur, debacchari, & pullos suos excludere in nido, qui evolent, clamatores odiosi ac molesti. Horum quidem in numero minime ponebat Garnerium; quin immo sic eum excellere ingenio & doctrina affirmabat, ut tertium post Petavium & Sirmondum ei locum concederet. Illud etiam addebat ingenue, se historiam Pelagianam minime editurum fuisse, si, antequam ederet, extitissent Garnerii Dissertationes de Mario Mercatore, quod essent plurima in iis, de quibus, uti supra commemoravimus, cum illo ipse mirifice congruebat. Quaedam etiam eodem doctore corrigenda sibi esse putavit, quorum in numero ponenda sunt, quae ad Rufinum Aquilejensem pertinent. Sed cum postea animadvertisset plura quoque fugisse Garnerium, in quibusdam ipsum peccasse, atque diligentioribus aliorum pervestigationibus laudem non-mediocrem reliquisse, fortasse laboris sui illum minime poenituit. Quamobrem nemo mirabitur si Magliabechii hortatu (nam neque auctoritate quemquam apud se plus illo valere posse dicebat, neque voluntate) *Censuram* edidit *in notas Jo. Garnerii ad inscriptiones Epistolarum* XC. *&* XCII. *inter Augustinianas*. Hae epistolae missae fuerant ad S. Innocentium Pontif. Max. caussa Synodorum Carthaginiensis & Milevitanae, quae habitae sunt an. CCCCXVI. ad damnandam Pelagianorum haeresim. Prae se ferunt illae quidem nomina Episcoporum, qui iisdem Synodis interfuere, sed quae eorum sedes fuerint id in media antiquitate retrusum atque abditum erudi-

tissimi viri semper judicaverant. Quod igitur alii minime quaesierant, hoc a se novum prolatum esse gloriabatur Garnerius, consultis veteribus monumentis, ac praesertim *Codice canonum Ecclesiae Africanae*, *Parte prima collationis Carthaginensis*, & *Notitia Provinciarum Africae edita a Sirmondo*. Coercendum hominem putavit Norisius se se insolentius jactantem, quasi in suo regno versaretur. Scripta igitur ad Magliabechium epistola omni reconditiori eruditione ornata atque referta, probavit Garnerium saepe peccasse in discernendis Africae civitatibus, multas ignorasse, quasdam, ut ita dicam, excitasse, plurium Dioecesium jura ac limites confuse & permixte descripsisse, neque in locorum solum, sed & personarum ac temporum designatione hominem ceteroquin multis aliis rebus admirandum turpiter errasse. Ut in hoc certamen descenderet [quanquam falso audierat Garnerium minime perpugnacem esse in disputando, sed perfacilem in audiendo] fecit non invidia, sed veritatis atque Italiae amor. Liquebat enim a Gallis praesertim sic judicari de Italis, quasi in hoc studiorum genere hospites essent atque peregrini. Plurimum elata est haec epistola a doctissimis viris; impressa quoque iterum fuit a Joanne Pherepono, seu Clerico, & relata demum in Appendicem operum S. Augustini, quae lucem adspexit Antuerpiae an. MDCCIII. Biennio postquam haec Norisius scripserat, Garnerius cum in lucem proferret *Liberati Breviarium*, huic Dissertationem adjecit, qua praecipua capita Dissertationis Norisianae de Synodo V. refellenda suscepit. Id autem praestitit tanto eruditionis apparatu, tantaque argumentorum copia, ut eruditi fere omnes, qui libenter iverant in Norisii sententiam, hanc deseruerint. Sed mira erat ars Garnerii in traducendis hominibus ad suas partes, & in eo, quod intendebat, confirmando, & quod contra diceretur refellendo. Ipsa rerum varietas & copia, digressio a proposito non tam caussa delectandi, quam conficiendi aliquid confirmationis, aut reprehensionis, reditus ad rem aptus & concinnus, distributio, praemunitio ad id, quod aggreditur, anteoccupatio, ille magnificus eruditionis apparatus, ut vel il-

illa, quae patent, in promptuque sunt omnibus, ejus interpretatione atque explicatione eguisse videantur, plurimum non solum apud mediocriter eruditos, sed etiam apud homines doctrina abundanti valebant. Cum probandum suscepisset adversus Norisium minime Origenis caussam cognitam judicatamque fuisse a Synodo V., novam ipse confingit Synodum, quam a Menna Constantinopolitano Episcopo habitam, ab eaque an. DXXXXI. rem illam totam confectam fuisse ait. Id autem simile adeo vero videtur, ut Dupinius & Caveus (qui quantique viri!) hujus Concilii acta descripserint, eademque in Conciliorum corpus, quod Venetiis postremo editum est, relata fuerint. Constat quidem Justinianum Imperatorem edicto suo damnasse Origenem, atque illud ad Mennam misisse, & ea de caussa habitum Constantinopoli conventum quemdam: sed adeo abest ut sint propria hujus conventus, quae Evagrius V. Synodo tribuit in eo, quod pertinet ad Origenis atque Origenistarum caussam, ut solus Garnerius fucum, quemadmodum ajunt, facere hominibus potuerit. Nos libenter sequimur Ballerinios fratres, qui in contexenda *defensione Dissertationis Norisianae*, nec suum civem unquam deseruerunt, nec quidquam illius adversarii audaciae (si pauca quaedam, neque ea maximi momenti excipias) concessere. Neque minus aperte docuerunt cur Garnerio a controversia de Africanis Episcopis, de qua supra commemoravimus, desistere necesse fuerit, qui in ipsis suis responsionibus ad Norisii *Censuram* satis ostendit se non injuria ab eodem fuisse reprehensum. Quo magis vero & feriret & refelleret adversarium, patrocinium Halloixii suscepit, cum quo Norisium de auctoritate Concilii V. Oecumenici disputasse narravimus. Quamvis Garnerius neque patienter, neque moderate se gesserit, & superbius, quod indignum est sapientis gravitate, appellare soleret Norisium, his tamen viris non mediocris gratia habenda est, quod inter se, editis scriptis, digladiati sint. Nam veritas ipsa limatur in disputatione, & persuadendi necessitas, & victoriae amor exacuit ingenii aciem ad rationes agitandas exquirendasque. Itaque vir summus Theodoricus Ruinartius,

cum totus esset in exponenda Africae geographia, maximum se percepisse fructum affirmavit ex disputationibus Garnerii & Norisii, qui ad vexandum adversarium *multa non minus erudito, quam subtili calamo de Africanis urbibus abstrusa prius, & multis ambagibus involuta explicuit & detexit*. Gaudebat vero Norisius a tanto viro probari argumenta sua, & si qua de re discrepantes ipsi fuerunt, id hanc plerumque habebat caussam, quod *Africana notitia, & collatio Carthaginensis*, ex quibus sacra Africae geographia maxime pendet, post editam a Norisio *Censuram*, novosque inventos codices, emendatiores recusae fuerunt. Cave vero putes studium vincendi in Norisio cum pertinacia fuisse conjunctum. Refelli enim sine iracundia paratus erat, ac veritatis vi coactus facile errorem suum fatebatur, illa Chremetis Terentiani usurpans: *homo sum, humani nihil a me alienum puto*. Video me multa breviter percurrisse, & multo plura praeteriisse, ex quibus judicari posset quantam scientiam & studium contulerit Norisius ad Ecclesiasticam historiam illustrandam. Sed ea si paullo latius dicere, & omnia explicare vellem, non historiam scribere viderer, & ii, qui haec tradere solent, rerum sacrarum interpretes ac magistri, aut me ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones temere irruissem, aut saltem loquacitatem meam vultu ipso aspectuque conterrerent. Cum tot controversiarum fluctus sedati esse viderentur, seu quod importunitatem ex invidentium mentibus evellisset vis doctrinae Norisii, seu quod exercitatione & consuetudine patiendi idem fortior factus eos contemnere didicisset, quod ad eorum furorem restinguendum maxime valebat, potuit liberius ac tranquillius studiis suis vacare. Multis in rebus admirari debemus Norisii prudentiam; sed in investigatione omnis antiquitatis ita felix fuit, ut perpaucos invenias, quos cum illo comparaveris. Jam ab adolescentia Panvinii civis & collegae sui gloriam aemulari sibi proposuerat, & multa praesertim chronologica acute collegerat ea mente, ut corrector aliquando, & emendator esset Baronii; quam cogitationem postea abjecit, quod ejus industria

plura in studia occupationesque fuerit distracta. Sed veterrima quaeque ad se se illum trahebant, & quod arctissimam esse colligationem & societatem cum sacrae, tum profanae, ut appellant, antiquitatis esse intelligebat, utriusque inquirendae artem sibi assumpsit. Porro quot in errores, ut rem claris comprobemus exemplis, ad geographiam spectantes induxit numismatum ignoratio Labbeum, ceterosque veterum Conciliorum collectores editoresque? & qui in his non satis versati fuere, uti Salmasius, Harduinius, aliique, quam saepe peccarunt in notatione urbium! adeo verum est utramque antiquitatem conjurare amice, & alteram alterius poscere opem atque auxilium. Quanquam Norisius ex monumentis Romanorum multa saepe deprompserit ad ornanda atque illustranda scripta sua, in iis tamen explicandis tum coepit separatim elaborare, quando a Leopoldo Mediceo Cardinali jussus est unam alteramque Dissertationem conscribere *de Numismate Imp. Diocletiani, & Maximiani, & de Nummo Liciniani Licinii Augusti*. Illa priori Dissertatione rarissimi numismatis subsidio non desperavit per se tandem fieri posse, ut Consulares Fasti ea in parte, quae ad Diocletiani imperii annos pertinet, emendarentur, quod adeo difficile visum est Scaligero & Petavio, ceterisque, qui in hujusmodi studiis aetates contriverant, ut rem saepius tentatam in medio reliquerint. Hoc dum praestitit Norisius, tanta eruditionis dote locupletavit Dissertationem suam, ut & alia numismata, quibus opportunissime usus est ad suam comprobandam sententiam, & marmoreas inscriptiones illustrare, & plures titulos legum Codicis Justinianei emendare, & Capitolini textum suae lectioni restituere, & alia hujusmodi multa optimo in lumine collocare potuerit. Altera Dissertatio eo in argumento versatur, ut probet Licinium Augustum Nicomediae, cum ibi domicilium suum collocasset, decennalia Imperii celebrasse, & Nicomedienses ad sibi magis magisque Augusti gratiam conciliandam, nummos procudisse, in quibus Licinii vota decennalia soluta, simulque vicennalia nuncupata obsignarunt, hoc inscripto titulo: OBLATIONIS DEVOTAE *Licinii pueri Aug. F.*

Ad haec demonstranda necesse fuit Liciniani tum in Europa, tum in Asia imperii chronologiam ex multis aliis antiquitatis monumentis certo colligere: neque credibile est quot quantaque minime a proposito aliena perspicacissime indagare, invenire, & ex tenebris eruere potuerit. Quam accepta haec fuerint Leopoldo Cardinali, qui quidquid habebat ad antiquitatem pertinens, apertissimum promptissimumque semper esse voluit Norisio, ex singulari illius in litteras studio facile quisque conjiciet. Non aeque probabat Cosmus Magnus Dux, qui optasset, ut Norisius omnem operam suam poneret in sacrarum litterarum studiis, quarum interpretandarum munus ei assignaverat. Quaerenti Norisio de decennalibus Licinii Augusti mota est quaestio a Ferrante Capponio Pisanae Academiae, ut vocabant, Auditore, num illa solemnis precatio anno imperii decimo ineunte, vel potius exeunte, aut absoluto perageretur. Hanc alteram sententiam dum certissimis argumentis comprobat [unum tamen Licinium Augustum excipit, cui primum libuit decennalia ineunte decimo imperii anno celebrare] sic peragrat per omnes aetates, ut quidquid esset indicii, monumentorumque ad non satis explicatam historiam hujusmodi votorum ab eorum origine ad Constantini usque tempora contexendam, & sagaciter investigaverit, & feliciter inventum ad severioris critices praecepta perpenderit. In isto vero antiquitatis itinere multa alia se se obtulerunt Norisio, quae diligentissime ab eo collecta magnum lumen chronologiae, & Augustorum historiae attulerunt. Haec cum pervenissent in manus Christinae Svecorum Reginae, Norisium suae domesticae Academiae adscribi voluit, orationemque ab ipso veluti pensum exegit. Paruit Reginae voluntati; sed me latet quo in argumento hujusmodi versata sit oratio. Praemia etiam eidem Christina obtulit, si Romae esse voluisset, sed haec modice tangebant hominem, qui in Etruria sibi tutum & tranquillum portum, & in Mediceorum Principum beneficentia, ac Magliabechii sui amicitia bellissimum studiis suis subsidium fore sperabat. Iis vulgatis Dissertationibus, quae sane plurimum commendationis ab aequis judicibus habuerunt, majora fiden-

tius

Google

ii us se tentare posse putavit Norisius, sed dolebat non satis temporis sibi relinqui a scholae occupationibus, praesertim cum quae scripto consignabat, memoriter recitare deberet. Tum enim in Pisano Gymnasio vigebat isthaec perversa consuetudo, quam cum plures doctissimi viri ferre non potuissent, ab eo discesserunt. Itaque suscepto magno opere de Cenotaphiis Pisanis, quo in id unice incumberet, ut sibi per triennium vacatio a publica schola daretur, facile a Magno Duce impetravit. Rem illo, quod mireris, transegit triennio, & librum Venetiis edidit Baleonianis typis an. MDCLXXXI. Quae huic libro subjecta materies fuerit titulus indicat, qui est hujusmodi. *Cenotaphia Pisana Caii & Lucii Caesarum dissertationibus illustrata, in quibus Coloniae Juliae Pisanae ariga, vetusti magistratus & sacerdatum collegia: Caesaris utriusque vita, gesta, & annuae eorumdem inferiae exponuntur; ac aurea utriusque cenotaphii Latinitas demonstratur, cum parergo de annis regni Herodis, de Praesidibus Syriae, ac Ramanis in Asia Provinciis*. Edax tempus, cum delevisset Basilicam Caii atque Lucii, porticum Liviae, nemus Caesarum, insignia utriusque Caesaris memoriae dicata opera, Cenotaphiis Pisanis, quibus nulla eorumdem Caesarum nobiliora monumenta nunc supersunt, pepercisse visum est, ut per Norisium, qui veluti nuntius quidam vetustatis esse videbatur, multa ad Romanam historiam, Romanorumque plures ritus, praesertim funereos, & ad ipsarum Pisarum originem, dignitatemque declarandam opportunissima sciremus. Quibus & talibus multis exquisitis, hoc vel maxime effecit, ut non amplius vocarentur antiquitatis investigatores ii, qui opiniones hominum vel illustriorum, & saepe errores aucupantur, sed qui per omnes partes eruditionis peragrant, qui infinita legerint, multa viderint, atque audierint, qui tempus cum tempore, rem cum re comparant, qui similia adjungunt, vera ac falsa dijudicant, perfecta concludunt disserendi ratione ac scientia. Ex quo cum summa utilitas existit ad res ponderandas, abditaque in lucem proferenda, tum maxime ingenua de-

Digitized by Google

lectatio & digna sapiente. Sed haec ingenii & otii plurimum indigent. Magnum sane Pisanis accessit decus per hunc, de quo diximus, librum, factumque opera Norisii, ut plura antiquitatis monumenta apud eos extantia, quae antea in sordibus atque oblivione jacebant, tanquam ornamenta civitatis apparuerint. Eodem, quo haec vulgavit, anno, Batavis typis imprimenda curavit *Somnia quinquaginta F. Macedi in itinerario S. Augustini post baptismum Mediolano Romam ad Joannem Mabillonium*, cui libro nomen inscripsit P. Fulgentii Fossei. Res indigna atque intoleranda visa est illi, Macedum in quadam sua *Appendice itinerarii Augustiniani*, quam cum libro *de Incarnatione* edidit, multa adeo aut ficta aperte, aut effutita temere inseruisse de sanctissimo Doctore atque Magistro, ut confutandam ejus audaciam putaverit. Praeter multa, quae eximiam viri eruditionem praeferunt, illa maxime celebrantur, quae tempus definiunt, quo lustralibus aquis ablutus est Augustinus, qua de re inter peritissimos antea disputabatur. Quanquam aperte Norisius minime fassus sit se hujus libelli auctorem esse, tot sunt tamen argumenta atque indicia, ut id tanquam exploratum nunc inter omnes constare videam. Quaenam vero caussa fuerit, cur alienam induerit personam, ignoro. Fortasse cum genus studiorum elegisset, quod maxime tenebat eos, qui ejus scripta legebant, & quod non solum delectabat, sed etiam sine satietate delectabat, verebatur reprehensionem multorum, qui suadebant haud terendum tempus cum iis, quos nihil intelligebat posse docere homines, nisi ut auderent atque mentirentur. Erat in horum numero Magliabechius, homo eruditione ac memoria prope incredibili, & quo nemo unquam aptior extitit ad indicandas vias operis conficiendi, quanquam nullius ipse confector fuerit, ea credo de caussa, ut summam, quae tota Europa de illius doctrina surrexerat, famam facilius tueretur. Huic cupienti & instanti negare non potuit Norisius, ut *de Epochis Syromacedonum* scribere institueret; & illo suo singulari ingenii acumine, & thesauro numismatum a Mediceis Principibus collecto, quo nullum praestantius in-

venies, adjutus opus hujusmodi conficere potuit, ut Norisianorum maximum illud audeas praedicare. Jam vero quanti muneris ac laboris erat vel minima quaeque in nummis & scriptis extantia expiscari, ut eorum ope pars chronologiae, cujus neque perfectam scientiam, neque explanationem habebamus, optimo in lumine collocaretur! Josephus quidem Scaliger omnium primus urbium Syriae epochas in earum nummis notaverat; sed digitum tantum, ut dicitur, ad fontes intenderat: nam cum de Sidoniorum Aera loqui deberet, addidit *caput illorum annorum minime deprehendi posse*. Quae autem hac ipsa de re tradidit Ezechiel Spanhemius excitasse magis quam explevisse eruditorum desiderium videntur. Gloriose magis quam vere in eo se jactavit Harduinius; *Aeras variarum gentium proprias, quae chronologicae artis Magistros fugerant, ab se designatas fuisse*; quae cum ita essent, ad pene desertum atque incultum campum excolendum se evocatum fuisse Norisius putavit. Neque ex hoc suo labore mediocrem fructum sperabat, cum per eum non sacram modo & ecclesiasticam, verum etiam profanam historiam plurimum illustratum iri liqueret. Ex epochis enim hujusmodi bene constitutis ope numismatum, quae ad Principes & urbes illarum gentium pertinent, tempus imperii plurium Caesarum demonstratur, certus annorum in Fastis Consularibus ordo colligitur, donatae plerisque vetustissimis Syriae urbibus libertatis exordia noscuntur, & notae etiam quorumdam numerorum, quae in usu erant apud Graecos sive Syromacedones explicantur, quorum nusquam vestigium occurrit. Ut satietas varietate vitetur (paucos enim delectant, quae ad notationem temporum spectant) urbium multarum Syriae, nec non Phoeniciae & Palaestinae origines, variamque illarum fortunam, Numina, quorum in tutela erant, symbola, ritus ceteraque hujusmodi diligentissime Norisius persequitur, quorum in ipsis nummis signa atque indicia cernere eidem licuit. Haec sunt quidem omnia doctrinae maximae; nec solum auxisse, sed pene creasse Norisium hanc eruditionis partem prudentissimi viri judicarunt. Ille antiquitatis callidus investigator Joannes Vaillantius, qui historiam Re-

gum Syriae conscripserat, minime satiari posse videbatur Norisii opus legendo ac laudibus celebrando, quare multos, & ipsas quoque Latinas Musas ad gratulationem devocavit. Quoniam vero nihil est simul inventum & perfectum, tum ab ipso Vaillantio, tum ab aliis Gallorum doctissimis viris Norisius alios Syromacedonum nummos accepit, quibus postea non pauca addere operi, quaedam corrigere, & multo plura novis argumentis monumentisque confirmare potuit. Istud operis corollarium in lucem exiit an. MDCLXXXXI. biennio scilicet postea quam opus ipsum typis impressum fuerat. Huic quoque addidit Fastos Consulares omnium optimos, quos e Caesarea bibliotheca per Magliabechium a Conrado Janningo S. J. descriptos habuit. Horum fragmentum ediderat Bucherius; at Toinardo ac Pagio postulantibus, eos Norisius edidit integros. Vel antea cum Pagio hac de re pluribus litteris egerat, nec satis mirari poterat hominem ceteroquin eruditissimum atque sagacem eo errore ductum, ut arbitraretur esse Dionis Consulum indicem, quem Leunclavius e Panvinio exscripserat, ut illo suam Dionis editionem exornaret. Ex iis litteris una extat cum hac inscriptione: *Epistola Consularis, in qua collegia LXX. Consulum ab anno Christianae epochae XXIX. Imperii Tiberii Augusti decimo quinto usque ad annum CCXXIX. Imperii Alexandri Severi octavum in vulgaris Fastis hactenus perperam descripta, corriguntur, supplentur, & illustrantur*. Invenit postea haud pauca, quae huic adderet epistolae editae Bononiae an. MDCLXXXII. eodemque tempore magnum opus habebat in manibus, quo universos Fastos emendare atque illustrare sibi proposuerat. Incredibiliter illum commovebant ad istud opus absolvendum rei utilitas, multorum ac praesertim Nicolai Toinardi Aurelianensis cohortationes, & studium in Panvinium, in quem injustum fuisse affirmabat Baronium, quod ab illius Fastis omnino discedendum putaverit. Quid vero caussae fuit, cur hanc dimiserit curam, ignoro. Neque illud minus miraberis ex magna collectarum rerum silva nihil ad nos pervenisse, neque id modo, si tamen extat, occultari, sed alia quoque hujusmodi scripta,

quae ab ipso condita fuisse scimus (1). Ingressus jam erat dicere in praefatione ad Epochas Syromacedonum de insigni quodam Herodis Antipae nummo, quo definire se posse tempus putavit, quo Herodes magnus (hac enim de re inter peritissimos maxime ambigebatur) mortem obiit. At paullo post admonitus a Toinardo male expressam fuisse ejusdem numismatis epigraphen (non enim per se illud ipsum videre potuerat) hac de re accuratius egit in Epistola ad Antonium Pagium. Sed sibi jam defesso animi & corporis laboribus in investigandis Syromacedonum epochis haec excidisse dicebat, haud desperans fore, ut aliquando certiora ex aliis monumentis eliceret. Postquam vero audiit Toinardum ipsum in universa Herodiadum genealogia explicanda vehementer elaborare, omnia summa expectans ab homine prudentissimo atque diligentissimo omnem hac de re cogitationem abjecit. Multa simul animo agitabat Norisius, cum tam lautam supellectilem haberet in manibus ad illustraudam antiquitatem. Magnam collegerat numismatum copiam Ferdinandus I. ceterique Medicei, qui ante eum fuerant, heroes; majorem etiam comparaverat Leopoldus; neque eorum diligentiae quicquam visus est concessisse Cosmus III. cum tredecim usque numismatum millia, parvi sane coempta, ab Hispania ad se deferenda curaverit. Separatim cum haec omnia servarentur, suasit Norisius, ut ex tribus gazis una fieret; qua re probata, ipse quadraginta & amplius millia numismatum distribuere atque in ordinem redigere debuit. Neque ista terrebant hominem flagrantissimo studio, & qui ali industria videbatur; quin immo summi beneficii loco se habere dixit, quod Magnus Dux sibi copiam suppeditaverit multa nova cognoscendi. Vigilabat vero de nocte, ut

(1) *Inter Norisii scripta, quorum jacturam dolemus,* erant notae Geographicae in notitiam Episcopatuum Caroli a S. Paulo, quos, sicuti ad Pagium scribit, illustrabat ex nummis praecipue Mediceis, & ex nuper edito volumine P. Harduinii.

Digitized by Google

suis consultoribus responderet, & multum prudentiae suae impertire potuit vel iis, qui in hujusmodi studiis principes habebantur. Quare si quid ab iis accipiebat, ita reddebat, ut impendiis etiam posset augere largitatem muneris. Ex Italis praesertim coluit Josephum Magnavaccam, Raphaelem Fabrettum, Jo. Ciampinium, & Franciscum Mediobarbum, cui mirificus adjutor fuit in Occonis libro illustrando augendoque; ex Gallis Claudium Nicasium, Antonium Pagium, Toinardum, & Vaillantium (quanquam hunc postremum alienae laudis invidum esse suspicabatur); ex Germanis Ezechielem Spanhemium, ex Belgis Gisbertum Cuperum; ex Anglis Guillelmum Loydium, quo neminem in historia veterum se eruditiorem novisse testabatur. Admirabatur etiam singulare Joannis Harduinii ingenium, & aliquando judicavit nihil potuisse fieri melius illius opere, quo post Holstenium urbium tum Latinarum, tum etiam longe plurium Graecarum numismata explicanda susceperat. Sed propius re inspecta, ut admirationis, sic reprehensionis multum illud habere sensit. Quoniam autem explicanti epochas Syromacedonum haud in postremis esse debebat errores notare vel illustriorum scriptorum, minime Harduinio pepercit Norisius, quando ratio & opportunitas id postulare visa est. Qua re quidem factum, ut Harduinius post Norisii mortem sumet corrector fuerit, cum Batavis typis secundo edidisset librum *de nummis antiquis populorum & urbium*; sed pertinaciter infensus Norisio, ut erant Jesuitae omnes, continere non potuit iracundiam suam, quin multa jaceret in Norisianum opus, vix illud in lucem emissum est. Quod ab eo objectum fuit, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum principio Norisius putavit. Itaque saepe quidem & coram & per litteras collocutus cum amicis est de Harduinii somniis, sed cum eo rem publice habere noluit, quod intelligeret, plurimum id valiturum ad ejus acuendam petulantiam. Quid omnino sentiendum esset *de Adventoria pro Eumenio Pacato*, de epistola, quae inscribitur *ad Valentem triplex nummus*, *de Prolusione chronologica*, *de nummis Herodiadum*, aliisque scriptis Harduinii, in quibus su-

Digitized by Google

defensionem eum Norisii aliorumque accusatione conjunctam esse voluit, docuit Vaillantius, qui etiam in medium protulit Neronis nummum, in quo hujus Imperatoris nomen clare legebatur, quemque Harduinius contra Norisii sententiam Domitiano tribuendum esse contendebat. *Sic agam tecum*, ajebat Norisius, cum ad Harduinium ipsum exercitationis ergo Paraenesin scriberet, quae in lucem Amstelodami quinquennio post ejus mortem prodiit, *ut quoniam me loqui voluisti, aliquid de tuis vitiis audias. Quid tibi plaudis, aut cur te magnifice ostentas, ea in lucem proferentem, quae cum lumen adhibere rebus debeant, obscuritatem & tenebras afferunt?* Quibus verbis Norisius carpere praesertim volebat Harduinii temeritatem, qui ut commenti cujusdam sui probabilem rationem redderet, Josephi Hebraei auctoritatem contemnere ac rejicere omnino videbatur. Id adeo visum est indignum ipsis Jesuitis, ut ad retractanda, quae hac de re exaraverat, ipsum adegerint. Narratur majus etiam opus scripsisse Norisium contra Harduinium, in eoque correxisse & restituisse ab ipso depravata multa, sed quoad vixit, illud occultasse, eam voluntatem retinens, quam semper habuit, minime dimicandi cum homine, qui non minus doctrina, quam temeritate atque audacia omni abundabat. Atque his studiis cum mirifice deditus esset Norisius, multi mirabantur potuisse eum in tantis occupationibus scholae [nam anno 1677. additum muneri docendae Ecclesiasticae historiae onus quoque fuit interpretandi divinos libros] adeo multa perdiscere, & adeo varia & longe petita ad usum suum transferre. Porro si quaeratur qui excelluerint apud nos ex omnibus antiquitatis investigatoribus, non dubitabis quidem Norisio & Bonarrotio palmam dare; & dum miraberis in utroque eruditionis ubertatem, varietatem, copiam, & illud acerrimum ingenium, quo dum transilire videntur vulgaria, & ante pedes posita, nihil tamen, quod ad rem pertineat, praetermittunt, & vel illa, quae crassis putabantur occultata & circumfusa tenebris, in lucem felicissime proferunt, vix credas utrumque litteris Graecis vel mediocriter instructum fuisse. Sed nihil non obtine-

Digitized by Google

bant acumine, industria, atque diligentia. Quoniam in explicandis veteribus monumentis esse divinus putabatur Norisius, multi & Joannes praesertim Ciampinius ab eo efflagitarunt, ut postquam de Paschali veterum Latinorum cyclo peculiari dissertatione, quae adjecta est libro de *Epochis Syromacedonum* disputaverat, explanare etiam vellet alium hujusmodi cyclum in marmore scalptum, qui Ravennae extabat. Exhibebat hic cyclus Dionysianam periodum, quae illi priori apud Latinos successit; & quanquam homines in doctrina temporum plurimum versati hac de re se satisfecisse eruditorum desiderio gloriarentur, aliter tamen visum est Norisio quaedam adhuc esse affirmanti, de quibus nihil constitui posset, quod non incurreret in magnam aliquam difficultatem. Ut internosci posset quid ipse ex hoc aliisque monumentis eliceret, Scaligeri ac Petavii saepe sententias examinat, & interdum etiam emendat; & ne jejuna atque nuda, sed adspersa atque distincta multarum rerum jucunda quadam varietate esset haec Dissertatio, morem ac ritum plurium Ecclesiarum in celebrando Paschate explicat; & illa ipsa pars, in qua marmoris explicatio posita est, videtur omnem doctrinam, quae ad Dionysianum cyclum pertinet, continere. In his conficiendis scriptis magno illi erat adjumento bibliotheca Magliabechii, cujus difficillimos mores obsequio ac patientia mitigabat. Sed accidit res, quae hominem adulationis, blanditiarum, assentationis percupidum a se per aliquot menses alienavit, ex quo magnam animo cepit molestiam. Cum in odium acerbissimum is venisset Moueliae, quo medico Cosmus III. utebatur, omni injuria ab eo laceratus est; malique hominis artes effecerunt, ut de ejus moribus indigna ipse Cosmus suspicaretur. Ad repellenda maledicta in se aspere & ferociter & libere non modo dicta, sed etiam scripta, idoneas esse putavit clarorum virorum, ac eorum praesertim, qui se sacris devoverant, laudes & praeconia, non quae veritatem, sed quae turpem assentationem imitarentur. Centum usque collegit autographa obsignataque publico signo, quae sancte testabantur nihil perfectius extitisse Magliabechio, hunc e caelo non hominem, sed Angelum, &

qua-

quasi alterum Messiam delapsum quamdam particulam esse Divinae sapientiae, & virum non integrum modo, innocentem & religiosum, sed etiam sanctissimum atque divinum ne nomen quidem peccati nosse. Haec, aliaque hujusmodi stomachans Norisius longissime abfuit a vilissimorum assentatorum exemplo imitando, quod vehementer Magliabechio displicuit. Postea vero quam sedati paullulum & restincti fuerunt malevolorum sermones, Magliabechius restituisse visus est Norisio veterem illam suam benevolentiam, si tamen in animo ambitioso ac vano, & ad fingendum simulandumque nato ullus unquam amoris sensus potuit existere. Gratus quidem semper judicari voluit Norisius erga eum, quem omnis fortunae & gloriae suae auctorem praedicabat, cum quidquid esset, quidquid sciret consiliis Magliabechii & commorationi suae in Etruria tribuendum esse diceret. Itaque minime est mirandum si invitissime ab ea se abstrahi sivit, eo praesertim tempore, quo utilem navabat operam Jo. Gastoni Mediceo, quem Cosmus III. Pater ut in multis aliis disciplinis, sic in rerum divinarum scientia instituendum duxerat (t). Sedebat tum ad Ecclesiae Romanae clavum Innocentius hujus nominis XII. qui quamvis omnis doctrinae expers esset atque omnino ignarus, litteras tamen litteratosque viros amabat, tuebatur atque fovebat. Hoc enim Principe dignum, hoc ad publicam utilitatem maxime conducere arbitrabatur. Quare cum ad ejus aures fama pervenisset Norisii, audivissetque a Christina Svecorum Regina, quantum ex tanti viri opera sperare potuisset & ornamenti & commodi, nihil praetermisit quod ad se se illum alliciendum pertineret. Hujusmodi invitamenta non multum apud eum posse, cum saepe alias, tum maxime imperante In-

---

(t) *Hac de caussa Norisius annis 1690. & eo, qui consecutus est, ab Academia prorsus abfuisse videtur.*

nocentio XI. P. M. cognitum fuit. Nam cum praemiis non modo (offerebatur enim illi, quod multi optabant, honorificentissimum in bibliotheca Vaticana munus) sed minis etiam ad deserendam Etruriam incitaretur, ipse parere distulit, quoad Magni Ducis opera, quam multis & supplicibus verbis imploravit, effectum est, ut ei remanere liceret. Sed quo magis opinio de Norisii doctrina vel apud exteras nationes multorum sermone percrebuit, eo majus exortum est desiderium illum Romae habendi; neque Magnus Dux Pontificis voluntati diutius resistendum putavit. Videns Norisius non amplius fore sibi potestatem sua Romae excolendi studia, sine quibus nullam fere vitam esse ducebat, nullamque vel commodi, vel honorum, qui proponebantur, rationem habens invitissime vere an. 1692. ab Etruria discessit. Quanta machinatione studuerint Jesuitae contorquere Pontificem ad odium in Norisium, non solum veteres accusationes reficantes, sed nova etiam confingentes crimina, ex ipso Norisio intelliges, qui rem totam Bassetto Canonico (erat hic Cosmo Duci ab epistolis) narravit. Minime quidem Pontifex se expugnari est passus, quamvis extremo tempore adhibita etiam Segnerii eloquentia fuerit. Itaque Norisius in locum sufficitur Emmanuelis Schelestratii, qui primarii Custodis Vaticanae bibliothecae munus gesserat. Male narratur a nonnullis praefectum ipsum quoque fuisse Sacrario Apostolico, quod quidem munus antea sibi oblatum recusaverat, neque multos post dies, quam Romam advenerat, delatum fuit Lodruo homini Belgae, qui in rerum divinarum scientia excellere putabatur. Plura alia Pontifex indicia dedit benevolentissimi animi sui in Norisium, quibus nonnihil fracta est licentia adversariorum illius. Coepit etiam ejus opera in multis magnisque rebus adhiberi. Sed est incredibile quam illum hujusmodi occupationum taederet, recogitantem se omnino privatum otio, quod studiis suis jucundissimis remotus ab oculis populi & aulae antea suppeditare consueverat. Tum maxime agitabatur de reconciliandis Pontifici iis Episcopis, qui in comitiis Cleri Gallicani, quae habita sunt anno MDCLXXXII. capita quaedam, seu ut vocant

Digitized by Google

propositiones, tanquam libertatis vindices assensu suo comprobarunt. Quoniam his laesa plurimum Romani Pontificis auctoritas putabatur, declaraverat Alex. VIII. eadem habenda *pro irritis infectisque*, & haec ipsa declaratio exigebatur ab iis, qui ad Ecclesiarum gubernaculum accedere debebant. Res intoleranda visa est Ludovico Regi, & in acerrima ac diuturna disputatione viginti usque Dioeceses suis carebant rectoribus. Huic malo consulere satagebat Innocentius, ut pote qui pacis erat amantissimus; itaque illud oneris imposuit Norisio, ut quid faciendum esset scripto mandaret. Non solum ei disputandum erat cum ipsis Gallis, sed cum quibusdam Cardinalibus, ac praesertim Francisco Albanio, qui Segnerii aliorumque Jesuitarum impulsu severitatem judicii nulla humanitate mitigandam suadebant. Veritus Norisius ne Pontifex a pristina sua voluntate discederet, narravit ei Hadriani II. exemplum, qui cum Nicolao I. successisset, qui aspere & ferociter Galliae Episcopos tractaverat, jubens eorum concilia esse irrita, spolians dignitate binos Archiepiscopos, & vel ipsum Lotarium Regem diris devovens, tantum abfuit ab imitando hujusmodi exemplo, ut clementia, mansuetudine, atque aequitate illorum omnium pervicaciam vicerit. Augustini vero aliorumque SS. Patrum testimoniis exposuit quid sentiendum de iisdem illis capitibus, de quibus nimis iracunde & valde intemperanter multi Romae loquebantur. Probavit etiam Pontifici contra Segnerii sententiam, verbis, non re dissideri in praescribenda formula quadam, qua Episcopi aliquantulum remittere ex eo videbantur, quod in illo conventu statuerant. Quid? Norisii prudentia dexteritateque omnino factum est, ut acerrima controversia dirimeretur, qua in re non tam Pontifici, quam ipsi Galliarum Regi (qui declaravit quantum illi tribueret) cumulatissime satisfecit. Quod Magnus Dux pro Gallis intercesserat, Norisii judicium metus, aut studium visum est illius obtrectatoribus, quasi ipse pluris unquam potentium gratiam, quam officium libertatemque sententiae aestimasset. Sed Pontifex, qui jam expertus erat ejus integritatem, fidem atque modestiam (nihil enim faciebat nisi jussus, nec nisi vocatus

ad Pontificem ipsum accedebat) honorifice de eodem praedicabat, multis magnisque in rebus ipsum adhibebat, seque omnia, quae ad ejus dignitatem augendam pertinebant, magna cura suscepturum ac defensurum ostendebat. Id cum animadvertissent Jesuitae, quem tantopere ac tam indigne offenderant, omni simulatione lenire curarunt: maxime enim verebantur ne aequa & salutaria is consilia daret Pontifici, quae ad prohibendos eorum temerarios conatus adversus Thyrsum Gonzalezium valerent. Quanquam ipse intentus esset ad fraudes cavendas, aliquam tamen in spem venit, fore ut iisdem hominibus in posterum uteretur pacatioribus vel ipsa conscientia fretus omnium dictorum atque factorum suorum: sed brevi se illusum sensit. Nam *Consultor*, ut vocant, *S. Officii*, *&* *Sacrorum Rituum* factus, cum in ore atque sermone coepisset esse omnium, perinde ac si designatus fuisset Cardinalis, velis, ut ita dicam, remisque homines implacabiles Summum Pontificem ab eo alienare studuerunt, quasi, illo Cardinali, obtinere se posse desperarent licentiam cupiditatum suarum. Tum istud obtrectare non inutile fore putabant, cum voluisset esse minister accusationum non ille solum insulsus & inverecundus homo Diezius, sed & Cardinalis Lavria, qui sex supra quadraginta capita reperiri in historia Pelagiana, ac Vindiciis Augustinianis non solum disputatione theologorum, sed pene vinculis & carcere castiganda affirmabat. Res tota commissa est judicio quinque doctissimorum Theologorum, in quorum manus etiam pervenerunt omnia Lavriae scripta, qui per illos dies mortem obiverat. Judicarunt hi omnia pura ac liquida ex SS. Ecclesiae Patribus, ac praesertim Augustino hausisse Norisium, & quae objiciebantur non solum putida, sed etiam invidiae ac malevolentiae plena visum iri omnibus iis, qui veritate & divinarum legum norma, non odio & praejudicatis opinionibus judicant. Hoc judicium Pontifex ad *S. Officii* decuriam referri jussit, quod cum ratum ipsa habuisset, amplissimum atque ornatissimum de Norisii scriptis decretum fecit, malum minitans illis, qui renovare accusationes auderent. Porro quid firmius ad defensionem Norisii, quid ad ejus laudem illu-

strius, quam ter usque illum subiisse acria & severa summorum hominum judicia sine ullo existimationis detrimento, cum adessent accusatores potentissimi, & ad omnem ultionem paratissimi? Tum resedit omnis animo timor, tranquilliorem vitam aequissimi Pontificis praesidio se victurum Norisius confidens. Vix dum re confecta, bini Jesuitae adeunt Pontificem ipsum, ab eo efflagitantes, ut sineret pronuntiatam sententiam subjici cujusdam examini, qui in eorum Societate theologorum princeps numerabatur. Nihil concessurus videbatur Pontifex eorum audaciae petulantiaeque. Fecit tamen quod postulabant eo consilio, ut magis magisque emineret atque appareret Norisii innocentia atque doctrina. Visus est ille Ignatianus Doctor sentire lenissime, qui ajebat binos se tantummodo habere scrupulos, quos sibi evelli optabat. *Si quando aliquis scrupulus mentem movet*, scribebat ad Reginum Comitem clarus ille Carthaginensis Ecclesiae Diaconus Ferrandus, *non sequaris facile sententiam propriam*, *nec aliis persuadere coneris*. Sed ille *alienorum dictorum scrupulosissimus ac calumniosissimus discussor*, ut ipsum Facundi Hermianensis in Africa Episcopi verbis appellare solebat Norisius, plures disseminavit libellos non solum scrupulis, sed etiam criminationibus refertos, tum ad odium in Norisium ipsum excitandum, tum ad tacite reprehendendam latam secundum eum sententiam. His vulgatis, silere optabat Norisius, qui jam obduruerat in patientia hujusmodi machinationum. Sed non solum impulsu, sed etiam jussu Innocentii Pontificis calamum sumpsit, & atramento non admodum temperato respondit omnibus adversarii *scrupulis*. Sic liber inscribitur, qui aditum ad Cardinalatum Norisio aperuisse putatur: *Historica dissertatio de uno ex Trinitate carne passo: accedunt historiae Pelagianae ab Anonymi scrupulis vindiciae*. Nemo ignorat in illa turbulentissima tempestate Christianae reipublicae, quae per Monachos quosdam Scythas sub Justiniano Imperatore excitata est, plura disputata ac definita fuisse, ac quaesitum praesertim *de uno ex Trinitate passo*. Cum necesse fuisset Norisio de his Monachis scribere in historia Pelagiana, facile eos

Digitized by Google

ab Eutichianae haereseos nota vindicavit, probavitque illum dicendi modum interdum rejectum, interdum approbatum fuisse a Romanis Pontificibus. Ex hoc loco delicatulus ille scrupulorum Auctor colligere se posse putavit, solemne illud dogma de Romani Pontificis *infallibilitate* penitus convelli a Norisio. Volens hic patefacere nodum in scirpo quaeri, universam historiam controversiae *de uno ex Trinitate passo* narrandam suscepit, ex qua narratione intelligi potest nihil se detraxisse de Pontificum Romanorum auctoritate ac juribus, atque ea protulisse, quae monumenta antiquitatis, luculentorum scriptorum testimonia, atque ipsa recta ratio suadebant. Tali modo & historiam illustravit, & illam theologiae partem, quae ad Incarnationis mysterium pertinet, docte ac perite exornavit. Qui dubitare videntur (insulse quidem) num interiorem & reconditam quandam rerum divinarum scientiam habuerit Norisius, quae profecto par in illo fuit atque vetustatis notitia, percurrant hanc, de qua diximus, dissertationem, atque *Augustinianas Vindicias*, & si aequi esse voluerint, statuent sane illum numerandum in principibus suae aetatis theologis, neminemque superiorem habuisse, quemadmodum de illo vere praedicarunt operum Augustini Gallici editores, in vindicanda interpretandaque illius sapientissimi ac sanctissimi Episcopi doctrina. Illi priori dissertationi alteram addidit Norisius, qua Monachos Scythiae omni prorsus suspicione Eutichianae haereseos liberavit. Atque hoc ipsum sibi cum Petavio, Thomasinio aliisque conveniebat: sed ad rem certissimis argumentis demonstrandam investigavit atque perscrutatus est omnia illorum temporum monumenta, & diligentissime examinavit omnium verborum pondera, quibus iidem Monachi usi sunt in *professionibus*, ut loquuntur, *Fidei*, ceterisque eorum scriptis. Cum multorum & ipsius Garnerii testimoniis ostendisset Norisius in tertia dissertatione plures Galliae Episcopos & ipsum Vincentium Lirinensem in errores Semipelagianorum inductos fuisse, sic compellare potuit adversarium suum. *Non tui te piget, homo levissime, cum ea in me culpas, quae investigatoribus veritatis glo-*

Digitized by Google

riae ducuntur, & *quae propugnatores habent Jesuitarum doctissimos?* Quod vero ad Jansenii errores, quibus lepidum illud caput omnia Norisii theologica scripta aspersa dicebat, & actum videri de Christiana republica, nisi censoria animadversione ii coarguerentur, usurpare solitus erat Norisius gravissimam illam Augustini sententiam: *quid adhuc quaeris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem?* Sed haec nihil valebant ad evellendam importunitatem ex animis invidorum: itaque ea pro se ipse scripsit, ut non supplex aut reus, sed magister ac dominus videretur esse iniqui Censoris. Quoniam vero plura erant in *Responsis adversus gerras germanas Germanitatum &c.* ad diluendas hujusmodi accusationes opportunissima, leviter eadem hoc loco tetigit, ut memoria, non oratio renovata videatur. Disseruit tamen & subtiliter & copiose in extremo libro *de orationis gratia & effectibus*, cum illud praesertim sibi proposuisset ostendere in mala & artificiosa criminatione, quid illud esset, in quo ipse ceterique Augustini sectatores a Jansenio discreparent. Non 'um haec typis vulgaverat Norisius, cum audit nihil non moliri Jesuitas, ut sua scripta ab iis, qui Fidei quaestionibus in Hispania praeerant, damnarentur. Narrat id Pontifici, qui hoc nuntio maxime commotus est, pergraviter reprehendens illorum hominum insolentiam, quae nunquam posset cohiberi, jubensque Norisium bono animo esse, & omnia a se expectare: nam se brevi illum Cardinalem creaturum, eaque in re non solum privatas, sed etiam publicas injurias ulturum. Non reverens Norisius suspicionem fictae ac simulatae modestiae, quod optime cognitus esset Pontifici, magnis precibus ab ipso petiit, ut sibi vitam privatam & quietam degere permitteret; ejus se contentum esse praesidio ad incontinentiam adversariorum comprimendam; nunquam se honores appetivisse, & illos praesertim, qui nullam cum studiis suis haberent rationem. His pervulgatis rebus, nonnulli desipere Norisium ajebant, quod repugnaret ac resisteret fortunae, ac victor negligeret agere ex inimicorum dolore triumphum justissimum; iratissimi vero Jesuitae non tam Norisio, quam Pontifici haec tenere effatae non dubitabant;

Digitized by Google

Si merito tyro fulget Norisius ostro
Debuit Iprensi trina corona dari;

ii demum, quibus mos erat Plautinis salibus Thrasonem militem Macedonicum, ceterosque Norisii oppugnatores perfricare, illa ex Trinummo usurpabant:

Non enim possum quin exclamem: *euge euge Lysiteles* πάλιν.
Facile palmam habes; *hic victus*, *vicit tua comoedia*.

Dies, quo Pontifex Norisium in Cardinalium collegium cooptavit, magna bonorum omnium laetitia atque gratulatione celebratus est (1).

---

(1) *Academia quoque Pisana suum & gaudium declaravit his ad eum missis litteris*

PISANI GYMNASII PRIORES

Eminentissimo, & *Reverendissimo Cardinali*

ENRICO NORIS

S. P. D. D.

SI quantum est hominum litteris deditorum gaudio debet efferri propter eum, quem consequutus es altissimum dignitatis gradum: nos qui in Pisano Lyceo bonas artes, & disciplinas profitemur, exultemus omnibus laetitiis, Eminentissime Princeps, & triumphemus, necesse est. Alii quippe communi Reipublicae litterariae bono gaudent, quae videtur augeri, quum viri tui similes augentur honoribus: nos propria nostri Ordinis, nos hujus Athenaei gloria, quae ornatur & splendet tuo splendore, laetamur.

Digitized by Google

Is autem fuit prid. id. Decemb. an. MDCXCV. Plerumque evenit, ut qui honores sitivere, obtentos jam fastidiant. At nullam satietatem neque celerem neque seram timere debuit Norisius, qui ab ambitione semper fuit alienissimus (atque hujus rei sane non mediocre est argumentum, quod oblatum sibi antea Episcopatum Pistoriensem recusaverat) qui quae homines maxime admirantur, plena futilitatis summaeque levitatis esse dicebat, cuique nihil tam molestum erat, quam salutari, appeti, decedi, assurgi. Atque is quidem saepe querebatur cum amicis, quod cum nihil optasset magis quam *senescere*, ut ajebat Solon, *se multa in dies addiscentem, secum esse, secumque vivere*, studia doctrinae omnino deserere, & aliorum arbitrio vitam a-

---

mur. Quare verbis consequi non possumus, quantam animi voluptatem capiamus, quum te tantum virum ex his ipsis Gymnasiis ad tantam amplitudinem processisse recordamur. Ipsam Cathedram, ipsos parietes, qui tuis olim eruditis vocibus personabant, cum ingenti delectatione crebro quasi venerantes intuemur: qui nobis quodammodo sacri habebuntur, & animos ad honestam cupiditatem laudis, atque gloriae inflammabunt. Sed modicum est gaudium, quod potest pectoris angustiis contineri; nos, ne in tacito sinu gaudeamus, nostram tibi laetitiam his litteris declarandam putavimus. Gratulamur igitur tibi nostro & Pisani Gymnasii nomine, non solum quod indeptus es Romanam Purpuram, sed quod ea splendet in te, quam soleat plerumque, speciosius, quia parta sola virtute est, nec sibi quidquam de tua dignitate fortuna decerpit. Tuam magnitudinem debes ingenio, debes doctrinae, debes prudentiae, reliquisque praeclarissimis animi tui dotibus: nec te tam ornat purpura, quam ipse purpurae es ornamento. Id laetandum, id praeseferendum, id omnium gratulatione dignissimum est. Deus ergo, qui virtuti favet, qui sacros honores ad merentes deferre gaudet, tuam amplitudinem, dignitatemque fortunet, augeat, extollat, vehementer optamus; teque, ut nos diligas, nostrumque coetum potenti patrocinio tuearis, etiam, atque etiam rogamus. Vale.

Dat. Pisis VII. Kal. Jan. Anno Sal.
MDCLXXXXV.

gere coactus fuerit. Cum adesset vero illis *S. Officii*, *Indicis*, *Rituum atque Concilii*, ut vocant, coetibus, propter magnam opinionem doctrinae principatum sententiae tenere videbatur; & plus oneris quam ceteri collegae habebat, quod saepe ei extraordinaria mandata, & vel ea, quae ad Reipublicae administrationem pertinebant, darentur. Quoniam vero fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit, sic se gerendum recenti auctus dignitate Norisius putavit, ut nemo illo industrior, nemo magis misericors, nec officiosus magis fuisse videretur. Atque hujusce rei conjecturam de illius studio in Papebrochium facillime ceperis. Plurimi faciebat, amabat etiam hominem Jesuitam, oblitus injuriarum, quas in se jecerat, cum ei de S. Hilarii Arelatensis vita scribendum fuisset. Itaque cum multi postularent, ut censoriae severitatis nota quibusdam illius scriptis, ac praesertim *Propileo* inureretur, tanta cura rem amici suscepit, ut suam videretur agere. Consilium ei etiam dedit quaedam corrigendi ad historiam Pontificum pertinentia, quae sumpserat praesertim ex historia Conclavium edita Lugduni, & a Romanis censoribus jam notata. Quid plura? Omnem fere memoriam antiquitatis collegit tum ex editis, tum ex ineditis minimeque suspectis libris, quam maxime conducere putavit ad multa chronologica definienda de imperio atque obitu Romanorum Pontificum, de quibus vel inter peritissimos ambigebatur. Ex his librum contexuit, cui titulum fecit: *Notae in Propileum*, quam ob rem ceteraque Norisii beneficia miras eidem Papebrochius gratias egit. Defendit etiam alios Bolandistas adversus Carmelitarum atque Dominicanorum accusationes quasdam. Quam moderationem aequitatemque in sententia dicenda maxime suspiciebant Jesuitae. Norisium enim imitaturum exemplum putabant Noaliesii Cardinalis, hominis vehementis atque diserti & in primis fortis ad resistendum, quem cum terreri posse existimassent, illa dixisse narratur: *si me coercere vultis, haec vobis est excidenda lingua, qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem vestram libertas mea refutabit*. Ut erat bonorum fautor mirificus Norisius, ita malorum se-

Digitized by Google

vetus erat objurgator; quare facile ab eo Pontifex obtinuit, ut longo & docto opere Aloysium Maimburgum confutaret, qui historici munus idcirco suscepisse videbatur, ut liberius calumniaretur. Cui unquam pepercit? Quot conviciis hominum impudentissimus vel ipsum Bossuetium sub Cardinalis Contareni nomine exagitavit? In hujusmodi confutatione historiam praesertim, ut loquuntur, *Investiturarum* narrare sibi proposuit Norisius, quod dum praestaret, quoddam sibi officium justum, & pium, & debitum Romanae Ecclesiae, suaeque dignitati sequi videbatur. Nemo vero ignorat hujusmodi contentionem per quinquaginta & amplius annos sub Imperatoribus Henrico IV. & illius filio ejusdem nominis V. adeo viguisse, ut divina & humana ferme cuncta permiscuerit, & bellum non modo, sed & vastitatem Romanae ditionis urbibus intulerit. Dum hujus contentionis historiam persequitur Norisius, multa & praeclara Romanorum Pontificum gesta ac praesertim Gregorii VII. in aperto ponit, ex quo intelligas qua ratione in vindicandis Ecclesiae juribus obviam itum potentium superbiae atque avaritiae, & coercita illorum vecordia, qui ad Episcopatus ceterosque Ecclesiae honores atque munia per malas artes nitebantur. Sed homo purpura indutus non omnia, uti gesta fuerunt, aperire, neque quid & qua de caussa consilii habuerint ipse Gregorius VII. ejusque successores, dum in arcem illius caussae invaderent, explicare potuit; quare si id evenit, quod ei quoque ingredienti in caussam fortasse visum est accidere debere, ut non omnes ejus dictis plane acquieverint, non propterea de illius fama aliquid detractum judicabimus. Nec solum ex honore ac necessitate quaerenda excusatio, sed etiam ex festinatione, qua opus contexuit, cui cum manus extrema minime accessisset, Justus Fontaninius, ad quem Norisii autographum pervenit, multa, quae deerant, supplevit. Producta tamen historia illa ad Callisti usque II. Pontificatum fuit, inter quem & Henricum V. illud an. MCXXII. inter cetera convenit, liberum esse debere Ecclesiae judicium in eligendis Episcopis; *Investituram* ab iis solum exigendam, qui feuda possiderent; neque in ea

Digitized by Google

concedenda utendum amplius, sicuti antea, baculo & annulo, sed sceptro tanquam commodatae potestatis signo. Ex his illa oriri videbatur quaestio, num *Regalia*, id est jus percipiendi redditus Sacerdotiorum vacuitatis tempore, aliquid commune cum *Investiturae* jure haberet. Hac enim de re magna iis temporibus erat controversia inter Galliae Regem & Romanum Pontificem. Dum scrutatur Norisius & explicat omnia fere antiquitatis monumenta, illud suadere vult, nunquam fas fuisse Principibus per Episcopos & summos Pontifices illos redditus sibi vindicare: saepe vero accidisse, ut cum ab iis, qui advocati dicebantur, & qui administratores boni & tutores fideles esse debebant, tanquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis, invocarentur ipsi Principes ad hoc defendendum, indeque probabiliorem Regaliae originem repeti posse. De his scriptis satis dictum. Restat, ut de illis dicamus, quae ad Calendarium spectant, & quae, si pauca excipias, nunquam fuerunt in lucem edita. Probaverat jam hac in re omnibus peritiam suam Norisius, editis, uti narravimus, Dissertationibus tribus in extremo libro *de Syromacedonum Epochis*, & scripta an. MDCXCIII. *Censura in Octaeteridem Paschalem* cujusdam auctoris, quem refellendum putavit, quod proposita ab eo ratio Calendarii emendandi *nec perennis esset, neque antiquos Ecclesiarum ritus incolumes servaret*. Hoc autem in scripto de difficillimis veteris Testamenti locis, in quibus dierum, mensium, atque annorum mentio fit, & de multis aliis rebus, quae tum in disceptationem quaestionemque vocabantur, copiosissime & perite disseruit Norisius. Post haec examinare jussus est librum Hispani cujusdam astronomi, quem Portocarrerus Cardinalis Archiepiscopus Toletanus ad Sedem Apostolicam detulerat. Retulit Norisius Cardinalibus collegis suis male subduxisse calculos Hispanum mathematicum, dum in conficiendis Calendarii & Martyrologii tabulis acretionem & diminutionem lunae, & quae inde pendent, solemniorum festorum dies notaret. Interim agi coeptum a Germaniae, ut appellantur, Protestantibus de recipienda Gregoriana

Calendarii correctione, ac scriptae litterae a Leibnitio ad Academicos Parisinos, quid faciendum esse censerent Germanis in eo, quod pertinebat ad festorum mobilium tabulam, quod hanc minime cum solis lunaeque ratione congruere contenderetur. Hanc omnem rem Academia prudentiae Jo. Dominici Cassinii commisit, qui & sua sponte & Lud. XIV. jussu nihil statuendum sibi esse putavit sine Apostolicae Sedis oraculo. His de rebus Romae diu est multumque consultum, tenuitque semper principem locum auctoritatemque Norisii sententia. Mortuo Innocentio XII. non minori studio ardere visus est, qui ei successit, Clemens XI. hujus absolvendi negotii; & quanquam Norisio tanquam magistro utendum sibi esse diceret, aliorum tamen etiam prudentium hominum, ac praesertim mathematicorum consilia exquirere voluit, ex quibus omnibus constitit *Congregatio*, ut loquuntur, *de correctione Calendarii*, cujus erat Praefectus Norisius ipse, a secretis vero ejusdem civis & amicus Franciscus Blanchinius. Quaesitum est primo; *an praestet in Calendario reponere Epactam X. Lilianam pro anno* MDCC. *& subsequentes per augmentum juxta continuam Epactarum methodum, prout primum propositae fuerunt a Gregorio XIII. anno* MDLXXVII. *seu potius retinenda sit epacta IX. postea mutata cum subsequentibus eadem methodo ab illa pendentibus; & quatenus reponenda sit epacta X. seu retinenda IX.* Quaesitum secundo; *an non reposita epacta X. vel retenta IX. ad annum* MDCC. *& consequentibus, ut supra, sufficienter provisum sit rectae dispositioni Calendarii Ecclesiastici juxta regulas ad rectum ordinem festorum mobilium citra errorem in plura saecula designandum.* Dum haec quaerebantur, opportunissime Romam venit Philippus Maraldius vir astronomia omnique mathematica re peritissimus, quem non modo, sed & ejus avunculum Jo. Dominicum Cassinium per litteras consuli placuit Summo Pontifici. Retulit Maraldius *Congregationi* jure conqueri Cassinium ceterosque astronomos quaedam peccasse Clavium in conficienda Calendarii emendatione; bene hos errores per Norisium animadversos fuisse; nec dubitare se quin huic malo consuleretur, si

si illius sententia valeret. Operae quidem plurimum studiique consumpsit Norisius in hujusmodi disputationibus, sed cum obstarent Jesuitarum machinationes, tracta adeo res fuit, ut citius mortem, quam illius exitum ipse videre potuerit. Sed laus est homini ea dedisse consilia, quae si non ex eventu, ex prudentia quidem cuique doctissimo fuere probatissima. His aliisque de caussis fortasse dolebat Norisius ea effluxisse tempora, quibus omnia voluntate & arbitrio Principis, nihil vero studiis certorum hominum fiebant. Quod cum praedicaret de Innocentio XII. non perinde accipi volebat, quasi is sapientum consilia recusaret; quin immo tanta eum fuisse modestia dicebat, ut cum experiendo didicisset quam arduum, quam periculosum regendi cuncta onus, plures in partem curarum vocaverit, haud dubitans plures facilius munia Reipublicae sociatis laboribus executuros. Porro sapientissimus Pontifex quid Norisio ipsi non commisit? Quid non cum illo communicavit? Quibus eumdem rebus non ornatissimum voluit amplissime? Ex his quidem nulla jucundior eidem accidit Praefectura Vaticanae bibliothecae, qui locus ob mortem Casanatae Cardinalis vacaverat. Cum itaque omnes intelligerent eum vel ingenio, vel gratia, vel fortuna cuivis summorum suae aetatis hominum esse parem, mirum videri minime debet si multorum oculi in eum conjecti fuerint, cum de creando Summo Pontifice, qui ipsi Innocentio XII. succederet, ageretur. Gallorum vero nobilissimi, qui hoc tempore Romam venere, ita loquebantur de Norisio sicuti de homine celebritate famae notissimo, quem omnes de facie noscere jamdiu concupierant. Tota haec res valde timebatur a Jesuitis; neque credibile est spectatores se praebuisse otiosos comitiorum, quibus Clemens XI. Pontifex Maximus creatus est. Huic non minus Norisius omnia sua studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem consecravit; & mirabantur omnes tanta illum esse diligentia & industria, ut cum perquam raro in commentatione caussarum adjutrice alterius opera uteretur, & quotidie ferme ad Vaticanam bibliothecam accederet, ac nullis deesset officiis,

quae sunt propria dignitatis, temporis tamen aliquid reperiret, quod in studiis, veteribus deliciis suis, consumeret. Sed in eam consuetudinem, seu potius naturam homo somni & cibi parcissimus venerat, ut per magnam noctis partem lucubrationibus vacaret. Erat enim ei frequens dictum: *hominem, qui nequiret studium meditationemque ad octo soltem horas producere, haud multum posse inter Litteratos excellere*. Sed tot vigiliae ac labores continui sensim bonam integramque valetudinem imminuebant. Neque cum ad mortem se rapi sentiret, divelli a studio potuit. Nam rogatus a Pontifice sententiam de re gravissima minime sibi temperavit, quominus de eadem re Dissertationem scriberet. Morbi vero genus, quo diu & graviter extremo tempore tentatus est, fuit hydrops, cujus signa cum apparuissent, hunc se removere posse putavit cibis multo sale conditis, siccis, vel calidis liberius indulgens, & modica potione utens. Hoc vitae genus cum teneret, ophthalmia primo laborare coepit, qua depulsa an. MDCC. improbo ventris dolore circa umbilicum fuit correptus, qui in dies excrescens in manifestum ejusdem umbilici tumorem desiit. Istum vir natura patiens & fortis initio flocci fecit, neque a medicis consilia exquisivit. Nulla itaque adhibens medicamenta, nihil laborum intermittens vivendi genus pristinum sequebatur, quod ni fecisset hydrope se certo interiturum affirmabat. Sed hac via celerius in morbum incidit, quem timebat, & quem declinare conabatur: incidit enim in hydropem non humidum, sed siccum, quem tympanitidem medici appellant, qui siccorum calidorumque ciborum usu gignitur, humidis autem impeditur aut extruditur. Tum adhiberi coepta remedia consilio peritissimorum medicorum, ac praesertim Georgii Baglivii, a quo tota haec res narratur, sed nihil inde levatus est morbus; quin immo cum magis magisque recrudesceret, subito tanta vis ejus in ventrem erupit, ut, confirmata prorsus tympanitide, desierit in ascitem. Tumor pedum tandem apparuit vicinae mortis nuntius. Tali modo cum duos & septuaginta annos, & sex circiter menses complesset, post edita singularis fortitudinis, patientiae & pietatis in Deum signa ani-

Digitized by Google

mam efflavit Norisius VII. Kal. Martias an. MDCCIV. Exequiae ei cum pompa celebratae fuerunt in Aede S. Augustini, ibique cadaver sepultum cum hac inscriptione.

FRATRI HENRICO NORIS VERONENSI

ORDINIS AC TIT. S. AUGUSTINI PRESBYTERO CARD.

S. R. E. BIBLIOTHECARIO

AUGUSTINIANA EREMITARUM FAMILIA

THEOLOGO CHRONOLOGO HISTORICO B. M. P.

HENRICO MONUMENTUM INGENS SE SE EXPLICAT ORBIS

PHOENICUM AD LITTUS LITTORE AB HESPERIAE

INSCRIBUNT TUMULO QUIDQUID DUXERE PERENNI

AERE ARGENTO AURO SAECULA ET HISTORIAE

NORISIO MINOR EST TITULUS. TU GRANDIOR ESSE

AUGUSTINE POTES PAR TUMULO TITULUS.

OBIIT VII. CAL. MARTII

ANNO AERAE CHRISTI MDCCIV.

AETATIS LXXIII. EX A. D. IV. CAL. SEPTEMBRIS.

Homini, qui maxime floruerat existimatione innocentiae, ingenii & doctrinae, & ornamentis amplissimarum dignitatum, haud deesse poterant honores. Sed in his decernendis Veronenses eminere voluerunt, qui non solum justa funerum civi optimo maxima omnium ordinum frequentia, magnificentissimoque apparatu solverunt, sed etiam

Digitized by Google

tiam ei statuam in S. Euphemiae Coenobio, aliaque monumenta in amplissimis urbis locis posuerunt. Nec minus de vivo optime iidem meriti fuerant, ut ipse jure gloriaretur eam sibi obtigisse patriam, quae humanitate & doctrina cum nobilioribus Italiae civitatibus contendere posset. Nihilo tamen minus, quamdiu vixit, ne quod sibi publicum monumentum poneretur restitit: & ipsa familiae decora (nam quo tempore Cardinalis creatus est, illa inter patricias honorificentissimo decreto relata fuit) suis magis, quam sibi concessa arbitrabatur. Adde, quod si ejus familiae originem, & majorum praeclara gesta spectes, hoc digna beneficio videbatur. Floruerat enim antiquissimis temporibus in Anglia, ac praesertim in Hibernia, unde cum Cyprum concessisset, multa ibi pro patria adversus Turcas fortiter gessit, quoad, insula capta, sedem domiciliumque suum Veronae collocavit. Hujusmodi migrationes Norisius ipse hoc disticho complexus est.

Anglia nos genuit: Cyprias possedimus arces;
At Veneto sedit littore nostra ratis.

Fuit Norisius, si corporis formam cupis cognoscere, statura procera, lata fronte, facie longa, vividis oculis, colore subfusco, cute arida & sicca. Natura erat facilis & comis; verum quemadmodum, si de seriis rebus loquebatur, severitatem adhibere solebat, si de jocosis leporem, sic in vita, quoties res, dignitas, officium, locus & tempus postulabat, ejus facilitas cum gravitate, comitas cum severitate jungebatur, ut difficile esset intellectu, utrum eum sui magis vererentur, an amarent. Quod non liberalis, sed levis arbitrabatur polliceri quod praestare non posset, cavebat ne quid temere promitteret, promissumque sic persolvebat, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam vero suscepti negotii eum pertaesum est; qua in re suam existimationem agi putabat, qua nihil habebat carius. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima, si forma vix mediocri. Supellex modica; & quamvis non pa-

rum liberaliter saepe domum Veronenses suos invitaret, multis ac praesertim egentibus libentissime subveniret, homines doctrina praestantes ad prandium vocaret, scimus tamen non amplius quam sex millia centussium in singulos annos ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum. Qui cum eo quotidie erant, facile affirmabant neminem se novisse, cujus animi aciem minus perstrinxerit splendor nominis, minusque mentis quasi luminibus, ut plerumque accidit, offecerit altitudo fortunae & gloriae: quare de se, suisque scriptis raro loquebatur, neque coram se haec laudari patiebatur. In ferendis injuriis hoc semper cogitavit, se haud posse veritatem retinere, quin multorum insidiis objiceretur, & ad omne periculum invidiamque opponeretur. Ceterum nemo illo non tam natura, quam Christianae philosophiae praeceptis magis propensus fuit ad obliviscenda maledicta, omnemque doloris deponendam memoriam. Sed hujusmodi mores virtutesque minime effecerunt, ut ejus inimici in ipsum vel mortuum essent mansuetiores. Nam dum eorum potestas viguit, nihil intentatum reliquerunt, ut fidem religiosissimi hominis in suspicionem vocarent. Ut ex multis indignissimis factis pauca commemorem, editus ab iisdem libellus fuit cum hoc titulo: *Theses Norisianae, in quibus damnata Jansenii & Novatorum dogmata magno adscribuntur Augustino*. Relatum a Decolonia ejus nomen in Bajanismi & Jansenismi reos; & nihil non actum a Ravago, qui erat Hispaniarum Regi a confessionibus, ut per eum, qui in universo Hispaniarum regno rebus Fidei praeerat, Norisii nonnulla opera, ac praesertim *historia Pelagiana*, & *dissertatio de V. Synodo Oecumenica* in librorum damnatorum numero reponerentur. Re delata ad Summum Pont. Benedictum XIV. vir sapientissimus & justissimus excanduit ira, & Jesuitas caussam disseminandi discordias in illo regno quaerere clamitavit. Ipse defensor esse voluit Norisianae caussae, & una atque altera epistola missa ad Generalem, ut vocant, Inquisitorem, temere atque injuriose illum decrevisse de doctissimo viro ejusque scriptis, pluribus gravissimisque verbis ostendit. Regi etiam aperuit,

quae clam inirentur consilia a Jesuitis contra innocentissimorum famam, & Decretum pro Norisio fecit, quod nisi servaretur, magnam perturbationem rerum futuram esse praedixit. Extitere etiam, qui conjuratorum insidiis & maledictis multorum illustrium hominum & Academiarum testimonia opponerent, per quae omnis erroris suspicio ab operibus Norisii propulsabatur, & iniquus calumniator a sapienti judice discerni poterat. Omnino bonorum omnium consensus fuit, *talem fuisse virum* Norisium (ut Livii verbis utamur) *omnium saeculorum memoria dignissimum, cujus gloriae neque profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit, cum utrumque summis praediti fecerint ingeniis*.

Eo, quo coepit tempore ab Academia abesse Norisius ob commissum illi onus instituendi in divinis litteris Jo. Gastonem Mediceum, declaratus fuit Ecclesiasticae historiae & theologiae dogmaticae Magister homo Gallus e Minorum, ut appellant, Observantium familia, antelatusque fuit Benedicto Bacchinio, qui hoc munus vehementer petierat, quique eo dignissimus videbatur, quod esset omni doctrina & virtute ornatissimus. Additum honori praemium amplissimum fuit, cum Magnus Dux an. 1691. Francisco Meslierio (sic enim vocabatur) annuum stipendium assignasset D. usque centussium. Istarum disciplinarum, de quibus loquor, non parum sibi assumpserat Parisiis degens, qua in urbe natus creditur, & Sorbonicorum Doctorum collegium frequentans, in quod ipse quoque cooptatus fuit. Sane hoc plurimum valuit ad opinionem, quam omnes de illius doctrina habebant, augendam, vixque pedem posuit in Etruria, cum magnam a Cosmo III. iniit gratiam, qui nihil tam facere videbatur quam divinarum disciplinarum cultores. Nemo erat tam firmo ingenio, & tanta confidentia, qui non exalbesceret, cum ab ipso ad disputandum provocabatur. Erat enim disertus, & perfecte eruditus, & in primis acutus. Noverat & Cartesianam philosophiam, de qua cum dissereret, errantes opiniones eorum, qui ad omnia abutebantur atomorum licentia, aucupari se velle ajebat. Nihilo tamen minus sapientia il-

lum antecivisse Bacchinium minime dixeris, qui, scriptis editis doctis sane & laboriosis, nomen suum immortalitati consecravit. Dum pro sua parte Meslierius gloriae Academiae consulebat, an. 1698. libuit iis, qui huic praesidebant, comitem eidem dare in exponenda Ecclesiae historia Julium Lomium Pistoriensem, qui cum paucos menses ante ad explicandas Pontificias Institutiones vocatus fuisset, honoratiori loco dignus habitus est. Quatenus ipse progressus fuerit in divinis disciplinis ignoro. Nulla enim extant monumenta, ex quibus de illius ingenio & doctrina judicari possit. Is quidem, postquam locum in Academia obtinuit, summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Integer & fortunatus homo vitam ad annum usque 1741. produxit, viginti scilicet & quinque post annos, quam illam Pisis amiserat ejus collega & competitor Meslierius.

Nimium diu desideravit Academia divinorum librorum interpretem, quanquam hujus muneri aliqua ex parte satisfacere videretur Meslierius ipse dogmaticam theologiam exponens. Anno demum 1711. declaratus est Sacrae Scripturae Magister Virginius Valeschius Josephi Brixiensis filius, qui tum tricesimum aetatis annum agebat. Bonis artibus & disciplinis institutus fuit in pueritia, a qua vix excesserat, cum nomen Florentiae dedit Casinensium Monachorum, ut appellant, familiae. Tantos ibi processus fecit in humanarum divinarumque rerum scientiis, ut evolare, non excurrere videretur. Itaque eo tempore, quo ceteris vix per aetatem datur nobiliorum disciplinarum cursum ingredi, ipse illarum Magister declaratus est. Docuit autem suos in ipsa urbe Florentia philosophiam primum, deinde theologiam, ac demum Pontificium jus, & quod ad sapientiam concipiendam plurimum valebat, erat ipse industriae, innocentiae, pietatis, omnisque Christianae virtutis discipulis suis exemplum. Fuit igitur caussa cur multi illum audire concupierint, nec domestica solum, sed etiam externa collegisse praeconia videtur, cum, suffragatoribus, & auctoribus Be-

nedicto Bacchinio, Jo. Josepho Urſio, Apostolo Zeno, & Jo. Dominico Theupolo locum in Patavina Academia sibi dari petiisset. Tum enim deerat, qui sacros libros interpretaretur. Sed antelatus eidem fuit Hyacintus de Tontis ex Augustiniana familia, non quo hic majorem opinionem doctrinae haberet, verum quia praesidia sibi comparaverat ab iis, in quibus magna residebat auctoritas, atque potentia. Aequior in Valsechium Cosmus III. facile illius desiderio satisfecit, & omnino omnia se facturum recepit, quae ad illius dignitatem tuendam pertinerent. Aditum fortasse ad Cosmi gratiam Valeschio patefecit libellus, quem per illos dies emiserat, ipsique nuncupaverat *de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Potestate V.* Porro res erat inquisitione digna, non solum quia in definiendis annis imperii Elagabali magnam esse difficultatem discrepantes illustrium scriptorum de iis sententiae satis ostendebant, sed etiam quia, illa non bene cognita, alias res ad Christianam saeculi III. historiam pertinentes ignorari necesse erat. Duce praesertim & auctore Dione Cassio ejusdem aetatis, qua erat Elagabalus, affirmare se posse putavit, perditissimum hunc Imperatorem annos tres, menses novem, & dies quatuor regnasse, hujus imperii initio ducto a pugna, qua circiter diem VII. Id. Jun. an. Urbis conditae DCCCCLXXV. Christi CCXXII. Macrinum devicit. Quamvis hanc Dionis sententiam mirifice confirmare videantur, quae sunt inscripta in cathedra marmorea S. Hippolyti Episcopi Portuensis, quod praeclarissimum antiquitatis monumentum ornat Vaticanam bibliothecam, multa tamen alia, eaque gravissima adversabantur, quae sic perpendit, sic diluit Valsechius, ut dum lucet mirum illius acumen, luceat etiam res ipsa, plurimis remotis, quae obscuritatem & tenebras afferebant. Octodecim fere post menses, quo haec vulgata sunt, prodiit in lucem Joannis Vignolii *Dissertatio de anno primo Imperii Severi Alexandri Aug. quem praefert Cathedra marmorea S. Hippolyti Episcopi;* nec multo post Philippus a Turre librum emisit *de annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, & de initio imperii, ac duobus consulatibus Justini Junioris;* qui-

Digitized by Google

bus in libris multa sane erant, quae prolata a Valsechio oppugnabant. Non destitit Benedictus Bacchinius omnium consiliorum Valsechii sapientissimus moderator hunc hortari, ut responderet ad ea, quae objecta fuerant, quod fecit Dissertatione *de initio Imperii Severi Alexandri Augusti* edita Florentiae an. MDCCXV. qua non modo contraria, modeste tamen, refutavit, sed sua magis magisque confirmavit. Habet quidem haec dissertatio multa praeclara, quae nunc etiam gravissimi & severissimi judices & probant & efferunt (1), sed illa praesertim declarat Auctoris in Latine scribendo elegantiam, exquisitam eruditionem, ejusdemque acre judicium in expendendis antiquitatis monumentis, in separandis falsis a veris, his explicandis, inter se comparandis, trahendisque ad suam sententiam. Hic liber cum & Bacchinio, ceterisque, quos posse judicare arbitrabatur Valsechius, fuisset perquam acceptus, majora suscipere meditabatur, quae Romanam antiquitatem illustrarent; sed fuere homines magnae auctoritatis, qui ipsum ad alias litteras vocarunt, genus hoc scriptionis, quamvis sit elegans, jucundum, & utile, personae tamen & officii haud esse affirmantes. Quanquam & officio suo sic satisfaciebat Valsechius, ut qui illum audierunt vel divinos libros, vel Ecclesiae historiam exponentem, saepe mihi testati sint, id non potuisse neque accuratius, neque eruditius fieri. Quoniam vero quod semel admissum coerceri reprimique vix potest, facile libenterque respondebat Valsechius iis, a quibus de antiquitate consulebatur; suntque in manibus, quae de legibus, quibus olim paruere Pisani, ad Guidonem Grandium scripsit. Nec studiose minus antiqua (sacra tamen) persequi voluisse videtur, cum librum *de Indulgentiis* confecisset. Melius enim moratos fore homines non dubitavit, cum didicissent quae majorum insti-

(1) *Vid.* Gibbon: Istoria della Decadenza e Rovina dell' Impero Romano. Tom. I. p. 160. *Pisanae, quam nos curavimus, editionis.*

Digitized by Google

tuta fuerunt in puniendis peccatis, & quae, servata illa, quae de caelo delapsa est, caritatis regula, ad quam omnia actionum judicia dirigi debent, illos agere, si quid forte peccaverunt, oporteat. Alia extant Valsechii opera (1), sed haec maxime illustria, quorum cum summas tantummodo attigerim, vereor ne satis appareat quantus vir ille fuerit. Sed profecto dignus est, cujus memoriam excipiant omnes anni consequentes, non tam propter excellentem illius doctrinam, quam propter eximias animi dotes, quas, ut jucundiores essent,

(1) *En omnium index.*

De M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia potestate V. Dissertatio historica chronologica Auctore D. Virginio Valsechi a Brixia Monacho Benedictino Congregationis Casinensis. Florentiae 1711. typis Regiae Celsit. apud Jacobum de Guiduccis ac Sanctem Franchi in 4.

De initio Imperii Severi Alexandri Augusti Dissertatio. Florentiae 1715. typis Reg. Celsit. in 4.

Giovanni Gersen Abate dell'Ordine di S. Benedetto sostenuto autore de' libri dell' imitazione di G. C. contro il sentimento dell' Autore della Dissertazione premessa alla nuova Italiana Traduzione de' medesimi libri pubblicata in Lucca l' anno 1723. Dissertazione. In Firenze 1724. nella Stamperia di S. A. R. in 8.

D. Virginii Valsechii Casinensis in Acad. Pisana Sac. Liter. & Histor. Eccl. Professoris Epistola de veteribus Pisanae civitatis Constitutis . . . ad D. Guidonem Grandi &c. Florentiae 1727. typis Reg. Celsit. in 4.

Compendio della vita della Beata Caterina de' Ricci &c. estratto da' processi fatti per la sua Beatificazione. In Firenze 1733. nella stamperia di Bernardo Papetini. in 4.

Delle Indulgenze, e delle disposizioni per conseguirle alla nobile e pia città di Livorno. In Firenze 1734. nella Stamperia di Bernardo Papetini in 8.

Dissertazione del Tempo di Zaccaria Profeta o di Ester, e della Profezia del Cap. VIII. vers. 23. del medesimo Zaccheria Part. I. e II. *Secunda pars hujusce dissertationis, quam rogatu Pauli Medici conscribendam suscepit Valsechius, minime ad umbilicum perducta fuit.*

commendabat etiam corporis pulchritudo. Factus Abbas sui Florentini Coenobii ita praefuit huic potestati, ut amari, quam metui maluerit. Lenitate enim in primis delectabatur, quanquam eodem tempore nihil tam ei cordi erat quam familiae gravis & constans disciplina. Magni quidem hominis est, & cum ipsa natura moderati, tum vero etiam doctrina atque optimarum artium studiis eruditi, sic se adhibere in omni protestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus ipse praesit, desideretur. Utrum mitior ipse esset in obliviscendis injuriis, an gratior in beneficiis memoria custodiendis, haud facile dixeris. Quapropter floruit summorum hominum amicitiis, acceptusque fuit Magnis Ducibus Etruriae Cosmo III. hujusque filio Joanni Gastoni, necnon Clementi XII. P. M. cui Academiae Pisanae nomine (is enim adolescens fuerat inter illius alumnos) de summa dignitate per litteras gratulatus est. Venit etiam gratulator ejusdem Academiae verbis ad Franciscum Lotharingium & Mariam Teresiam Austriacam ob susceptum Etruriae imperium; sed hujusmodi Latina illius oratio fuit, ut malevolorum voculis caussam fortasse minime injustam obtrectandi dederit, quibus non est credibile quantopere ille commotus sit. Neque multo post in morbum aquae intercutis incidit, ex quo mortem Florentiae obivit non. Sext. an. MDCCXXXIX. aetatis suae an. LIX. nondum expleto.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Theologiae Magiſtris.

QUanquam natura nulla eſt, quae non habeat in ſuo genere res compluꝛes diſſimiles inter ſe, & quod eſt in naturis rerum transferri poſſit ad artes, ſic ut ii, qui in illis excellunt, in diſpari genere laudentur, ſi propius tamen inſpexeris homines, de quibus nunc dicturi ſumus, adeo inter ſe ſimiles noveris, ut non facile meliores a deterioribus diſtinguere poſſis. Nam idem labor, eademque cura torſit omnes fere, ut majorum veſtigiis inſiſterent in colenda Scholaſticorum theologia, quae barbare loquebatur, quae gaudebat quaeſtionibus ſubtilitatis pleniſſimis, quae ſibi blandiebatur quoties ſententiolam aliquam decerptam ad diſputationem adferebat, quam alter ex tempore interpretaretur, minime quae antecedebant, quaeque ſubſequebantur expenſis, quaeque nefas putabat ab eorum Doctorum ſententia diſcedere, quos ſemel probaverat. Sed fortaſſis non adeo nocuiſſet imperitia, niſi fuiſſet cum arrogantia conjuncta: nam ceſſiſſent indocti melioribus, aut verecunde utique expoſuiſſent quae ſentiebant. At quae tradebantur, tanquam ex oraculo fundi putabantur, & tanta erat confidentia hujusmodi Scholaſticorum theologorum, tanta gravitas in oculis, tanta frontis contractio, ut hoc ſupercilio catholica reſpublica, tanquam Atlante caelum, niti videretur. Dolenter ſane haec recordor, ſed innuere neceſſe fuit, ne putes ex meo ſenſu duci laudes eorum, qui in divinis rebus exponendis operam navaruut Academiae. Atque ex his ſi qui fuerunt, qui tritam a majoribus viam reliquerunt, & critices, linguarum, & eruditionis ſubſidio nova luce di-

Digitized by Google

sciplinam, quam profitebantur, illustraverint, novoque cultu ornaverint, sejungam illos a turba ceterorum, ac debitum justumque praeconium ipsis tribuere minime recusabo.

Qui quantique ſuerint theologi Jeremias Pellerius Minorita, & Henricus Antonius Burgus e ſamilia Servorum B. M. V. superiori in volumine docuimus. Illi priori an. 1625. successit Minorita alter Franciscus Falagianius ortu Florentinus, origine autem Emporiensis. Is in Romano Minoritarum collegio, quod S. Bonaventurae appellatur, divinis studiis vacaverat, suos Patavii Pontificium jus, Florentiae vero, Genuae ac Bononiae theologiam docuerat, ac functus jam cum laude prudentiae iis muneribus, quae prima in familia putantur, magnum se laborum percepisse praemium judicavit, quod locum in Academia nostra ſacile obtiuuerit (1). Sed vix e carceribus, ut dicitur, emissus fuerat, cum coepit valetudinis incommodis afflictari, quorum caussa paucos post menses veniam abeundi petiit. Otium & tranquillitatem spectans secessit in S. Miniatis urbem, ubi mortem obivit XIV. Kal. Junii an. 1637. Laudatus publice fuit Florentiae, celebrante illius parentalia Theologorum collegio. Pisis abeunti successit ejusdem collega Tiberius Sinibaldius in Monte Novo (hoc oppido nomen) natus, qui in ipsa Pisarum urbe munus Quaesitoris Fidei exercebat, quique divinis libris interpretandis destinatus fuerat. Sed theologiae cathedram praetulit, quod ea omnia se tenere putabat, quae ad ipsam gloriose sustinendam pertinent. Nec sane eum ſefellit opinio, & quasi sua res & honos ageretur, ita laborabat, ut discipuli se tanquam alterum pa-

(1) *Cum de eo referret ad Principem Academiae Curator, haec ait.* Francesco Falagiani Fiorentino, è stato Provinciale di Toscana del suo Ordine & ha avuto diverse Reggentie principali nella sua Religione, e particolarmente quella di Bologna, che è delle prime. E' buon Predicatore, religioso d'ottimi costumi, e di assai merito per tutti i rispetti.

rentem colerent, & tanquam studiosissimum doctrinae & virtutis magistrum frequentarent. An. 1636. missionem petiit obtinuitque (1). Tum Inquisitor alius S. Officii (sic enim appellabantur) nomine Bernardinus Manzonius Caesenas illi successit, eodemque ferme tempore, qui illi erat eo in munere Vicarius Angelus Piccininius Ravennas declaratus est extraordinarius theologiae Magister. Manzonius Februario mense an. 1638. veniam deserendae Academiae impetravit eam ob caussam, quae sane plurimos movit, inclementiae caeli Pisani, eique successor datus est Alexander Perius Florentinus ex eadem Minoritarum familia, cujus locum occupavit an. 1644. ejus collega Jo. Vincentius Salvonius. Is natus est Uzzani (hoc oppido nomen, quod non longe distat ab urbe Piscia) institutus autem tum Florentiae, tum Bononiae non modo in divinis, sed etiam in humanioribus litteris, in quibus ita profecit, ut acutissimus theologus, & satis bonus poeta, sive Etrusce, sive Latine scriberet, haberetur. Valde illum diligebant sui cum propter summam probitatem ejus, ac singularem modestiam, tum quod in omni re theologica, optima opera ejus uti solebant. Is autem cum ad Academiam accessisset, opinionem, quam sui concitaverat, feliciter retinuit, in eaque mansit ad an. usque 1650. quo Pisciae vita privatus fuit. Successit illi Hieronymus Perius in oppido Mucellani agri, quod Burgum S. Laurentii nominant, natus, qui multis in urbibus magisteria exercuerat tum philosophiae, tum theo-

(1) *De eo missionem petente sic retulit Academiae Curator*. Ha letto 21. anni theologia con grande applauso. E' in concetto di molto valoroso in teologia e filosofia, ed è molto esemplare religioso. Cominciò a leggere con 80. Sc., ed è arrivato fino a 120. Ha letto molto puntualmente per quanto gli ha permesso un accidentale indisposizione. *Ad quae rescripsit Princeps*. Si licenzia, e perchè ha data honorata soddisfazione, se li concede 40. Scudi l'anno mentre viverà.

logiae, & Venetiis jus quoque Pontificium interpretatus fuerat. Licet viveret Pisis cum viris bonis, jucundis, amantibus sui, & fidem suam obligasset Academiae ad annum usque 1663., citius tamen, quam par erat, missionem ab illa petiit, quod ea de caussa se fecisse dixit, ut otio abundaret ad ea, quae inchoaverat, scripta absolvenda. Quantus vir fuerit ejus successor Ludovicus Nutus Cosmopolitanus, qui Patavio, ubi Minoritas suos in sacris litteris instituebat an. 1662. Pisas accitus fuit, prorsus ignoro: sed quidquid in illo fuit ingenii, quantulumcumque videbitur fuisse, hoc totum contulit ad utilitatem discipulorum suorum, qui in eo non solum diligentiam, sed etiam morum suavitatem suspexere. Is vitam amisit Pisis an. 1668. quo ipso anno locum ejusdem occupavit Bonaventura Ceccardus Politianus. Hic per totos triginta octo annos (obiit enim an. 1706.) operam sane utilissimam praebuit Academiae, & ea sapientia esse judicabatur, ut non solum iis, qui aderant, discipulis, sed etiam absentibus consilia de rebus theologicis quaerentibus serviret. Non moleste tulit studium philosophiae, quod antea sibi jucundum fuerat, fuisse & necessarium, cum jussu Magni Ducis ab anno 1680. ad annum usque 1686. quo rediit ad theologiae cathedram, illam disciplinam publice professus esset. Scientiam autem nullam esse censebat, nisi in Scholasticorum scriptis, & conqueri de iis videbatur, qui tritas a majoribus vias relinquebant. Omnia quaecunque loquebatur redolebant religionis studium, quam everti, aut infirmari ab iis putabat, qui novitati in philosophando nimium indulgebant (1). Qua de caussa saepius cum Antonio Avisio

(1) *De eo cum referret an. 1686. ad Principem Academiae Curator ait*: quanto è valente teologo, altretranto è mediocre filosofo. Legge sono anni 18. & ha Scudi 165., onde credo che convenga richiamarlo alla teologia, e sgravarla del P. Maestro Desiderio Casaccini M. C. di Montepulciano uomo dozzinale, che legge da 5. anni con provvisione di 60. Scudi.

Digitized by Google

competitore suo conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit. Felicius declaravit doctrinam & ingenium suum in iis rebus, quae ad Theologiam pertinebant, qua in facultate illum numerari in principibus ejus collegae facile patiebantur. Secus judicatum est de Desiderio Casaccinio Politiano, de Jo. Vincentio Martellinio Pisciensi & Bonaventura Baccionio Florentino. Quidquid enim Minoritae hi docuerunt, prudentiae fuit mediocris.

At vereor ne Martellinio pro eo, quod ab illo habuit Academia, parum tribuerim. Venit ad eam an. 1700., septennio post veniam obtinuit Florentiae manendi, substituendique in locum suum Baccionium, quadriennio post rediit ad suum munus, quo cum se an. 1719. abdicasset locum fecit Leonardo Donninio Pistoriensi, qui divinarum litterarum in primis peritus fuit, quemque omnes meritissimo amarunt. Fuit enim, si quis unquam alius, comes, benignus, facilis, suavis, ut tranquillitas jucunditasque animi in eo habitare videretur. Martellinius ex hac vita migravit XVIII. Kal. Septembris an. 1732. Donninius autem per solidos XXXX. annos suum munus coluit solertissime, cum Florentiae mortem obiisset an. 1759.

Hactenus de Minoritis. Paullo autem longior ero in commemorandis Servitis, quod ab iis rerum divinarum cathedra maxime ornata fuisse videtur. Burgo an. 1630. successit Dionysius Bussottius Florentinus, homo ei cum familiaritate, tum etiam sensibus in familia gubernanda (summam enim illius praefecturam an. 1633. obtinuit) & in exponendis rebus theologicis conjunctissimus. Invisit Germaniam, ubi Ordinis sui coenobia plura instituit, Romae carissimus vixit Urbano VIII. tantamque opinionem atque existimationem virtute & doctrina partam apud Ferdinandum II. M. E. D. obtinuit, ut per eum an. 1638. Episcopatu Burgensi decoratus fuerit. Quanta vigilantia, quantaque sapientia populis suae curae concreditis consuluerit, ex ejus synodalibus constitutionibus an. 1641. Florentiae editis cognosci potest; quam vero viam secutus sit in publici Magistri muniis obeundis intelliges ex *Prolusione ad Gymnasticae theologiae vindicias*, quam

Digitized by Google

dixit in majori schola an. 1631. neque multo post Florentiae vulgavit (1). Sanctissimus hic vir mortem obivit Kal. Novembris an. 1654. postquam per totos XVI. annos Burgensem Pontificatum gesserat, eique monimenta plura pietatis ac liberalitatis suae reliquerat. Gratus quoque erga coenobium suum Florentinum, in quo altus educatusque fuerat, pecuniam illi legavit ad emendos libros, ex quo legato quotannis bibliothecae redeunt XXX. centusses.

Locum Bussottii in Academia occupavit Gerardus Baldius, qui & Gherardesca appellabatur, quod hoc cognomine insignitus fuerat a Gherardeschis, quorum in ditione natus erat. Nullum ejusdem aetatis theologum cum illo conferendum puto, & tantam porro sibi comparavit famam, ut *Theologi*, *Magistri & Doctoris* nomine appellaretur. Vix e pueritia excesserat, cum dedit nomen Servorum B. M. V. familiae, tyrocinium vero posuit Senis, ubi plurimum se exercuit in humanioribus litteris, in philosophia, atque in rerum divinarum scientia. Novit ibi Laurentium Salviatum ejusque uxorem Magdalenam Strociam, qui cum mirabilia prorsus de ingenio, de doctrina, & de virtutibus Baldii praedicassent coram Christina Lotharingia & Victoria Roborea, quarum summa erat apud Ferdinandum II. auctoritas (altera enim avia, altera uxor erat) facile hae impetrarunt, ut Baldius logices Magister declararetur. In hac tradenda facultate minime a majoribus tritas vias reliquit, quanquam parcissimus fuerit in iis proponendis quaestionibus, quas nunc levitatis plenissimas judicamus (2).

---

(1) *Alia & vulgavit*. Vita di S. Filippo Benizi. *Ad pestem comprimendam, quibus Etruria iis temporibus afflicta fuit, in Italicam linguam convertit librum, qui* Antidotarius *inscribitur*.

(2) *Id intelligi potest ex libellis, quos edidit; Inscribitur alter*. Institutionum Logicalium Pars prior laconice referans Aristotelis sensum ad Juniores: Florentiae 1640.; *alter autem*: Institutionum Logicalium Pars posterior Disputationes Peripateticas complectens ad progredientes: Florentiae 1641.

Omne vero se tulisse punctum arbitratus est, cum tractans theologica opus magnum quinque in volumina distributum Pisis, Lucae & Florentiae vulgasset, quod inscripsit: *Catholica Monarchia Christi*, & in quod omne id contulit, de quo disputari solebant celebriores illius aetatis theologi sive ad errores haereticorum confutandos, sive ad dogmata catholica confirmanda, optimoque in lumine collocanda. Attigit & physica, & ex titulo librorum [1] facile conjicies quod physicae genus probaverit. Postremo tempore adjunxit ad haec *Miscellanea, sive Quodlibeta* Pisis edita & Ferdinando II. nuncupata, quibus complexus est omne fere id, quod de morali & politicâ tradiderat Aristoteles. Cum doleret Ferdinandus ipse tantam vim ingenii in scholasticis rebus tractandis unice esse occupatam, eique dixisset: *vide ne dum pudet te parum Aristotelicum esse, parum diligenter, quod optimum est, eligas*, illi respondisse fertur. *An quod adolescens praestiti, cum etiam errare cum excusatione possem, id nunc aetate praecipitata commutem, ac me ipse retexam?* Sive privatim suos docuerit, sive familiam Provincialis, ut loquuntur, gubernaverit, sive scholas Pisis habuerit, nullum unquam officium praetermisit hominis diligentissimi & prudentissimi, laudabiliterque acta vita ad septuagesimum ferme aetatis annum, illam amisit XVI. Kal. Novembris an. 1660. Laudes illius celebravit Florentiae in Theologorum Collegio Dominicanus homo Dominicus Leonius, Pisis autem, cum primum relictum ab eo locum illo ipso anno occupasset, ejus collega Callistus Puccinellius Lucensis.

Magnum pondus accessit ad hunc eligendum judicium & consilium Baldii ipsius. Semper enim judicavit in eo magnam vim esse

(1) Rerum actualitas ad primam materiam contracta. Florentiae 1642. in 4. Rerum actualitas ex ordine ad motum physica disquisitio geminis distincta libris: Pisis 1644. *Haec Pisana editio tertia dicitur*.

Digitized by Google

ingenii & doctrinae. Dimanavit etiam latius illius fama commendatione & laudibus eorum, qui ipsum concionantem audierant, nec ullus in Italia fuit illustrior suggestus, quem ipse non conscenderit. Exemplum habes illius eloquentiae in multis panegyricis orationibus, & in illis praesertim, quas Romae & Venetiis edidit cum hoc titulo; *il Firmamento Apostolico illustrato dal merito degli Apostoli*. Pene exaruisse videbatur illis temporibus vetus elegantia, & nimium laborabant homines, dum saeculo placere volebant, ut exquisitissimis sententiis longeque petitis vestirent orationem. Fuit magis temperatus in scribendo, cum historiae Tridentini Concilii a Pallavicinio Cardinali exaratae epitomen fecisset, de cujus laude delibare quidquam minime potuisset, nisi ejus elegantiam imitatus fuisset. Praemia, quae amplissima expectare poterat a Mediceis Principibus, quibus fuit carissimus, minime obtinuit, quod fere semper ab Etruria abfuit, Romae vel in procurandis rebus familiae (Procuratorem Generalem dicunt) vel in summa ejus praefectura gerenda occupatus, quibus in muneribus mirifica fuit vigilantia. Demum anno 1667. Urbini Archiepiscopus creatus ea in urbe vitam amisit prid. id. Aprilis an. 1675. cum ageret aetatis annum LXV. Absentis ab Academia vices gesserunt ejus collegae Fontanius, & Georgius ille Sogia Sassaritanus, qui Cosmo III. fuit a theologia, qui summum familiae magistratum gessit, & Bosanensis primum, deinde Ampuriensis Episcopus, ac demum eodem illo anno 1701. quo e vivis excessit, Turritanus Archiepiscopus factus est. Magnum sibi nomen fecerat, sex usque editis voluminibus de rebus theologicis, quibus Henrici Gandavensis sententias exposuit illustravitque, ea fortasse mente, ut quemadmodum Dominicani Aquinatem tanquam Ducem & Magistrum jactant, Franciscani Scotum, sic Servitae in Gandavensi haberent, quem maxime sequerentur, ceterisque tanquam eximium rerum divinarum praeceptorem proponerent.

Non minus doctrina, quam sanctitate illustris fuit Julius Arrighettius Florentinus, qui apud nos theologiam profiteri instituit an.

1666.

1666. postquam eamdem facultatem Mantuae, Vicetiae, ac Florentiae suos docuerat. Multa de eo Annalium Servorum B. M. V. Scriptores commemorant, non solum quia ad gubernacula familiae summa cum laude sedit, sed etiam quia in ea tanquam lumen aliquod veteris sanctimoniae eluxit. Extitit etiam qui ejus vitam declararet (1), quod se debere dixit in Magistrum pietati, & desiderio eorum, qui magnarum virtutum exempla ad imitandum quaerebant. Nos quidem ejus operam & sedulitatem in magistri munere sustinendo laudabimus; sustinuit autem ad aestatem usque an. 1677. quo ad gubernanda coenobia familiae suae, quae sunt in Etruria, vocatus fuit. Prudentia summa effecit, ut sui nescirent utrum magis vererentur, an amarent. Erat enim ita temperatis moderatisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungeretur. Sed cum taederet eum omnium humanarum rerum, triennio ferme post consilium cepit se in solitudinem Montis Senarii conferendi, a qua ineunte an. 1682. invitissime avocatus fuit jussu Innocentii XI. ut ad universae familiae gubernacula sederet. Gesto an. 1690. amplissimo munere, homo, qui nisi in solitudine beatus esse non poterat, quaesivit hanc in Florentino coenobio, ibique sanctissimae vitae cursum explevit VI. Id. Octobris an. 1705.

Vir consilii magni & virtutis, qui summam scientiam divinarum rerum habere existimabatur Jo. Franciscus Maria Poggius Florentinus, quo nullum conjunctiorem habebat Arrighettius, huic non modo in munere docendi apud nos theologiam, sed etiam in summa familiae praefectura successit. Quemadmodum in certamine currendi, non ita

(1) Memorie della vita del Servo di Dio P. Giulio Arrighetti Fiorentino Cinquantesimo nono Generale de' Servi di M. V. raccolte e descritte da Monsignor F. Gio. Franc. M. Poggi Fior. Lucca 1713. in 4.

Digitized by Google

conveuit exerceri, ut quoad necesse sit pervenire possis, sed ut productus studio, & viribus ultra facile procurras, sic Poggius naturae muneribus, & industriae subsidiis idoneus & aptus ad eas utilitates, quae desiderabantur ab eo, quidquid gerendum suscepit, tanta felicitate explevit, ut quod erat hominis proprium non partum per illum, sed divinitus ad ipsum delatum videretur. Neque vero postquam per totos duodecim annos summa vigilantia summisque laboribus res familiae procuraverat, fructus otii illi cupienti & exoptanti datus est ad eas artes, quibus a puero deditus fuit, celebrandas. Nam vix ad Academiam rediit an. 1703. cum creatus est Miniatensium Episcopus, quod recepisse onus Cosmi III. jussu invitius dixeris, cum antea Pontificatum Civitatis Castellanae recusasset. Sapientissimis legibus suae Dioecesi consuluit (1) pecuniam in aedes sacras vel extruendas, vel restaurandas, vel ornandas dedit, omniaque praestitit procuratoris & patris diligentissimi officia. Tandem cum explesset nondum LXXII. aetatis annum id. Aprilis an. 1719. pectoris hydrope consumptus est (2).

Toto illo tempore, quo Poggius ad gubernacula familiae suae sedit, in consiliis capiendis, & in omni re gerenda adjutorem habuit Petrum Antonium Rossium Florentinum, de quo hoc verissime judicari potest, nemini suae aetatis & doctrina & prudentia illum inferiorem fuisse. Is primum ad nos venit an. 1678. logices praeceptor, neque multo post Theologiae cathedram conscendit partes primum a-

(1) Dioecesana Synodus Miniatensis: Lucae 1710. in 4.

(2) *Inscriptio, quam sibi poni jussit, indicat viri modestiam. Ea autem est hujusmodi.* Ossa miserrimi peccatoris F. Jo. Francisci Mariae Poggii Florent. & Episcopi Miniatensis hic requiesc. in pace. *Sed Canonici Miniatenses, ut gratum animum suum erga Episcopum beneficentissimum posteritati mandarent, Sepulcri monumentum, satis nobile, eidem faciendum locarunt, obtinueruntque ab Antonio Maria Salvinio hunc titulum.*

D. O. M.

Digitized by Google

gens Poggii, mox suas, eamque tenuit ad annum usque 1690. quo in familiae suae comitiis Procurator, ut appellant, Generalis electus

---

D. O. M.

Is qui peccatorem se vocat

Justus floret ut palma

Summis in Servorum B. M. V.

ordine perfunctus honoribus

Mox hujus Sacrae Aedis Antistes

Seminarium perficiendo Nosocomium

exaedificando

Sacram J. Christi crucifixi Aedem

a fundamentis erigendo

aliaque pietatis munia

sollicite obeundo

Vir summa integritate religione

doctrina constantia

Omnes Episcopi id est terrestris

Angeli partes implevit.

Obiit an. aetatis suae lxxii.

Patri benemerenti

Canonici Miniatenses

Ejus memoriae devoti posuere

A. S. MDCCXVIIII.

Salvinus Salvinius Antonii Mariae frater illius vitam declaravit, quae extat in Vol. XXXIII. del Giornale de' Letterati di Venezia.

Digitized by Google

est. Erat cum institutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus, ineratque & ingenium satis acre, & orationis non inelegans copia. Tantum autem illi tribuit Cosmus III. ut illo theologo uteretur, successoremque destinaverit Poggio in Pontificatu Miniatensi. Sed homo modestissimus praetulit honori otium, vehementerque ab eo petiit, ut quoniam Romae perfunctus fuerat summis laboribus & honoribus amplissimis [fuerat enim a consiliis Cardinalium Decuriis, quae Indicis, Rituum & S. Officii dicuntur, a confessionibus autem universo collegio in comitiis illis, quibus creatus est Summus Pontifex Clemens XI.] sineret quod supererat vitae Pisis transigere. Noli autem existimare hominem, cui in labore perferendo nunquam industria defuerat, quamvis provecta esset aetate, remissiorem fuisse in magistri muniis obeundis. Opus etiam de Fide, Spe & Charitate, quod antea inchoaverat, absolvit (1), nec quisquam fuit eorum, qui si jam sibi aliquid ediscendum putasset, quod in interiori reconditiorique theologia versaretur, non maluisset Rossium, quam alium quemquam audire. Ejus quoque caussa nova cathedra instituta fuisse videtur, cui commissa erat *explicatio historica, & theologica sacrorum canonum*, cuique ipse praefectus fuit an. 1703. quo anno ad Academiam rediit. Erat enim omnis sacrae eruditionis in primis peritus. Nolo tibi molestus esse summa enumerando beneficia, quae illius sodalitas ab ipso accepit, & quae cessere etiam in ornamentum Florentini coenobii, quod a Virgine ab Angelo Salutata nomen habuit. Atque hic tantus vir apoplexi correptus naturae concessit VI. Kal. Junias an. 1724. cum complesset aetatis annum LXXIV. laudatusque publice fuit Florentiae ab ejus collega Julio Antonio Roboredo.

Quoniam hujus viri a nobis mentio facta est, de eo nunc dicendum videtur. Natus is erat nobili genere in Lusitania, sed mo-

(1) *Extat manu scriptum in Florentina Bibliotheca Virginis ab Angelo Salutatae.*

vit eum litterarum & religionis studium, ut in Etruriam, in qua incunabula familiae Servorum B. M. V. & vestigia inveniuntur summorum hominum, qui in ea floruerunt, concederet. Maximum cepit fructum ex institutionibus Poggii & Rossii, quorum absentium ita vices gessit in Pisana Academia, ut pleno gradu in arenam theologicam ingressus esse, in eaque in dies longius processisse docendo exercendoque se se judicatus fuerit (1). Sed mihi minus libet multa scribere de instrumento, quo opus esse putavit ad res divinas interpretandas, cum id cognosci possit ex libello, quem Florentiae vulgavit an. 1692. cum hac inscriptione: *Idea theologica, dogmatica, historica, scholastica, moralis & canonica*. Illud vero dubitare non debes, quin tam lauta supellex in ejus potestate fuerit, & si quid illi defuisse videtur, fuit profecto politior elegantia, quae facit, ut inventa non solum vestiantur atque ornentur oratione, sed etiam ordine & momento quodam & judicio exponantur. Ceterum in illo libello multa sunt praeclara ad probandum Deum esse unum & bonum, & vere Patribus locutum esse in Prophetis, atque in Christo. Majora etiam vel ex eo tempore vulgare meditabatur, ac praesertim de novae legis Sacramentis, sed non omnia, quae voluit, perficere potuit. In illis vero vehementibus contentionibus, quae tamquam *σκιωμαχίαι* esse videbantur, quibusque tantum tribuebatur, ut ab illis pendere judicaretur & doctorum fama, & discipulorum utilitas, ita se gessit Roboredus, ut omnes illum tanquam accerrimum bellatorem vererentur. Erat enim, ut sunt fere Lusitani omnes, acutissimo ingenio. Ob tanta & naturae & industriae bona quantum honoratus fuerit in-

(1) *Cum anno 1693. referret ad Principem Curator Academiae de hujus statu, ait*. La cattedra di Teologia appartiene da 17. anni al P. Gio. Francesco Poggi Generale de' Servi con provvisione di Scudi 100. supplisce però per lui il P. Giulio Antonio Roboredo di Portogallo dello stesso Ordine giovane di grande ingegno e studio.

telliges ex titulis librorum, quos vulgavit. Nihil enim in iis praetermisit, quod ad ipsos & auctoris nomen opinioni hominum commendandos conducere posse putavit (1). Qui *Lucerna prophetica* inscribitur, quoque praesertim Isaia illustratur, multa continet, ex quibus cognosci potest Roboredum non in sacris modo, sed etiam in profanis litteris fuisse versatum, quas ad id, quod sibi explicandum proposuerat de canticis, & veteri psallendi modo, satis feliciter traduxit. Qui ejus impetus ad laudem noverant, quique omni honore dignissimum illum judicabant, visi sunt subirasci Academiae Praefectis, quod postquam vicariam huic operam per duodecim & amplius annos navaverat, ab ea discedere eumdem sivissent. Rediit postea ad ipsam cum e vita cessisset Rossius, in eaque mansit ad vitae usque exitum, quod accidit VI. Kal. Octobris an. 1728. cum complesset nondum LXIII. aetatis annum. Laudavit eum funebri oratione Henricus Verzellius, eaque est in manibus hominum.

---

(1) Lucerna Prophetica, Pars I. Lucae an. 1715. Pars altera Florentiae 1721. authore P. Magistro Julio Antonio Roboredo Ord. Serv. B. M. V. Ex. Provinciali, in Florentina Universitare S. Scriprurae & Controversiarum Lectore, Equestris Ordinis Hierosolymitani Theologo, Sancti Officii Consultore. Sacrae Majestatis Joannis V. Portugalliae & Algarbire Regis ac nationis Lusitanae apud Regiam Hetruriae Aulam a negotiis.

Dissertationes ad praecepta primae tabulae. Florentiae 1715. *Nuncupavit hoc opus Cosmo III.*

Idea Theologica, dogmatica, historica, scholastica, moralis, canonica: *In fronte hujus libri editi Florentiae 1692. se Cardinalis Francisci Mariae Medicei Theologum & Pisanum Sacrae Theologiae publicum Professorem ac Florentinae Universitatis Decanum appellat.*

Modesta venatio defensa; Florent. 1718 in 8. *Vide quae de Roboredi operibus judicarunt Veneti scriptores ephemeridum Litteratorum* Vol. 22. p. 448. Vol. 24. p. 395. Vol. 33. Par. II. p. 380 Vol. 34. p. 368.

Eclogae duae in obitu Francisci Mariae Medicei.

Proferre etiam debemus ex eadem Servorum B. M. V. familia hominem, prout ferebant tempora, praestantissimum, qui postquam per XV. annos logices & philosophiae cathedrae tum extraordinariae, tum ordinariae praefuerat, an. 1703. munus tradendae theologiae scholasticae suscepit. Is est Aloysius Maria Garbius Florentiae natus postrid. Kal. Quintilis an. 1662. doctus vir & optimis studiis deditus, de cujus virtutibus, quae fuerunt non suis modo, sed & universae Etruriae notissimae, non mihi propositum est dicere. Tenuit locum inter principes theologos, & quidquid habuit, habuit ex disciplina Poggii, cui ante omnes fuit carissimus. Studio autem neminem, nec industria majorem cognovisses, & quod praestabat etiam ingenio, contigit illi, quod paucis, ut ad omnes res aptus esse judicaretur. Jussus persequi annales familiae suae, quos Archangelus Gianius perduxerat ab an. 1233. ad annum usque 1609. Italiam fere omnem peragravit, ut monumenta colligeret, quae huic operi necessaria esse putavit. Nam illi propositum fuit non solum historiam contexere ad sua usque tempora, sed & omnia ea, quae litteris mandaverat Gianius, aut confirmare, aut illustrare, aut emendare, quod sane non mediocris fuit laboris. Anno 1719., & eo, qui consecutus est, bina Lucae vulgavit volumina, quae historiam continent ab ortu Sodalitii ad annum usque 1633. nec desperabat fore, ut his brevi adderetur tertium, cum exposuisset omnia ea, quae acciderant ad annum usque 1698. & in promptu haberet multa, quae ad consequentes annos pertinebant. Sed mors, quam obivit apoplexi sacrum peracturus correptus VI. Kal. Maii an. 1722. obstitit illius votis. Inventus tamen est Roboredus, qui inchoata perficeret, debitasque laudes tribueret Garbio, edita in III. Annalium volumine funebri oratione, quam habuit Florentiae dum justa illi ab universo theologorum collegio solverentur. Scribendi autem genus quod fuerit in utroque, haud requires, si nil probas, nisi quod aureae aetatis Latinorum scriptorum quasi cantu coloratur.

Duobus postremis, quibus vixit, annis Garbius, vices illius ab Academia absentis gessit Joseph Miglioratus in urbe S. Miniatis nobili genere ortus, cui magnam sui & in docendo, & in gubernanda familia concesserunt prudentiam. Docuit autem theologiam non in Etruria modo, sed etiam Massiliae in Gallia, & omissis ceteris studiis, unum id egit, ut nihil esset in divinis libris, & Ecclesiae institutis ac legibus, quod ipse ignoraret. Vita excessit Florentiae ineunte an. 1757. cum ageret LXXIV. aetatis annum, & hoc fuit pietatis illius, ut Florentinum coenobium, quod a Virgine ab Angelo Salutata nomen habet, & in quo altus educatusque fuit, sanctiorem disciplinam retineret, & plurimis per se quoque augeretur ornamentis.

Omnes hos theologos, de quibus diximus, vicisse arbitramur Gerardum Mariam Capassium, in cujus vita declaranda si tibi longior videbor, scias volo me de summo viro dicentem malle in hanc partem errare, ut quae non desideres, audias, quam quidquam, quod opus est, praetermittatur. Acutissime enim vidit quanto apparatu esset opus ad exolvendam theologiam Scholasticorum laqueis, suaeque dignitati restituendam, qua re & sui, & Academiae nostrae gloriae mirum in modum consuluit. Natus is est Florentiae XI. Kal. Februarias an. 1653. parentibus Bernardo Capassio & Catharina Zuccagnia, qui quamvis fortunae bonis minime pollerent, fuerunt tamen diligentissimi, ut filio in virtute, doctrina, humanitateque percipienda plurimum vel a pueritia studii esset, & temporis. Inter bonas artes praeclarum ingenium brevi adolevit. Ex quo factum est, ut cum ineunte anno MDCLXIX. nomen dederit sodalitati Servorum B. M. V. non post multo electus fuerit ad tradendam suis Philosophiam, quod ipsum munus, fama jam excellentis Peripatetici sibi comparata, Senis quoque sustinere debuit. Magnus & clarus antea Gerardus, major & clarior haberi coepit postquam demandatum est illi magisterium Theologiae, in qua facultate quantum valeret, tum praesertim ostenderat cum theologicas theses (dedicavit has Ludovico XIV. Galliarum Regi) in Sodalitatis Comitiis publice Romae propugnaverat. Cumque ejus fa-

fama egressa jam domestica claustra ad aures usque Cosmi III. Magni Etruriae Ducis pervenisset, facile ab hoc impetravit, ut vices Pisis gereret collegae sui Poggii in munere Theologiae Doctoris, a quo illum abstraxit Coenobii Florentini praefectura. Profuit quidem Capassio commoratio Pisana. Nam summorum virorum, inter quos quotidie versabatur, auctoritate & exemplo sejunxit se a Peripateticis, cum quibus temporum potius vinculis, quam suo judicio se conjunctum esse dicebat; & in optimo Philosophiae genere cognoscendo, maximeque in profana & sacra eruditione ex fontibus haurienda, cum antea sibi subsidia comparasset linguarum Hebraicae, Graecae, & Gallicae, omne suum studium collocavit. Huic Pisis commoranti commendare solitus fuit Antonius Magliabechius exteros homines doctrina illustres, qui illuc visendae urbis gratia concedebant; cujus rei praeclarum dedit testimonium Mabillonius (1). Postquam Capassius quadriennium ferme operam suam vicariam Academiae Pisanae tribuit, rediit anno MDCLXXXVII. ad domesticam scholam, quam praestantissimis artibus, quibus se instruxerat, exornandam suscepit. Sed dum eas in publicum proferre voluit, iniquitate magis temporum, quae omnem aversabantur novitatem, quam sua culpa in maximas molestias, turbulentissimasque tempestates incidit. Est hoc in more positum, ut qui in Florentino Coenobio Servorum B. M. V. Theologiam docet, quotannis per discipulum publice defendendas proponat Theologicas theses. Proposuit autem Gerardus, ediditque, approbantibus iis, quorum munus est providere ne quid ex malis libris Christiana Respublica detrimenti capiat, non theses modo theologicas, sed & historicas, criticas atque philosophicas, in quibus defendendis homo peracutus non quaesivit rationes eas, quae ex conjectura pendent, & quae huc & illuc trahuntur, sed quae persua-

(1) Museum Italicum Tom. I. p. 185.

dendi necessitatem habere videbantur. Et quidem magna fuit admiratione animique perturbatione commotus, postquam intellexit ab Antonino Clochio Dominicanae Familiae Magistro quatuor illarum thesium, quas infra exscribemus (1) accusatas fuisse erroris apud Romanos Catholicae Fidei Quaesitores, auxitque dolorem horum damnatorium judicium, & quae inde sibi proponebantur minae atque terrores. Ad hos propulsandos (neque sane in tanta re erat reticendum, ne quis silentium in conscientiam duceret) docte & copiose caussae suae defensionem scripsit, quam cum suis ponderibus, severis illis quidem; Quaesitores ipsi examinassent, rationum & veritatis vi illos con-

---

(1) *I. Auxilium a Theologis lumen Gloriae appellatum nequaquam aliquid a Deo distinctum est, sed Deus ipse.*

II. Symbolum, quod sub nomine Athanasii circumfertur, an vere Athanasii sit, nedum dubitamus, verum & negativam partem ut probabiliorem amplectimur.

III. Cum omnium & singulorum Sacramentorum materiae & formae nequaquam fuerint a Christo Domino determinate institutae, penes Ecclesiam eas determinandi ac immutandi auctoritatem esse censemus.

IV. Cum fere omnes Ecclesiae Patres usque ad Christi saeculum XII. nullam accidentium physicorum, sed specierum duntaxat in Eucharistia mentionem faciant; imo cum Aug. l. 2. solidoq. c. 12. habeat: cui posse fieri videatur, ut id quod in subjecto est, maneat ipso pereunte subjecto? Monstruosum enim & a veritate alienissimum est, ut id quod non esset, nisi in ipso esset, etiam cum ipsum non fuerit, possit esse. *Quae verba licet laudatus Pater nequaquam de Eucharistia determinate edisserens fuerit locutus, tamen sui temporis mentem satis ostendunt. Quare melius hoc mysterium altissimum Eucharistiae juxta SS. PP. placita absque accidentibus a Peripateticis Scholis explicatis defendendum suscipimus; imo stante divina transubstantiatione, ac specierum panis, & vini in Sacramento permanentia, haereticorum cavillationes contra hoc mysterium a ratione deductae Platonicis magis, quam Peripateticis principiis facilius enervantur.*

victos fuiſſe oportet, quoniam sine poena, & sine objurgatione ulla Capassium judicio liberarunt. Neque est reticendum Clochium postquam rationum momenta perpendit, quibus Capassius theses suas defendebat, accusatoris personam deposuiſſe, ut caperet deprecatoris. At quanquam ea fuerit caussa Capassii, ut aequorum hominum judicio de fama doctrinae, dignitate, honestateque illius quidpiam minime derogaverit, tanta tamen fuit inimicorum ejusdem perfidia, ut nunquam veteres accusationes prorsus deferbuiſſe viderentur. Quas dolens pro sua singulari in Capassium benevolentia & aequitatis amore Prosper Cardinalis Lambertinius ajebat, illum parum cautum providumque fuiſſe in defendendis iis rebus, quae Italiae illis temporibus inauditae erant, & quae triginta annis serius non solum sine periculo, sed etiam cum aliqua laude defendi potuiſſent. Nihilo tamen minus, quod mireris, nunquam ex albo damnatorum librorum erasus fuit Capassii libellus, qui supra relatas theses continet, quique ita inscribitur: *Conclusiones ex Theologia, ac Philosophia selectae pro solemniis D. Dominici propugnandae a F. Henrico Ant. Verzelli Servita in Conventu SS. Annuntiatae de Florentia, praeside D. M. Gerardo Capassio Florentino in eodem Coenobio Studii Regente. Florentiae* 1687. Sed, ut diximus, haec omnia acciderunt sine ulla imminutione famae existimationisque Capassii, & quamvis Lycei luce per id temporis caruerit, intra parietes tamen aluit eam gloriam, quam meo judicio nulli sunt postea consecuti. Ut autem ille magno ingenio suo, magnoque optimarum artium studio scholae dignitatem sustinuit, ita prudentia, dexteritate & consilio res familiae bene & utiliter gessit. Factus an. MDCXC. scriba Magistri Generalis Jo. Francisci Poggii cum eo Coenobia non Italiae solum, sed & Germaniae lustravit. Datus & vicarius ejusdem Magistri Generalis nonnullis Provinciis fuit. Etruscam rexit, Florentinum Coenobium biennio gubernavit, & in eodem Coenobio curam tyronum sustinuit. Tantam de Capassio opinionem imbiberant animo Germani Coenobitae, ut cum vellent familiae instituta & leges, quae in Italia vigebant, ad suas

rationes & mores accommodare, illum potissimum expetierint, atque depoposcerint, qui hanc rem praestaret. Illorum postulationi satisfecit Jo. Petrus Bertazzolius, qui tum clavum familiae tenebat, & in Capassio tanta prudentia fuit in constituendis, temperandisque rebus, tantaque aequitas, ut hodie etiam stent Germanica Coenobia Capassii institutis servandis. Paullo ante quam is in Germaniam proficisceretur, coeperat jam acerrima pugna, quae inter ipsum & Jacobum Laderchium Congregationis Romani Oratorii, ut vocant, Presbyterum fuit, cujusque caussam ab ultima origine nobis explicandam putamus. Gratiae magis, quam veritatis amans Laderchius scriptis suis conciliare se posse putavit auctoritatem & fidem commentitiis, quae habemus, actis SS. Martyrum Crescii & Sociorum. Nam Cosmus III. Magnus Etruriae Dux praecipuo cultu illos venerabatur, quem in aliis quoque studens excitare, eorumdem Sanctorum Aedem in Mucellano agro refecerat atque exornaverat. Nihil erat sane quod Laderchius, qui verum invenire nolebat, sententiam Capassii de iisdem actis requireret. Requisivit tamen cum Florentiae esset autumno an. MDCCVI. credo ut cognitam praeter desiderium suum (& sane Capassius candide pro sua consuetudine respondit plurimas falsi notas in iisdem actis se videre) malis artibus, si fieri potuisset, infringeret atque labefactaret. Relatum interea ad Capassium fuit injuriosos de se rumores sparsos a Laderchio fuisse, quod scilicet omnia SS. Martyrum acta rejiceret atque contemneret. Id postquam resciit, excanduit ira, graviterque cum amicissimo suo Laurentio Magalottio homine in rebus judicandis spectato & cognito questus est, Laderchium violare existimationem suam, caussamque inimicitiarum quaerere. At justam Capassii offensionem non parum mitigarunt Magalottii consilia, & Laderchii ab Etruria discessus, qui omnem hac de re sermunculum aut sedavit, aut plane restinxit. Brevi tamen & acerbius refricatum est vulnus, cum ex litteris a Justo Fontaninio ad Antonium Magliabechium datis Capassius intellexisset, Laderchium Romae in sermonibus ea de se jactare, quae, ut falsa, ita prorsus sibi erant indecora. Cetera inter affirmabat La-

derchius se a Capassio incitatum fuisse ad accusationem, oppugnationemque suscipiendam operum Tillemontii, quam rem idem Capassius plenam inconsideratissimae ac dementissimae temeritatis semper judicaverat. Ita exacerbati erant utrinsque animi, cum anno MDCCVII. prodierunt in lucem *Acta Passionis SS. Crescii & Sociorum Martyrum ex MMSS. Codd. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae, Metropolitanae Ecclesiae Florentinae, & Sapientiae Romanae nunc primum edita, & a Jacobo Laderchio Congregationis Oratorii Urbis Presbytero asserta & illustrata* De quo libro quid sentiret Capassius non dubitavit aperire Justo Fontaninio, qui sententiae & opinionis illius, sua prius exposita, particeps esse voluerat. Capassii epistola sane longa ad Fontaninium, quae ut occultaretur ipse petierat, nescio quomodo in manus Laderchii pervenit. Edidit illam in vulgus, propterea quod ad singula, quae objecta fuerant, se respondere posse putabat. Scripsit itaque epistolam ad Equitem quemdam Florentinum, qua non tam se ipsum defendere voluit, quam contumeliosissime Capassium provocare; utque liberius & tristius ei, cui iratus erat, respondere posset, finxit eamdem epistolam Petrum Donatum Polldorium exarasse. Hujus epistolae probra & errores ultus est Thomas Maria Minorellius doctus vir Dominicanae familiae, qui sub nomine Joannis Storchii latere voluit; & Leander Porzia, qui commendatione doctrinae ad Cardinalatum postea pervenit, & prae ceteris Benedictus Bacchinius, cui neminem praefero cognitione sacrae antiquitatis, affuerunt etiam Capassio scriptis suis, quae tamen lucem minime adspexerunt. Sed qui fuerint Bacchinii sensus intelligi potest ex III. Volumine Ephemeridum Litteratorum Italiae, quo in libro tota hujus controversiae historia, rerumque, quae occasione ipsius scriptis mandatae sunt, materies copiose apteque explicantur. Poterat quidem Capassius his defensoribus contentus esse. Sed is, cui facile concalescebat stomachus, nec facile in insolentium hominum indignitate mitigabatur, suis magis, quam alienis armis adversarii audaciam contundere, seque vindicare existimationi hominum posse putavit. Itaque li-

Digitized by Google

brum exaravit, vulgavitque, qui inscribitur: *Nugae Laderchianae in epistolam ad Equitem Florentinum*, in quo nescias major ne sit vis recti judicii & copia doctrinae, an argutiarum & salium. Et si certis quibusdam finibus se continuisset (non enim semper acu, sed etiam ictu gladiatoris ferit Laderchium) majores profecto laudes consecutus fuisset a sapientibus viris, quibus, ut ait Hesiodus, improbata semper fuit contentio illa, quae alienis gaudens malis animos in diversa distrahit, & discordiam auget, quamque noctem obscuram, adeo ipsam indignam homine putat, genuisse dicit. Liber hic magnam offensionem excitavit in Cosmo III., qui non satis severe pro rei indignitate se decrevisse ajebat, quod illum flammis damnasset. Ex qua summa Principis offensione labes etiam aliqua dignitati Capassii aspersa fuisset, si certo testimonio comprobari potuisset opus ab illo exiisse. Hoc enim Antonii Gatti nomen praeferebat. Nihilo tamen minus multas hujus rei caussa habuit Capassius molestias, neque fortasse S. Officii censoriam severitatem, quod potissimum molitus fuerat Laderchius, declinasset, nisi in aequitate Clementis XI. & Cardinalis Petri Ottobonii, cui in primis idem Pontifex caussam hanc mandaverat, magnum praesidium innocentiae suae reperisset. Nihil vero in tota hac controversia mirabilius fuit Capassii firmitate, quam ostendit praesertim, quando, oblatis sibi a Romanis Quaesitoribus capitibus quibusdam, in quibus omnis spes salutis posita esse videbatur, subscribere recusavit. Id enim si fecisset vix a se se criminis suspicionem propulsare posse intellexit. Sedatis paullulum fluctibus, calamum iterum in manus sumpsit poenas repetiturus a Laderchio novarum injuriarum. Sed abjecit postea, quam magna ex parte confecerat, *II. Centuriam nugarum Laderchianarum*, sequens illorum consilium, qui tragoedias in nugis minime agendas esse dicebant. Plurimum etiam valuere ad mitigandum Capassii animum, quae, ipso Magno Duce approbante, de historia SS. Crescii & Sociorum scripsit vulgavitque M. Antonius Mozzius Canonicus Florentinus. Quanquam enim a Capassio nonnullis in rebus dissentiret, tantum attamen hic dedit veritati,

ut justam Capassii caussam judicaverit. Nam id praecipue Capassius adversus Laderchium probandum susceperat, S. Crescium, hujusque Socios minime martyrium subiisse anno I. Imperii Decii Augusti; illorum, quae extant, acta perspicue in eo mentiri, quod Decium a mense Octobre an. CCXLIX, ad Majum usque insequentis anni Florentiae fuisse affirmant; eademque minime ante Nicaenum Concilium, sed multis post saeculis conscripta fuisse, ut in primis indicant varii dicendi modi ac formulae, consuetudinesque, quae in ipsis occurrunt, longe ab antiquitate abhorrentes. Praeteritis commonefactus periculis ac malis otium tranquillitatemque vitae spectare coepit Capassius, idque ut facilius obtineret eripere se e conspectu Cosmi III. constituit, ejus gratiam & amissa munera (fuerat enim tum ipsius Cosmi, tum Card. Francisci Medicei Theologus) recuperare se posse plane desperans. Romam itaque venit exeunte anno MDCCIX. cum plurimum spei haberet in perspecta jam erga se Renati Imperialis Card. benevolentia. Et quidem benigne liberaliterque fecit Cardinalis, cum sibi Capassium Theologum delegerit, & comitem habere voluerit in itinere, quod Mediolanum fecit, cum Legatus a Clemente XI. ad Hispaniarum Regem mitteretur. Neque minorem erga se benevolentiam Capassius expertus est Card. Michaelis Angeli de Comitibus, a quo, ut ab Imperiali, in omnibus consiliis & deliberationibus ad res theologicas pertinentibus adhibebatur. Ipse vero nunquam iis non praestitit fidem & diligentiam singularem, ac parem ingenuitatem, libertatemque dicendi. Cujus quidem libertatis si semper moderatricem habuisset prudentiam, cumulatius satisfecisset iisdem Cardinalibus, neque se novis implicuisset malis. Sed ita erat natura comparatus, ut non solum fingere & dissimulare, sed etiam obtegere sententiam suam, ejusque acerbam severitatem blandi sermonis artificio mitigare nesciret. Audierant ex eo multi quid sentiret de *Constitutione Unigenitus*, quam per illa tempora Clemens XI. condiderat atque promulgaverat; nec voce tantum, sed etiam scripto Capassius sensus suos aperuerat, cum saepe hac de re litteras ad amicos suos praesertim Gal-

Digitized by Google

los dedisset. Interim Romae apparuit epistola quaedam Gallice scripta, quae persuadere conabatur Clementi XI. esse illius sapientiae & aequitatis definite distincteque declarare quo sensu intelligi deberent damnatae quaedam propositiones Quesnellii, propterea quod illae in utramque partem, bonam scilicet & malam, accipi posse videbantur. Quoniam haec congruebant cum iis, quae valde solebant esse in ore Capassii, nemo non dubitavit ex hujus officina, quae circumferebatur, epistolam prodiisse. Quae epistola cum in manus quoque Pontificis pervenisset, magna is signa dedit Cardinali Imperiali doloris, offensique in Auctorem animi. Cupiens vero Imperialis periculum, quod impendebat, a Capassio propulsare, ei persuasit, ut scripto res contentas in epistola confutaret, atque redargueret. Id cum praestitisset Capassius, potuit se quidem metu, non tamen suspicione liberare nimis favendi iis, qui Pontificis Constitutioni adversabantur. Ii profecto tantum in Capassio confidebant, ut cum rumor sparsus fuisset Innocentium XIII. illum sibi adscivisse Theologum, omnes una mente & voce conclamare coeperint per illum tranquillitatem Christianae Reipublicae restitutum iri. Declaravit quidem Innocentius, cum primum Pontifex creatus est, velle apud se esse Capassium, seque illius opera & consilio, sicuti antea fecerat, in rebus Theologicis uti. Sed cum id cognovissent inimici illius, qui erant potentissimi & plurimi, tot adhibuerunt machinas ad convellendum Pontificis animum, ut majori vi oppugnari non potuerit. Clamabant etiam plerique Cardinalium injuriam fieri universo ordini, si tanta fuisset auctoritas unius privati hominis in consiliis de rebus gravioribus dandis, quanta esse solet *Congregationum*, ut vocant, ipsorum Cardinalium. Neque hoc solum fecerunt inimici Capassii, sed etiam renovarunt accusationes de thesibus, de quibus supra commemoravimus, quarumque memoria propter vetustatem extincta esse videbatur. Et profecto nisi auctoritas Prosperi Lambertinii, & metus offendendi Pontificis animum obstitissent, Capassius contrusus fuisset in carceres nefariorum scelerum adversus religionem vindices, quam

poe-

Digitized by Google

poenam ab ipso non solum admurmuratione, sed etiam voce & clamore in primis expostulabant Cardinales Laurentius Corsinius, & Franciscus de Judice. Et dolendum hoc maxime fuit Capassio in tam gravi vulnere, quod Petrus Maria Pierius secum sodalitatis vinculis conjunctus, qui sedare Corsinium debuisset pro summa, qua apud eum pollebat, auctoritate in consiliis dandis, ipsum in se se inflammaverit. Quam ob rem de commutando vitae statu, deque transitione ad Dominicanos coepit aliquando cogitare. Sed hujusmodi mentem brevi mutavit, quod res aliquid offensionis habitura, & indicia fracti animi allatura esse videbatur. In hoc vero satis gloriose de inimicis suis triumphavit, quod Innocentius XIII. non solum voce, sed multo magis etiam factis declaravit, mala, quae ipsi impenderunt, non ulla ejusdem culpa, sed occultorum quorumdam hominum studiis & machinationibus excitata fuisse. Nam quamvis Theologi munus ei minime assignavit, ejus tamen consilium multis in rebus exquisivit, ipsique mandavit, ut scripto exponeret, quae praesentibus Christianae reipublicae temporibus & concordiae convenire judicasset. Opus itaque excudit, cujus est titulus: *Riflessioni d' un Religioso devotissimo della Santa Sede sopra un modo di levare li occorrenti dissidii per la Costituzione Unigenitus;* quod quidem opus non latuisset semper in thesauris Capassii (1), si is occultius rem egisset, neque divulgasset de Gallicis negotiis jam esse confectum. At ne quid conficeretur, obstitit etiam immaturus Innocentii interitus, quem omnes boni, & Capassius in primis vehementissime doluerunt, quasi cum eo extincta fuisset omnis spes publicae tranquillitatis. Brevi haec revixit, cum in locum Innocentii successisset Benedictus XIII.,

---

(1) Tom. I. Manuscript. Capassii, quae extant in Florentina Bibliotheca SS. Annuntiationis.

recreatusque etiam Capassius fuit, quod ab hoc Pontifice non mediocria sibi amoris existimationisque signa data fuerunt. Quia tamen desperabat fore, ut mansuetioribus Romae uteretur inimicis, postquam Pontifici ad Romanum Concilium adfuisset, Florentiam ad suum coenobium rediit. Acceptus humaniter fuit a Jo. Gastone Magno Etruriae Duce, quod hic paterni odii in Capassium minime heres esset, planeque cognitam haberet illius singularem doctrinam. Cujus judicii sui illustrius quoque testimonium dedit, cum Capassium Stephaniani Ordinis Theologum, & Theologiae Doctorem in Academia Pisana creasset (1). Non tamen ipse operam suam navavit Academiae, utens potestate, quae sibi data fuerat, quem voluisset, in locum suum substituendi. Substituit autem Joannem Petrum Fancellium Senensem, quem multi summis parem Theologis judicarunt. Tandem Capassius, cujus vita perpetuis fluctibus fuerat objecta, pacatis ventis coepit uti, & quo propius ad mortem accedebat, quasi terram sibi videbatur videre, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus. Sic quidem reliquum vitae tempus traduxit, ut ad placandum unice Deum illud sibi relictum esse judicaverit. Apoplexis, qua semel iterumque correptus fuit, eum vita privavit anno MDCCXXXVII. X. Kal. Decembres paullo post mediam noctem. Illam vero multo antea praenuntiaverant frequentissima animi deliquia, quibus ut primum tentatus est, illa mentis acies, quae semper in eo fuerat summa, coepit hebescere. Triduo post mortem solemnes exequiae eidem persolutae fuerunt, habuitque orationem de illius laudibus Julianus Sallerius, qui hoc se debere putavit & gradui dignitatis,

---

(1) *Sic enim decrevit an.* 1717. Elegge alla cattedra di Teologia Scolastica secondo la mente di S. Tommaso il P. M. F. Gherardo Capassi con stipendio di Sc. 160. e con facoltà di sostituire altro Religioso di sodisfazione dell' Auditore dello Studio.

Digitized by Google

quem in sodalitate tenebat Capassius (nam Innocentius XIII. illum Exgeneralem, ut vocant, declaraverat) decori & laudi civitatis & Academiae Pisanae, suae necessitudini, gratoque totius sodalitatis desiderio propter summa, quae a Capassio omni tempore acceperat, beneficia. Nemo enim inter alumnos illius erat illustris doctrinae nomine, cui Capassius lucem ingenii, & consilii sui minime porrexerit; & quo posteritati etiam serviret, auxit suum Florentinum coenobium eximia librorum supellectile, effecitque ut soror sua Flammetta huic bibliothecae hereditatem suam, ex qua redeunt quotannis LXIV. centusses, testamento legaret. Donavit etiam Capassius Templo sui coenobii non mediocrem supellectilem opere eleganti perfectam, quod non minus ejus pietatem, quam liberalitatem demonstrat. Ut vero his largitatibus copiolae suae satis esse possent, has magna parsimonia ac diligentia colligebat. Neque solum liberalitas & parsimonia, sed & aliae virtutes specie dispares prudentia conjungebantur in Capassio. Quis enim illo severior & dulcior, gravior & comior habitus est? Amicitias coluit tum nostratum, inter quos maxime dilexit Laurentium Magalottium, Antonium Mariam Salvinium, & Guidonem Grandium, tum exterorum, maximeque Gallorum, apud quos tanto in honore erat Capassii nomen, ut nemo ei superior doctrina divinarum rerum poneretur. Quod judicium ferebant quoque Itali omnes, qui summa malevolentia & livore minime impediebantur; numerabanturque iis temporibus Theologorum principes Benedictus Bacchinius, Joaunes de Miro, & Gerardus Capassius. Ex multis, quae afferre possem, testimoniis unum eligam Card. Prosperi Lambertinii, cujus extant litterae ad Antonium Niccolinium in hanc sententiam scriptae. *Quaeso confer te sub vesperam ad Templum Virginis ab Angelo Salutatae: ibidem tantisper opperire Capassium, dum ipse divinis precationibus satisfecerit. Quando tibi obversatur ante oculos, qui statura omnes collegas suos multum superat, cogita hunc studio, ingenio, & doctrina non solum iis esse superiorem, sed summis quoque viris ceterarum omnium sodalita-*

tum. quae cis, & ultra montes sint, parem haberi posse: ***hunc in*** *cubiculum persequere, meoque nomine amicissime amplexare.* Hoc judicii non solum, sed etiam benevolentiae Lambertinii in se testimonium merito quidem Capassius multorum elogiis anteponebat, similis illi Hectori Naeviano, qui, ut est apud Ciceronem, non tantum laudari se laetabatur, sed addebat etiam a laudato viro.

Fancellius ille, de quo supra mentionem fecimus, quique partes Capassii egit in docenda tum scholastica, tum dogmatica theologia, talis quidem theologus fuit, ut facile potuisses ipsius Capassii discipulum agnoscere. Simul ac ille venit ad Academiam, quod, ut supra innuimus, accidit an. 1727., id scilicet curavit, ut famae serviret, discipulis consuleret, & hos non modo, sed etiam aetate provectos ad se se audiendum invitaret, ea e superiori loco exponens, in Dallaei praesertim sententiis confutandis occupatus, quae novitate, eruditionis copia, & varietate doctrinae commendabantur. Accedebat ad haec non inelegans dicendi genus, in memoriter recitando facilitas, & in pronuntiando suavitas. Quare si illum parem summis magistris, quamvis litteram nullam reliquerit (1), fuisse dixerim, non assentatorie loqui videbor. Praestitit & prudentia, cum multis in rebus a suis sodalibus adhibitus fuisset, & per totos XII. annos summam familiae praefecturam gessisset. Tandem an. 1749. emeritus Professor declaratus est, & XI. fere post annos septuagenario major vitam Senis in suorum sinu, & cum omnium bonorum lacrimis amisit.

Quanquam more institutoque majorum scholasticae theologiae cathedrae praeesse solerent Minoritae & Servitae, haec tamen aetas aliarum religiosarum familiarum hominibus locum in ea datum fuisse

(1) *Vix commemoranda videtur vita S. Peregrini Laziosii, quam sine auctoris nomine Romae edidit an. 1727. & Benedicto XIII. S. P. nuncupavit.*

vidit. Et anno quidem an. 1713. ad nos venit Joseph Inguimbertius e Dominicana familia, qui eximius habitus est divinae sapientiae magister. Is natus erat Carpentoracte VII. Kal. Septembris an. 1683. honestissima familia, & quod plurimum profecerat in litteris, & bonitate morum erat singulari, statim ac pedem posuit in Etruriam, multos invenit amantes sui, suaeque doctrinae praedicatores. Ea propter facile locum obtinuit in Academia nostra, a qua anno post discessit, ut nomen daret Cisterciensium monachorum familiae, quos Trappenses dicimus, quique incolebant Abatiam S. Jo. & Paulli, quae est in eo Latii loco, cui nomen *Casamari*. Ibi non modo sanctitati, sed & litteris vacasse creditur, vulgavitque Romae an. 1718. Vitam illius familiae institutoris cum hoc titulo: *Genuinus character Reverendi admodum in Christo Patris D. Armandi Johannis Butilierii Rancaei Abatis monasterii beatae Mariae domus Dei de Trappo, ibique primigeniti Spiritus ordinis Cisterciensis restitutoris, & pristinorum usuum cultoris indefessi, expressus ex variis, quae animum ipsius primum mundo, tum Deo servientis optime ostendunt.* Liber sine auctoris nomine Annibali Albanio Cardinali inscribitur, cui collegium illud monachorum singularia beneficia accepta referebat. Tam prorsus latere volebat Inguimbertius, sed repente ad lucem, & ad Etruriam suam rediit, benignissime a Cosmo III. acceptus, qui eum statim aulae Theologum, & Florentini Lycei magistrum declaravit. Hujus ut in Deum pietati serviret, eidemque animum suum gratissimum declararet, in illius nomine an. 1722. apparere voluit librum, qui inscribitur: *Specimen catholicae veritatis, cui Athei, Deistae, Pseudo-politici, circa quamcumque sectam indifferentes, Religionis contemptores, dubiae fidei & critices intemperantioris auctores &c. velamina praetendere nituntur exhibitum a F. Malachia d' Inguimbert &c.* Opus magnificentissime Pistorii impressum quinque in libros dividitur, quorum in primo & secundo ostenditur Deum existere, & infinita beneficentia rebus omnibus humanis consulere, in tertio probatur nullam excusationem illorum stulti-

Digitized by Google

tiam habere, qui aut a religione declinarunt, aut de ea nihil curant, quo in loco necessitas ad bene beateque vivendum demonstratur catholicae religionis: in quarto ea omnia afferuntur, quae convincunt humanam animam esse immortalem, ac demum in quinto declaratur a Deo prodiisse, nec fallere posse sacros libros. Alia, sed minora (1) in vulgus emisit Inguimbertius, & quod amplectebatur, quod profitebatur, quod suscipiebat, summa semper diligentia perfecisse judicatus est. Habuit vero quo suo in litteras studio plane satisfaceret, cum Romam evocatus a Laurentio Corsinio Cardinali praefectus fuisset bibliothecae, quam multis nummum millibus ab heredibus Philippi Gualterii Cardinalis coemerat. Nec sine amplissimo praemio labor fuit. Nam cum Summus Pontifex ille factus fuisset, Inguimbertium Theodosiae Archiepiscopum, atque non multos post annos Carpentoractensium antistitem creavit. Vestigia Sadoleti Cardinalis, quae in ea urbe non pressa leviter ad exigui praedicationem temporis, sed fixa ad memoriam omnium sempiternam fuere, ita persecutus est, ut singularis omnium bonorum in illius laudanda sanctitate, prudentia, ac liberalitate consensus fuerit. Debitum naturae reddidit an. 1757.

Non multo post quam ipse ab Academia discessit, Dominicanus alter nomine Ignatius Perinius, patria autem Taurinensis in illius locum suffectus fuit. Quanquam in ea facultate, quam profitebatur, quicquam illi deesse haud videretur, minime tamen ad hominum famam pervenit, quod idem dixeris de Fortunato Cortesio Senensi e Carmelitanorum familia, de Thoma Morandio Florentino Franciscano homine, & Ubaldo Vernacinio Pisano ex eadem Dominicanorum so·

(1) *Hujusmodi sunt;*

Trattato dello scisma tradotto in Francese: Roma 1725.

Vita di Mons. Bartolommeo de Martiri: Roma 1727. Vol. 2. in 4.

Regola di S. Benedetto; Roma 1728. Vol. 3. in 4.

dalitate. Hic saepe & jure vexatus fuit, quod, Francisco Lotharingio ad Etruriae gubernacula sedente, nimium favere Hispanis videretur, neque sibi a libertate loquendi temperaret, quam ob rem cum aliis nonnullis magisterio privatus fuit. Permissum tamen illi reliquam vitam, quam ad summam senectutem traduxit, in Florentino S. Mariae Novellae coenobio degere, quo in loco decessit.

Suos quoque habuit praeceptores illud theologiae genus, quod totum versatur in exponendis catholicae Ecclesiae dogmatibus, cujusque cathedra primum instituta fuit an. 1691. Tenuerunt eam Meslierius, Orlendius, Capassius, Fancellius, & quia de his duobus, ut & de Meslierio supra diximus, de Orlendio pauca nunc dicenda supersunt. Patriam is habuit Laudem Pompejam, & functus omni sodalitatis munere, beatum se putavit quod in Academia an. 1697. locum obtinuerit. Porro nulli pepercit labori, quo se omni eruditionis genere locupletaret, sed quia non adhibuit judicium acre & certum, illum magis laboriosum, quam prudentem collectorem facile dixeris. Magnum absolvit opus quatuor in volumina divisum, cuique titulum fecit: *Orbis sacer & profanus illustratus*. In horum primo Dioeceseon, Provinciarum & Metropoleon distributio explicatur, in ceteris autem tribus Ecclesiarum quarumdam Italiae primordia sic describuntur, ut omnis fere oratio Ughellii persaepe, interdum etiam vulgi opinionibus niti videatur. Quare minime est mirandum si censoriam multorum animadversionem ferre debuit, & dolere, quod non satis critices & diligentiae adhibuerit in separandis veris a falsis, & in supplendis iis, quae ceteros ante eum scriptores fugerant. Habebat domesticum exemplum, quod imitaretur, cum extaret *Oriens Christianus* Michaelis Lequienii ex eodem Praedicatorum Instituto, sed ab hujus laude plurimum sane abfuit. Multo antea quam illa vulgaret Orlendius, ediderat libellum, qui inscribitur: *Duplex lavacrum in Coena Domini fidelibus exhibitum*. Dum Florentiae erat an. 1709. Fridericus IV. Daniae Rex, quaesiverat quid esset, cur in quibusdam Ecclesiis duodecim, in aliis autem tredecim pauperum pedes abluerentur. Non huic modo

quaestioni satisfecit Orlendius originem, caussam, varietatemque hujusmodi ritus exponens, sed & satis copiose disseruit de annua altarium lotione, quam more majorum in Vaticana Basilica, aliisque Dominicanae Familiae Templis peragi probavit. Plura sane retulit, quae omnino nusquam reperiri ait, & quaecunque loquebatur minime carebant elegantia Latini sermonis, quare si non multum, aut nihil prorsus ceteris illustrioribus, qui tum Pisis erant, theologis concedebat, non arroganter de se judicasse videtur. Omnino & natura, & voluntas, & consuetudo assuefecerant illum ad laborem, sed minime imitatus est collegas suos Capassium & Fancellium, qui eam partem thologiae, quae ab exquisita quadam ratione & doctrina proficiscitur, sibi tantummodo excolendam putarunt. Is vitam amisit VI. Kal. Novembris an. 1633.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Theologiae Moralis Magiſtris.

Quod moralis theologia non aliunde quaerenda sit, quam ex ipsius theologiae visceribus, minime miraberis praeteritis temporibus nullos fuisse hujus disciplinae magistros, cujus praecepta tota relinquenda esse theologis majores nostri existimarunt. Porro quid esset illorum munus, & professio nisi statuerent quid recte fiat, quid non, quid consonum sit catholici hominis officio, quid ab eo discrepet, &, ut paucis dicam, quae sint bonae, malaeve actiones? Nihil est quod ad vitam sancte gubernandam pertinet, quod non praeceperint rerum divinarum magistri, & si quid laxamenti eorum monitis & jussis datum est, id maxime datum per eos, quos Casuistas vocitare solemus (1). Nihilo tamen secius placuit Academiae Rectoribus esse, qui separatim traderent hanc theologiae partem, & optimo consilio

(1) *Liceat testimonio uti sapientissimi Viri Gravesonii, qui de ratione tradendae moralis theologiae agens haec docuit.* Jamdiu pura, illibata, sancta, vereque christiana fuit morum disciplina, quamdiu a suis fontibus, videlicet Scriptura sacra, Patrum traditione, Conciliorum canonibus & summorum Pontificum definitionibus derivata est: at ex quo, relictis illis fontibus, ex ratione pure humana derivata est, atque hinc aliena esse coepit ab Ecclesiastica simplicitate & SS. Patrum doctrinis, sensim sine sensu a primaeva illa puritate, atque sanctitate degeneravit.

visum est iis decernere, ut in tradenda tanquam ducem & magistrum S. Thomam Aquinatem sequerentur, qui quidem nil statuisse ac docuisse videtur, quod non esset ex purissimis fontibus haustum. Ea propter huic cathedrae praeesse voluerunt homines e Dominicana familia, qui quasi religione obstricti sunt ad hujus Doctoris sententias omnes noscendas atque tenendas. Sed antequam id accideret an. 1622. permiserunt Antonio Pierallio Miniatensi, qui moderabatur Ducale, sicuti appellant, collegium, ut ea traderet, quae *ad forum poenitentiale*, quemadmodum loquebantur, pertinebant, quam ob rem nullum illi assignatum stipendium fuit, non quo de illius doctrina, morumque bonitate dubitaretur, sed quia perpauci tum erant, qui haec noscere cuperent.

Suam tandem dignitatem obtinuisse moralis theologiae cathedra visa est postquam eam an. 1636. regere coepit Bartholomaeus Ortega Hispanus, qui anno ante addictus Academiae fuerat extraordinarius philosophiae magister cum stipendio LXX. centussium (1). Ut mos ipsius, consuetudoque superioribus temporibus fuerat, omnes captabat occasiones disputandi cum collegis suis de divinis rebus, quanquam saepe accidebat, ut cum esset in utramque partem multis verbis acriterque disputatum, iidem homines discederent, qui venerant. Etenim quam semel probaverant sententiam pertinaciter tenebant. Cum aliquando praemia ampliora suorum laborum a Magno

---

(1) *Cum de eo referret ad Principem Sommaja haec scripsit.* F. Bartolommeo d' Ortega de' Predicatori Spagnuolo nato in Valgliadolid, dice avere studiato in detto luogo, ed in Salamanca. E' stato in Italia quattro anni, tre in Pisa, ed uno in Roma e Napoli. Ha frequentato la Sapienza in Pisa, e letto a'suoi Padri, & a molti altri filosofia, e teologia, & anco è stato Presidente a conclusioni pubbliche e private, ed in tutto ha mostrato talento, vivacità, e valore. Ha circa 35. anni, e come forastiero, e per altro, è poco amato da' suoi Padri.

Duce Ortega petiisset, de eo sic retulit Academiae Curator, ut dignum beneficio tum propter ingenium & doctrinam, tum propter diligentiam in exequendis iis rebus, quae sui muneris erant, illum judicaverit. Extremum diem morte confecit Pisis an. 1645., & sui, qui cum vivo male egerant, mortuo laudes tribuerunt.

Jacobus & Laurentius Zatii Fratres eidem muneri praefuerunt, ille antequam ad metaphysicam docendam vocaretur, hic autem postquam relictum a Fratre locum occupavit. Sed brevi tenuit, cum e vita sublatus fuisset postrid. id. Decembris an. 1654. quo ipso anno ad publice docendum, cum antea suos privatim Pisis philosophiam ac theologiam docuisset, vocatus fuit. De eo Dominicanarum rerum Scriptores testantur, pro eximia morum suavitate, ingenio, prudentia atque doctrina magno apud omnes fuisse in pretio, & quamvis nec opinans imparatusque ad Academiam accessisset, fuisse & jucunda & grata, quae de moralis theologiae laudibus coram universorum Doctorum collegio disseruit. De Jacobo nunc minime dicemus, quod alius erit dicendi locus; quare properabimus ad Jo. Vincentium Guinigium Lucensem, qui per totos XXVII. annos operam praestitit diligentissimam Academiae nostrae. Ut cetera paria cum iis, qui rerum divinarum scientia excellere putabantur, hoc certe praecipuum Guinigii fuit, quod quae tradebat, habebant ordinem & quamdam etiam disserendi elegantiam, & quia iis temporibus plures erant in ipsius catholicae Ecclesiae sinu, qui inscii imperitique pro salutaribus mortifera praecepta dabant, & licentiam libertatemque vivendi confirmabant, quam severissimum se praebebat in illorum confutandis erroribus. Praeclara voluntas juvandi recti honestique cupidis, ne simulacris virtutis deciperentur, retinendique sanctiora moralis theologiae dogmata, non solum omni laude, sed etiam liberalibus praemiis digna habita est, quare minime est mirandum si ita tenuit suum locum ad annum usque 1682. quo extinctus est, ut nemo sine luctu ejus obitum adspicere, & sine gemitu recordari potuerit.

Digitized by Google

Successit illi Carolus Bartholomaei Guccii Maiatensis filius, qui Perusia, ubi non suis modo Dominicanis, sed & universae urbi lumen ingenii consiliique sui porrigebat, ad nos vocatus fuit. Facile illi fuit opinioni, quam de se moverat, respondere; tantam vero iniit gratiam a Cosmo III. ut illo theologo uteretur, majora etiam daturus, nisi obstitisset ejus modestia, vel potius magnitudo animi in contemnendis honoribus. Porro qui de illo scripserunt, in eo consentire videntur, quod magnae doctrinae vir fuit, quod illustriores Italiae urbes ejus celebrarunt eloquentiam, quod in regendis suis prudentiam adhibuit singularem (nam per quadriennium, cum a Clemente XI. suo in munere confirmatus fuisset, Provinciam, ut ajunt, gubernavit) quodque tanta praeditus fuit suavitate morum humanitateque, ut omnes meritissimo illum amare debuerint. Coactus ab Academia abesse toto illo tempore, quo praefuit coenobiis Etruscae provinciae, veniam a Magno Duce obtinuit substituendi suum in locum Hiacynthum Venturam Talentum Jo. Gualberti nobilis Florentini filium. Etenim decorum sibi putavit virum e suis eligere doctrina cognitum (diu enim in Florentino, ut vocant, S. Mariae Novellae coenobio scholas habuerat philosophiae & theologiae, ejusque pervulgatum jam erat nomen inter sacros oratores) & de quo vere praedicari poterat, non potuisse eligi meliorem. Guccius autem vitam produxit ad LXXIII. usque aetatis annum: nam Pisis obiit IV. non. Octobris an. 1713.

Anno post quam Guccius ad Academiam venerat, onus docendae moralis theologiae impositum quoque fuit Britanno cuidam presbytero, qui Augustinus Matthaejus appellabatur. Qui vir fuerit, quaeque fuerit caussa illum vocandi, prorsus ignoro. Sed quanquam ejus nomen diu appareat in Doctorum albo, multis tamen argumentis ad suspicandum ducor, nullam, aut vix ullam ipsum praebuisse operam Academiae, quae Dominicanis suis contenta esse poterat. Et habuit quidem in Alberto Cecchio Florentino, qui Guccio successit, postquam per septennium metaphysicam docuerat, satis bonum moralis

theologiae praeceptorem, qui dum communi commodo inserviebat, Dominicanis quoque suis mirum in modum consulebat. Is e vita cessit an. 1718., quo tempore jussus est Franciscus Orlendius, qui, ut paullo supra diximus, dogmaticam theologiam explicabat, adesse quoque moralis theologiae studiosis, dum hujus disciplinae novus eligeretur Praeceptor. Et anno quidem 1719. electus fuit Bernardinus a Sanctissima Trinitate, ex illo Carmelitarum instituto, quos Discalceatos appellamus, Calanceani, quod est agri Senensis oppidum, natus, de quo satis dixisse videbor, cum narravero neque opibus ingenii, neque corporis viribus satis firmum fuisse, ut diutius an. 1722. in suo munere permanere potuerit. Quare in illius locum substitutus fuit Carmelita alter Nicolaus Blanchius Scansani postrid. Kal. Febr. an. 1689. ortus, qui postquam per totos XXIV. annos operam tribuit diligentissimam Academiae, creatus est Suanae Episcopus, quam Dioecesim ad annum usque 1750. ita gubernavit, ut custos & vindex sanctioris disciplinae fuisse judicatus fuerit. Atque ii omnes, de quibus diximus, fuerunt quidem theologi: quanti autem & quales tu videris.

CAPUT V.

De Philosophiae Moralis Magistris.

ILlud quoque moralis genus, quod ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, & qua duce nemo est gentis ullius, qui ad virtutem pervenire non possit, suos habuit praeceptores. Postquam e vivis an. 1632. excessit Curtius Cintoletta, de quo alibi diximus, hujus disciplinae docendae onus impositum fuit homini Hispano Michaeli Castellio, de quo eximia prorsus praedicavit Sommaja, postquam per annum doctrinae suae ille periculum fecerat (1). Accurate dicebat, & satis copiose, eratque praeterea doctus omni antiquorum philosophorum scientia. Non ultra biennium apud nos mansit, post quod tempus diu caruit moralis philosophiae cathedra suo praeceptore,

(1) *Ita ipse*. Michele Castelli Spagnuolo di Malaga, l'anno passato 1632. cominciò a leggere Filosofia morale con Sc. 120. e l'ha letta molto bene con buon metodo, dottrina, & lingua; non di meno ha avuto pochi Scolari, perchè questa e simili, sebbene letture belle, & utili sono a torto poco stimate in Pisa, & in molti altri Studj ancora. Il Castelli detto con l'occasione di un'Accademia, che nell'Arcivescovado sotto la protezione di Monsig. Arcivescovo fiorisce molto in Pisa, ha dato saggio molte volte di essere un buon Poeta Latino. E' in strettissima fortuna con moglie e figliuoli. *Quod prosperiorem alibi fortunam sperabat, VIII. Kal. Decembris an. 1634. veniam ab Academia abeundi obtinuit, cum rescripsisset Magnus Dux*: Concedesi finita la prima terzeria: e paghisegli l'intera provisione di un anno.

quamvis multi illam petierint. Vocatus demum an. 1673. ad illam regendam fuit Joannes Baptista Ricciardius Filius Francisci nobilis Florentini, qui illum Pisis genuerat ex concubina an. 1623. (1), assignatumque eidem stipendium CCC. centussium, ex quo judicari potest quanto in pretio haberetur. Facile illi fuit famam & opinionem hominum tenere, quod erat instructus omnibus illis copiis, quae a philosophia, ab historia, & a jure naturae & gentium suppeditantur. Natura quidem homini rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enodavit, tamquam fundamenta scientiae, sed nisi ad eam scrutandam atque investigandam attuleris ingenium, prudentiam, & illud rectum, quod κατορθωμα Graeci dicebant, quodque contigit sapienti soli, non facile quid inter honestum & pravum, inter verum & falsum intersit cognosces. Qui Ricciardium bene noverant, magnam in illo facultatem inesse ad gloriose munus suum sustinendum minime dubitarunt. Erat enim integer, religiosus, modestus, veritatis supra quam credibile est amans, alieni minime appetens, sui contemptor, firmus & fidelis amicus, in praestandis officiis diligentissimus, omninoque ad societatem hominum, omniumque benevolentiam sibi conciliandam factus. Ad haec doctrina tanta, quam Pisis praesertim ab optimis praeceptoribus hauserat, ut nescivisses utrum melior esset, an doctior. Itaque, hoc docente, quasi officina quaedam moralis sapientiae instructa esse videbatur, & is erat, qui in disputando, non auctoritati aliorum, illius aetatis philosophorum more, pareret, sed suum sequeretur judicium. Etenim ratio, ajebat ipse, per quam conjectura

(1) A dì 22. Novembre 1623. al Pisano Martedì: Gio. Battista figlio naturale del Sig. Francesco Ricciardi Fiorentino e di Maria Luisa di Mario da Spurano sua amica...... nacque a ore 23. in circa di 20. stante, e fu battezzato il dì suddetto. *Libro di Battesimo della Primaziale. Rescripto Principis, cum grandior esset, legitimus declaratus est.*

valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certe est communis, sed ita doctrina differt, ut suo quilibet judicio suaque facultate uti possit & debeat. Neque solum ad instruendos, sed etiam ad oblectandos animos perquam idoneus erat. Nam natura illum formaverat ad poesin atque ad leporem; nec facile quemquam reperisses, praeter illum, in utroque genere leporis excellentem, & illo, quod in perpetuitate sermonis, & illo, quod in celeritate & dicto est. Totum redundat hilaritate & joco carmen, quo Presbyterum hypocritam mordet: homo enim apertus & simplex nihil tam oderat, quam falsam gentem, semperque alia cogitantem, alia simulantem. Si vero in his versiculis tibi quibusdam verbis & sententiis εὐθυρρημονέστερος Poeta videbitur, turpitudo personae, in quam liberius invehitur, illum vindicabit. Satis bella quoque materies ad jocandum, risumque movendum visa est Ricciardio inanis ostentatio Famiani Michelinii [quanquam parcendum erat dignitati hominis doctrina clari] gloriantis nova & mirabilia se invenisse ad omnes sanandas febres, vimque jactantis librae Sanctorii ad noscendum quid per poros natura, sumpto cibo, effluat ex humanis corporibus. Alia plura hujusmodi exaravit, quae quia habebant aliquid subturpis, quod ridiculi proprium est, levitates pueriles ille appellare solebat. Accidit interea, ut Pisis sacras ad populum conciones haberet Franciscanus quidam nomine Bonaventura Cavallus, qui cum se insinuasset in amicitiam Ricciardii, auctor illi fuit, ut nobilius & gravius poesis genus excoleret, sicque errata praeteritae aetatis emendaret. Quod & fecit, & quas ad eum misit de Deo, & de Tempore cantiones, magniloquentia, omnique poetica venustate commendantur. Ea se lege solutum ac liberum esse voluit, quae vetat adhibere verba a poetica suavitate abhorrentia, ut granditati magis magisque serviret, illud Quintiliani usurpans: *non debet quisquam, ubi maxima rerum momenta versantur, de verbis esse sollicitus*. Ingeniose & diligenter lectas ideas ad ornandum atque ad augendum gravissimas plenissimasque collocabat, & quod non solum delectare, sed etiam in-

instruere volebat, ex interiori philosophia hausit argumenta illarum cantionum, quarum una est de fortitudine & constantia in adversis rebus ad Salvatorem Rosam (1), & de infelicitate sui ipsius, quasi ad moerorem lacrimasque natus esset, ad Volumnium Bandinellium, summae virtutis, summaeque nobilitatis auctoritatisque virum. Nunquam non obversabatur illius animo hominum infelicitas & stultitia, qui in conquirendis rebus futilitatis summaeque levitatis plenissimis unice adlaborant; & cum quodam die inambularet in Pisanorum sepulcreto, quod Campum Sanctum appellant, ex tempore fudit carmen sane nobilissimum, quod infra exscribere minime pigebit, ut quae esset ejus poesis intelligatur (2). Laudabant illam quidem omnes, qui

---

(1) Rosa, il nascere è pena,
Il vivere è fatica,
Ed il morir necessità fatale.

Ex hac sententia Rosa argumentum sumpsit tabulae cujusdam, quam Chisio Cardinali magni vendidit, & in qua scripsit: nasci poena, vita labor, necesse mori.

(2) Questo campo, che premo atro infecondo,
Ebbe senso, ebbe moto, e fu spirante,
Tutto osò, tutto ambì, nè fu bastante
Alle superbie sue limite il mondo.
Volle intender del ciel il moto errante,
E del mare e del suol l'ordin profondo,
Volle intendere Iddio, ma pose al fondo
Tanti e sì folli istinti un solo istante.
Alma, contempla meco. Ecco ove cede
Ogni orgoglio mortal. Oh quanti fasti
Dell'umana pazzia calpesta il piede!
Modera, o mente rea, gli affetti vasti,
Mira che alfin la terra è nostra erede,
Mira che alfin siam terra: e tanto basti.

tereies aures habebant intelligensque judicium, & poeta ille summus Franciscus Redius affirmare minime dubitavit nihil non a Ricciardio fuisse litteris mandatum, quod non esset in suo genere perfectum, sive ludrica, sive gravia tractasset (1). Ipse vero non quid alii laudaturi forent, sed quod ipse probasset, spectabat, & profecto fastidiosior fuisse videtur, quod ex multis, quae scripsit, carminibus, nil vulgavit aliud, nisi epithalamium in nuptiis Petri Cascinae Equitis & Dorotheae Grassoliniae (2), & quod ea, quae legenda dabat amicis, recuperabat limae necessitatem praetexens. Nihilo tamen minus Antonii Magliabcchii diligentia factum est, ne tot nobilissimi ingenii foetus perierint, quibus bibliothecam suam omni librorum copia instructissimam ornavit. Erat inter hos viros amicitia, quanquam magna esset dissimilitudo morum; & ex libris, quos Magliabechius Ricciardio commodare solebat, conjicies hunc minime expertem Graecarum litterarum fuisse, & in Aristophane ac Luciano legendo non mediocre tempus consumpsisse. Utrumque sane aut expressit, aut imitatus est in conscribendis comoediis, in quibus multum inest salis, facetiarum atque leporis. Commendantur etiam festivitate orationis, & praeceptis & exemplis, quibus consuetudines vitiosas & corruptas emendare docemur. Haec scribere ludus erat Ricciardio. Veniebant ad eum mane & vesperi ejus familiares Caspar Leolius & Pesciolinius Eques, quibus vel in lecto recubans, vel in cubiculo inambulans per horae spatium dictabat quidquid ferme in buccam veniebat. Neque alia mente haec dictabat, nisi ut studiosi adolescentes haberent quo se honeste oblectarent in illis saturnalium dierum feriis. Fuere postea, qui has ipsas comoedias in vulgus emitterent, invito

---

(1) *Vid. epistolarum illius Volumen II. editum Florentiae an. 1779.* pag. 120.

(2) All' Illustrissimi Sig. Pietro Cascina Gran Priore della gloriosa Religione de' Cavalieri di S. Stefano in Pisa: Presagio di felicità nelle sue nozze colla Signora Dorotea Grassolini; Pisa 1652. Per Niccolò Galeotti in 4.

Digitized by Google

sane Ricciardio, qui non tam doluit vulgatas fuisse, quam multis mendis corruptas (1). Non tulisset quidem ille aliquid in suo nomine apparere, quod lima minime polivisset. In hoc litterarum genere multum ille tribuere solebat Hispanicis Scriptoribus, a quibus sumpsisse argumenta videtur, aurum e sterquilinio colligens, comoediarum, quae inscribuntur: *Le Cautele Politiche*, & *il Trespolo Barbiere*. Verebatur ipse, ne operam perderet, nisi ea, quae communi quodam in usu atque hominum more & sermone versantur, suas in fabulas transtulisset. Senectus, ajebat ipse, adolescentulos docet, instituit, & ad omne officii munus instruit, & libertate loquendi gaudet, quare quidquid scribebat, quidquid dicebat, cum multi domum ejus convenirent, & scholam frequentarent, eo referebat, ut quae ars esset vivendi noscendique aut fallacias, aut errores, aut stultitias hominum perciperetur. Quis ignorat multa hujusmodi sapientiae semina in Juvenalis Satyris inveniri? Ea propter Ricciardius, quoties exedram conscendebat, plerumque versum ex illis sumebat, in cujus sententia dilatanda tota fere ejus versabatur oratio. Noverat quoque, non tanquam artifex, sed tanquam intelligens existimator artes illas liberales, quibus commoda & oblectamenta vitae parantur, & quod do-

(1) Il Trespolo Tutore: Bologna 1669. *Edita haec comoedia Florentiae fuit an. 1689. cum inscriptione*: Amore è veleno e medicina degl' intelletti, ovvero Trespolo Tutore del Sig. Gio. Battista Ricciardi ridotto per Dramma dal Dott. Gio. Cosimo Villifranchi Volterrano.

Chi non sa fingere non sa vivere, ovvero le Cautele Politiche: Perugia 1671. *Edita quoque fuit Bononiae*.

La Ruota della Fortuna: Perugia 1673. *& Bononiae 1686.*

La Forza del Sospetto, ovvero il Trespolo Hoste; Roncilione 1674.

Amore è cieco, ovvero la Barberia, o il Trespolo Barbiere; Bologna 1684.

Lo Sposalizio tra'Sepolcri rappresentata nel Teatro de'Sigg. Accademici Sorgenti di Firenze l'an. 1687. *& Bononiae 1696.*

Per la gloria, non per l'amore contendono i Rivali; Bologna 1687.

lebat Pisanos suos, qui quondam duces & magistri fuerunt ceteris Italiae populis ad bene scalpendum, ita a majoribus suis degenerasse, ut nullum amplius hujus artis vestigium apud eos appareret, carmen composuit, quod a personatis lapicidis distribuebatur, quoque illorum segnities atque inertia castigabatur. Solebat saepius his de rebus cum Salvatore Rosa, quo nullum amiciorem habebat, disserere, & quantum ingenio consequi potuerat, belle adeo de pictura loquebatur, ut ejus judicio plurimum pictor ille tribueret (1). Ut vero gratissimus erga Ricciardium cognosceretur, amico unico (sic illum appellabat) suam effigiem, aliasque tabulas dono dedit, & moriens satyras suas manu scriptas legavit, ea conditione ut emendaret, neminique, ante quam vulgarentur, traderet. His rebus omnibus, quas summatim commemoravi, perfecit Ricciardius, ut Pisarum urbs illi ortum dedisse, nostraque Academia in suis habuisse jure ac merito gloriarentur. Nobis vero gratulamur, quod tanti viri laudem jam prope senescentem ab oblivione hominum atque silentio vindicare contigit, quanquam non desint summorum hominum testimonia, qui de eo prorsus mirabilia praedicarunt (2). Pisis vi-

---

(1) *In Epistolis ad picturam pertinentibus, quas Romae edidit Jo. Bottarius, plures extant Rosae ad Ricciardium. Vid. Vol. I. & II. Neque tacendum videtur totis illis novem annis, quibus Florentiae commoratus est Rosa, frequentes convenisse illius domum homines doctrina excellentes, inter quos Ricciardius praestitisse videtur, sive ii comoedias agerent, sive litteras excolerent, sive jucunde convivarentur. Vide Rosae Vitam a Baldinuccio editam.*

(2) Al Sig. Dott. Gio. Battista Ricciardi: Pisa.

Esercita degnamente VS. Eccellentissima in cotesta Università la lettura delle morali, mentre non solo colla sua singolare erudizione le può ad altri insegnare, ma le fa nobilmente apparire in se stessa, come si ravvisa nella gran modestia, con cui si era fin ora astenuta dal dumandare alcun

tae cursum explevit VII. Id. Novembris 1686. & in Aede Florentina S. Proculi, in qua erat Ricciardiorum sepulcrum, condi jussit. Fuit tum fama successorem illi datum iri Antonium Mariam Salvinium, quod ille vehementer concupierat: sed moralis philosophiae cathedra per sexennium orba magistro fuit, donec inventus est Lusitanus homo Martinus Mesquita, qui illam occuparet.

Cum quaesiisset Cosmus a Sergriſio quidnam de hoc homine judicaret, respondit; ejus nomen magna apud suos fuisse in gloria, plurimum in philosophia versatum, rerum copia atque sententiarum varietate abundantissimum, & ipsa compositione Latinorum verborum non prorsus impolitum esse. Huic quidem de moribus scientiae sic praefuit Mesquita, ut nihil aliud sibi proposuerit nisi Aristotelis sententias interpretari. Quae cum vetustate jam satis omnibus probatae essent, non tam veritate disputationis, quam auctoritate com-

---

aumento del suo stipendio. Avrei ben mostrato io di errar molto e nella legge d'amicizia, e nella dovuta estimazione del suo merito se avessi trascurato più lungamente d'insinuare alla generosa benignità di S. A. il dar qualche segno d'applauso all'accreditato valore di VS. Eccellentissima, acciò la propria virtù non la fosse nociva. Ho goduto molto però di aver trovata nella munificenza di S. A. un'otima disposizione a consolarla, e deve ella perciò riconoscere la rimunerazione dalla mano dell'A. S.: ma ella ha voluto coll'espressioni di sì cortese aggradimento retribuire al mio affetto troppo larga mercede. Avrei desiderato che l'aumento fosse stato sufficiente a sollevarla da'bisogni, ne' quali dice di ritrovarsi; ma io di buon cuore offerisco a VS. Eccellentissima quel poco, che possiedo, e mi parrà di fare un grande acquisto nel privar me stesso di tutto per contribuirlo a un amico di tanto merito.

Firenze 24. Settembre 1686.

Francesco Maria Sergriſi.

movebant. Hac autem remota, qui res omnes volent cum re comparare, intelligent non omnia concedenda antiquitati, & recentiores philosophos in hac ipsa tractatione de moribus longius processisse, quanquam nescias qui fuerit hujus industriae fructus, cum dissolutae consuetudines, & licentia impudens ubique dominentur. Mesquita Pisis apoplexi extinctus est postrid. id. Septembris an. 1700., & quod in ejus vita nulla luxuries reperta est, nulli sumptus effusi, nulla avaritia, nullum aes alienum, nulla simulatio, negligentia nulla in obeundis presbyteri & magistri muniis, necesse fuit vel infirmitati, vel invidiae assignare, quae de illo detraxerant nonnulli eorum, qui cum ipso societate muneris conjungebantur. Soliti enim erant increpitare atque incusare Mediceos Principes, quod nimium tribuerent Lusitanis, quos plurimos Academiae addixerunt, existimantes hac re relanguescere animos, eorumque remitti virtutem, quorum merita nostris in hisce regionibus magna habebantur.

Postquam per tredecim & amplius annos siluerat moralis philosophiae cathedra, locatus in ea fuit Marcus Antonius Alaymius Panormitanus e Cassineusium Monachorum familia, qui anno 1710. venerat ad Academiam dialecticae praeceptor, ac biennio post philosophiam extra ordinem profiteri coeperat. Noli quaerere quam bonus esset philosophus, cum, ipso teste, minus ad haec studia idoneus fuisset. Sed nescio quomodo tantum sibi tribuit, ut in ea parte, quae ad mores pertinet, satis facere discipulis se posse putaverit, quasi haec scientia in medio posita esset, & nemo fere studuisse ei videretur, quin, quod voluerit, consecutus esset. Sed nimirum majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, & pluribus ex artibus, studiisque collectum. Tenenda est enim historia exemplorumque vis, neque legum, aut juris civilis scientia negligenda, pernoscendi animorum motus affectionesque, quos hominum generi natura tribuit, ita exacuenda ratio, ut ne quid fallax, insidiosum ac simulatum admittat, utque noscat quid sit illud, de quo natura omnium consentit, quodque sit virtutis proprium, sine qua beatus nemo potest esse.

Quanquam in Alaymii instrumento tam multam, & tam lautam supellectilem minime fuisse constet, satis tamen diligenter ad antiquae philosophiae rationem exquisivit, quae sequenda essent in vita, quaeque fugienda.

Eodem illo anno, quo is e vivis excessit (accidit id. an. 1718.) ejus collega Stephanus Josephus Trenta nobilissimo genere Lucae natus, in illius locum suffectus fuit. Testis est Angelus Maria Quirinius Card. (1) se illum socium Florentiae habuisse in *tyrocinio monastico, deinde auditorem in schola theologica, canonica & biblica* ac demum suis amantissimis officiis effecisse, ut cathedram in Pisano Lyceo, postquam privatim Florentiae docens doctrinae periculum fecerat, obtineret. Natus ad agendum semper aliquid laude dignum, viri & doctissimi & sanctissimi sibi famam conciliavit, & quia abundabat consilio, quod semper ab optima fide & optimo animo proficiscebatur, reperiebat multos, qui in ejus prudentia atque amore conquiescerent. Extremum diem morte confecit Kal. Octobris an. 1739. aetatis suae 57., neque multos post annos onus docendae ethices metaphysicae magistris impositum fuit, & summa quidem data est opera ab Eduardo Corsinio, ut utrique muneri cumulate satisfaceret.

---

(1) Commentar. histor. lib. I. Cap. III. pag. 42.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Metaphysices Magistris.

Jam illud mihi quidem mirum videri solet tot homines, tam ingeniosos per tot saecula in agitandis metaphysicis quaestionibus levitatis plenissimis fuisse versatos, neque nobilissimam disciplinam ad utiliora tractanda transtulisse cum diligenti observatione earum rerum, quae sciri possunt. Habet enim metaphysica, non secus ac physica, sua experimenta, quae licet alterius sint generis, sapienti tamen ratione ita conjungi possunt, ut quae prima sint, quaeque fundamenta sint scientiae, ad quae cetera referantur, quibusque innitantur, cognosci possint. Sed malo litterarum fato nimium diu libuit hominibus, quae magis perspicua sunt obscurare, & obruere minutissimis subtilitatibus, & tantum dare novitati, umbris atque imaginibus, ut quod verum, simplex sincerumque est, & quod ante oculos posuit naturae Auctor, non dicam quaerere, sed ne adspicere quidem voluerint. Quare vesanos & furiosos haud immerito illos metaphysicos dixeris, qui magnis clamoribus in scholis disputabant *de universalibus*, *de transcendentiis*, *de principio individuationis*, *de Ente rationis*, *de possibilitate plurimorum Entium*, *de primo cognito*, *de distinctione quantitatis a re quanta*, *de infinito*, sexcentisque hujusmodi aliis. Sed haec nunc respuere solemus, & a natura, non a magistro quaerimus, quid sit summi rectoris & domini numen, quid ipse creans omnia providerit, quae sit animorum vis & natura, & cum magnitu-

dinem

Digitized by Google

dinem animi, & Dei opera, & facta cernimus, justitiam quoque cognitam habemus, sine qua nihil laudabile, & nulla potest esse societas. Fuerunt quidem ex recentioribus metaphysicis nonnulli, qui funestas epulas hominibus compararunt, depravate & corrupte disputantes contra communem opinionem de materiae viribus, de rerum origine & creatione, de animi affectionibus, aliisque hujusmodi rebus, ut satius fuisset nullam omnino a Deo immortali datam illis fuisse rationem, cum non ad bonitatem, sed ad perniciem hominum contulissent. Sentit nunc Gallia, quam pestifera fuerint hujusmodi philosophorum dogmata, qui nisi praeparassent animos ad rejicienda ab se se, quae sunt religionis, omnisque vitae communis vincula, verisimile non est tantis repente, ac tam nefariis potuisse contaminari sceleribus. Procul sane ab his malis remoti fuerunt veteres metaphysici, quanquam non multum consuluerint iis, qui bona ratione praediti erant, compellentes in Sholasticorum dumeta vel illa, in quibus facile eorum exultare potuisset oratio. Dum vero Aristotelis sententias interpretari se gloriabantur, tam barbare, tam obscure loquebantur, ut saepe interpres egeret interprete, neque ex se aliud crearent, nisi disputandi, & fallendi artem. Quoniam vero necessitas nos cogit de his quoque hominibus dicere, ita dicemus, ut ex illius aetatis sensu, non ex meo deprompta haec esse videatur oratio.

Bini esse solebant metaphysicae magistri, quorum alter plerumque ex Augustinianorum, alter ex Dominicanorum familia eligebantur, quia haec disciplina propria illorum esse putabatur, qui omnem aetatem in studiis theologiae contriverant. Nemo fuit, qui non plurimum tribueret Alberto Campanae Dominicano, qui an. 1630. ad Patavinos transiit, & Aegidio Nuccio Augustiniano, de quibus superiori in volumine diximus. Cum autem Nuccius ex hac vita migrasset an. 1627. ejus in locum suffectus fuit Cyprianus Masius Florentiae nobili loco natus, de quo homine, quid senserit Sommaja, infra

exscribere minime pigebit (1). Alia & de eo afferre possemus amplissima testimonia, quod esset summa doctrina & acutissimo ingenio, & ad hominum famam pervenisset, editis theologicis scriptis, quibus Augustiniana & Aegidiana dogmata atque sententiae mirum in modum explicabantur atque illustrabantur (2). Testis est vero Cerracchinius multa alia parasse, quae proferre in lucem meditabatur, quibusque extrema manus minime accessit, quod cum complesset nondum XXXIX. aetatis annum, summis, quos in studiis adhibebat, laboribus consumptus ex hac vita migrasset Florentiae an. 1631. Pervenerunt illa ad manus Traballesii cujusdam, qui tum regebat Florentinum S. Spiritus Coenobium, cujusque negligentia nunc amissa

(1) Il P. M. Cipriano Masi nobile Fiorentino, è il più antiano Reggente Agostiniano d'Italia. E' atato Reggenre in Pisa, Firenze, Genova, & in Siena due volte. In Roma lesse Filosofia 6. anni, & 12. Teologia in varj luoghi, & è Maestro del Collegio di Firenze, e sarà Decano nel 1628. Ha predicato in Roma, Firenze, Genova, Fermo, Siena, Pisa, & altrove. Fu discepolo caro del P. M. Lionardo Coqueo Confessore di Madama Serenissima, e da esso impiegato ne' suoi studj, e nei negozj i più gravi. Dicono i suoi emoli, che è malissimo sano, e che non potrà leggere, o poco; ma io sento che è stato infermo, ma ora risanato.

(2) *En eorum titulos*. Dissertatio de praedestinationis & roprobationis mysterio pro Sanctis Augustino & Thoma Aquinate Ecclesiae Doctoribus ex Aegidii Columnae firmissima sententia publici juris facta: Pisis 1621. *Haec Dissertatio ceteris Masii operibus praeferri solet*. Argumentum Dominicae Nativitatis: Romae 1612. Argumentum Dominicae Incarnationis: Pisis 1619. Disputatio de altissimia scientiae & voluntatis Dei attributis &c. Senis 1623. Clavis aurea magni Patris Augustini Caelestis theologiae clavigeri, qua liber Apocalypsis septem obsignatus sigillis potissimum aperitur: Florentiae apud Junctas 1624. *Cetera inter quae Masius inedita reliquit, erat commentarium* de simultanea rerum creatione ad mentem S. P. Augustini.

dolemus; quod quidem suspicionem maxime movet, extitisse, qui ex laboribus Masii suo nomini libare laudem voluerunt.

Quales quantique fuerint theologi & metaphysici Augustinus Bracellius, Gregorius Passegionius Pisani, Augustinus Salutius Miniatensis, & Augustinus Plumbinensis, qui omnes ex Augustinianorum familia prodierunt, tu videris. Sejungendus tamen a ceteris est Bracellius, quia minime expers erat mathematicarum disciplinarum, quod tum in homine Augustiniano singulare fuisse facile dixeris (1). Haud communia etiam de Salutio praedicat Paganinus Gaudentius, sed ejus in hoc studiorum genere testimonio non multum tribuendum esse putamus. Dominicano Campanae successit an. 1630. Petrus Thedaldus Florentinus Marciani Dominicanorum coenobii alumnus, cujus notissimam esse doctrinam universae urbi Florentiae testatur Sommaja. Nec solum eximius theologus, sed & eloquens orator is habebatur. Nullum tamen, quod sciam, monumentum ingenii sui reliquit, quod idem dixeris de illius successore Jo. Donato Antella, quanquam hic magnam tenuerit existimationem apud nos & apud suos. Vir singulari bonitate & modestia praeditus, minime ausus est petere praemia laborum, quos sustinuerat suos Romae & Florentiae docens, & consiliis sapientissimis adjuvans in gubernandis dioecesibus Episcopos Cortonensem & Politianum, & sacras ad populum conciones habens in illustrioribus Italiae urbibus; sed illius amicus Sommaja Magno Duci exposuit, quantum ex tanto magistro accessurum esset ornamenti meta-

(1) *Haec de eo Sommaja*. Agostino di Lionello Bracelli da Seravezza, ma poi stabilitosi in Pisa, che servì a V. A. credo per Ingegnere a Livorno, & ora Provinciale del suo Ordine, stato Reggente ott'anni in Pisa, Pavia, Rimini & Monte Sansovino, è tenuto buon teologo, filosofo, metafisico, e matematico; solo notano alcuni, che è molto malinconico, & è d'età circa 50. anni. Ha un fratello di valore Capitano in Fiandra, che fa in Francia Ajutante del Gamurrino.

physices cathedrae & Academiae Pisanae. Exitus illius votis respondit, & pro sua summa & in omnibus rebus cognita diligentia, & pro magnitudine muneris effecit Antella, ut eo pervenisse visus sit, quo progredi potuit Peripatetici philosophi gloria. Quia semper animadvertit studiose esse quaedam in Aristotele, quae minus consentiebant cum catholicis dogmatibus, admonendos hujus sectatores putavit, ne in omnia illius verba jurarent, ac praesertim viderent, quorsum illa pertinerent, quae idem de anima tradiderat (1). Per totos XX. annos tenuit ille gloriose locum suum (obiit enim Pisis X. Kal. Maii an. 1654.) & movit illum familiae caritas, ut antequam moreretur, quas contraxerat copiolas & docendo & concionando, totas in bonum & ornamentum illius erogaret.

Successor illi fuit Jacobus Zatius ex eadem Dominicanorum familia, qui antea moralis theologiae cathedrae praefuerat, cum non tam doctus, quam expertus in tradenda omni re theologica esse judicaretur. Ob opinionem doctrinae, morumque innocentiam sibi maxime benevolos fecit Ferdinandum II. & Cosmum III. a quibus nihil non sperare potuisset, si ab honorum cupiditate minime remotus fuisset. Sed paucis contentus, sancte vixit, sancteque obiit Pisis, postquam lethali morbo per annum afflictatus fuerat, VII. Kal. Aprilis an. 1673. cum complesset aetatis annum LXII. Ejus locum occupavit eodem illo anno Dominicanus alius Thomas Maria Cinius, Pistorii, vel in oppido huic urbi proximo, cui nomen S. Marcellus, natus, qui

---

(1) *Hujus rei testem habemus Paganinum Gaudentium, qui haec de Antella scripsit in libro* de philosophiae apud Romanos initio & progressu pag. 436. Magister Jo. Donatus Antella, optime de metaphysica, quam in hoc Gymnasio explanat, meritus, valde prudenter censet dandam nobis operam esse, ut quae Aristoteles de intellectu passibili & agente profert, sic exponantur, ne immortalitati animarum explanatissime officiant, cujus sententiae lubens subscribo.

vitam & magisterium ad exeuntem usque annum 1705. produxit. Quidquid philosophi & theologi illius aetatis sibi assumebant, tennit ipse, & cum natura magnam illi facultatem dedisset explicandi expedite & copiose quae proponebat, satis superque metaphysicae studiosis ab illo fuisse factum videtur (1). Multi praeterea alii, qui ingenio satis valebant, & probaverant jam doctrinam magisteria apud suos exercentes, locum facile in hac Academia obtinuerunt, atque ex his commemorandi mihi in primis sunt Albertus Cecchius Florentinus, de quo supra etiam diximus, Josephus Orontius Lucensis, cujus muneri, postquam per XVII. annos ei naviter satisfecerat, ipso petente, vicarius anno 1731. successit Jo. Dominicus Montius Liburnensis. Neque multo post hic suas partes egit: egit autem ad annum usque 1742. quo privatus suo munere fuit, jussu Francisci II. Magni Etruriae Ducis, indigne ferentis esse in Academiae sinu Doctores, qui immoderate & impudentissime Hispanis favebant.

---

(1) *Aliquando ipse reprehensus est, quod temere in aliorum magistrorum possessiones irrueret, quare has ad S rgrifum litteras dedit.* La metafisica, come dice Aristotele nel I. Libro, considera i principj e le cause di tutte le parti della filosofia, onde la chiama prima filosofia. La dice anche Sapienza, perchè tratta di tutte le cose naturali, ed anche delle divine, trattando *de Bonitate*, *& Veritate*, e discorrendo nel IV. Libro *de Ente*. Il buon metafisico dee sapere di tutto e insegnare di tutto per soddisfare al debito, che gli corre, e perciò da' moderni Dottori Parigini la metafisica viene chiamata Compendio di tutta la filosofia. Con tal ordine di Compendio per non mancare alla giustizia di leggere la mia materia mi sono sempre incamminato con grandissimo profitto degli scolari, e quattro de' buoni Lettori, che leggono in Sapienza, sono stati illuminati da questo Compendio metafisico, che senza perturbare nessuno abbraccia tutto. Serva questo per denotare che i miei passi non sono messi alla cieca, e basta solo che sia alla notizia di VS.... che non sono per mancare mai a' Sovrani cenni del Serenissimo G. Duca &c. Pisa 12. Novembre 1695.

Digitized by Google

Sed ad Augustinianos redeamus. Coactus Augustinus Plumbinensis an. 1656. ob perditam valetudinem (1) missionem petere, successorem habuit Celsum Scafuccium Senensem, qui non ultra triennium apud nos mansit, locumque fecit Aurelio Vanninio Cortonensi. De hoc multa extant testimonia honorificentissima, nec dubitavit Quaratesius Curator Magno Duci affirmare multa & magna esse ea, quae tenebat Vanninius, studio neminem, nec industria majore se cognovisse, nec facile se dicturum, qui illi praestaret ingenio, ac diligentia in instituendis discipulis. Is vitam amisit an. 1681. & in locum illius successit Augustinus Felix Canalius in Monte Alcino ortus, vir acer & animosus, pertinaciterque Archiepiscopo Pisano infensus, cujus morte, quae accidit an. 1697. factum est, ut nulli amplius apud nos fuerint ex Augustinianorum familia metaphysices magistri. Visum est enim Academiae Praefectis satis fieri posse hujus disciplinae studiosis, si unus adesset magister, qui, ut diximus, ex Praedicatorum sodalitate deligebatur. Atque haec de metaphysicis dixisse sufficiat, inter quos si recensere nunc mihi licuisset Corsinium, Monelliam, Frisium, Antoniolium, Sartium, qui huic facultati pro doctrina, qua pollebant, suum decus postea reddiderunt, profecto segetem & materiam uberem dicendi habuissem. Sed horum laudes, quae sunt quidem amplissimae, in aliud tempus, & in aliud volumen reservamus.

---

(1) Vuole S. A. che il P. F. Gio. Agostino da Piombino Agostiniano, che lascia la lettura di metafisica per essere dalla mala sanità reso inabile a poter servire, si diano per una sola volta tanto Scudi 60. e si elegga in luogo suo il P. M. Celso Scafucci di Siena con Scudi 70.

Digitized by Google

C A P U T VII.

De Hebraicae & Chaldaicae ceterarumque Orientalium Linguarum Magiſtris.

Vides jam propoſitum mihi fuiſſe, antequam ad cetera progrederer, illa explicare, quae ad divinas res, & ad conformandos mores, quaeque dignitate prima eſſe videntur, quomodocumque pertinent. Quoniam vero magnum ineſſe ſubſidium jure meritoque judicabatur ad interpretandos ſacros libros in Hebraicae aliarumque linguarum cognitione, de harum magiſtris hoc loco dicendum arbitramur. Anno 1620. acceſſit ad Academiam Coſmus Svetonius, de cujus doctrina & eruditione honorificentiſſimum ſane extat teſtimonium Hieronymi a Sommaja (1). Natus is erat Florentiae Hebraeo patre, caeleſtique ſpiritu auctus, ſectam, in qua altus educatusque, & in qua acutus & eruditus fuerat magiſter, deſeruit. Tum patrocinium illius ſuſcepit Magnus Dux Coſmus II. ſuo nomine ipſum decoravit, & bene ſperare juſſit. Utique apud nos docens Hebraicam linguam (docuit autem ad annum usque 1637. cum paullo ante in hujusmodi magiſterio &

(1) Coſmo Svetonio già Rabbino Ebreo, uomo dottiſſimo in filoſofia, teologia, & lingua Ebrea & Araba, ha molte altre belle notizie, ed è di coſtumi innocentiſſimi. Ha moglie e quattro figliuoli, e non ha che 100. Scudi di ſtipendio, e merita di eſſere ajutato.

per quadriennium ferme comitem habuisset Jo. Baptistam Jonam (1)) eam retinuit opinionem & existimationem, quam antea doctrina & virtute sibi comparaverat, & licet mens illi fuerit scriptis quoque suis convellendi praecipuos Hebraeorum errores, nullam tamen, quod sciam, litteram reliquit. Is e ludo Pisano ad Florentinum transiit, quod utilius rationibus suis esse judicavit. Septennio autem post ad nos venit ejus filius nomine Franciscus, qui licet patris merita minime aequaverit, fuit tamen in agendis per quadriennium officii sui partibus diligentissimus. Alii insigniores viri ex familia Cosmi prodierunt (2), qui in illa ad omne doctrinarum & virtutis genus educanda nullum praetermisit laborem. Hic autem mortem in patria obivit, cum esset sexagenario major.

Optimo porro consilio provisum est, ut essent quoque Chaldaicae & Arabicae linguae magistri. Nec sane ullus magis idoneus habitus est tum ad harum linguarum studiosos instruendos, tum ad alias

(1) *De eo haec Sommaja.* Gio. Batista Jona di Galilea già Rabbino Ebreo venuto alla fede con moglie e tre figliuoli, uomo dotto non solo nella lingua santa, ma anco nella Caldea, & Araba, e perito di più altre lingue, supplica per qualche soccorso e trattenimento, onde poter vivere con la sua povera famiglia, & offerisce l'opera sua in quello fossi giudicato buono .,... Credo se gli potesse assegnare Scudi 10. il mese, & ordinargli che s'impieghi o in insegnare lingua Araba, o in tradurre l'Evangelio in Ebreo, o in assistere a correggere una stampa di lingua Ebrea, che il Tsoagli tratta d'introdurre in Pisa, che saria cosa di molto ornamento allo Studio. *Ad haec rescripsit Magnus Dux.* Se gli paghino 100. Scudi l'anno di provvisione per anni 4. per dovere servire in quello che dal Provveditore gli sarà ordinato. 1. Febbrajo 1632.

(2) *Vide, quae de Augustino Svetonio Jurisconsulto & mathematico narravit Targionius in Vol. I. pag. 323. operis, quod inscribitur:* Notizie degli Aggrandimenti delle scienze fisiche accaduti in Toscana &c.

alias res utiles & glorioſas Etruriae adminiſtrandas Iſaaco e Monte Libano, Tripolitano Archiepiſcopo, qui omnem operam ſuam, quoniam impediebatur ad ſuos remeare, Magno Duci obtulit (1). Porro is multa promiſit, pauca tamen extricavit, neque ultra biennium in

---

(1) Sereniſſimo Signore

Iſaac di Monte Libano Arciveſcovo di Tripoli di Soria intendendo che S. A. ha animo grande e zelo di promovere & ajutare le parti di Levante per mezzo della ſtampa Caldea & Arabica, come hanno fatto li ſuoi Avi di f. m. & per eſſere l'oratore nativo di quelle parti & molto intelligente di dette Lingue, nelle quali ha ſtampati libri & ha ſervito a varie Perſone principali; s'offeriſce di ſervire S. A. in erigere la ſtampa in dette Lingue, che per eſſere charatteri belliſſimi & accetratiſſimi in tutto il mondo, non è bene che ſia eſtinta & quaſi morta: Procurarebbe di ſpacciare li libri ſtampati & da ſtamparſi in quella, per la buona correſpondenza & prattica che ha in quelle parti; Interpretarebbe li libri e lettere ſcritte in quelle lingue: Inſtruirebbe l'Infedeli che vorranno venire alla fede chriſtiana; Confeſſarebbe & amminiſtrarebbe i Santiſſimi Sacramenti alli Chriſtiani che vengono in queſte parti, nè ſanno la lingua Italiana nè Latina: Attenderebbe alla lettura di Piſa nella lingua Chaldea & Arabica, finalmente per eſſere Prelato foraſtiero & per legitime cauſe per conto dell'Emir di Saida impedito per hora di potere tornare alla Patria s'offeriſce di ſervire in tutte le ſopradette coſe S. A. S. quam Deus &c.

Ad haec Magnus Dux reſcripſit.

S. A. accetta il ſervizio del ſupplicante per tutte le coſe propoſte; E Monſig. Saracini gli faccia mandato che gli ſiano pagati dal Camarlingo delle Decime Eccleſiaſtiche dugento ſcudi l'anno, ogni meſe la rata, e gli aſſegni la Cattedra della lingua Arabica e Caldea.

Perſio Falconcini 12. Gennajo 1636

Academia & in Etruria mansit. Franciscanus ille, ortu Pistoriensis, nomine autem Jo. Baptista, qui anno 1642. operam locavit suam Academiae, & per biennium tribuit, non multum profuit divinarum litterarum studiosis, cum in Arabica lingua tradenda, quam didicerat diu in Oriente commorans catholicae religionis caussa, constitisset.

Nunc autem dicendum de Abrahamo Ecchellensi Maronita e Libano, cujus vivet memoria immortalis ob multa praeclara, quae in catholicae Ecclesiae & litterarum bonum naviter gessit. Is natus est XV. Kal. Martias an. 1605. patre Jo. Abrahamo, cujus majores in Phoenicia multa bona & oppida possederant, ex quorum uno, quod lingua eorum vocatur *Hacle*, cognomen sumpserant. Mater appellabatur Setelahl, cujus familiae nomine nihil fuerat universa in Phoenicia illustrius. Harum vero rerum omnium splendoris nil aliud superfuit Abrahamo nisi memoria, cum amplissima bona paterna & materna in Turcarum potestatem cecidissent. Hoc unum felicitatis illius fuisse videtur, quod, cum puer esset, traditus in disciplinam fuerit homini, quocum propinquitatis vinculis conjungebatur, probo sane & docto, a quo Syriacis in litteris eruditus fuit. Multa is signa dabat innocentiae & ingenii, quam ob rem a Patriarcha Antiocheno destinatus illi locus fuit in Maronitarum Collegio, quod Romae Gregorius XIII. instituerat ad illius gentis adolescentes in optimis studiis instruendos. Id ut rescivit mater, e cujus arbitrio totus pendebat, cum pater mature mortem obiisset, minime se passuram dixit unico filio orbari, nihilque non egit, ut eum prorsus a litteris abduceret. Finxit illi se morem gerere velle; nactus vero tempus opportunum fugam arripuit, & ineunte an. 1620. Romam feliciter appulit. Non est credibile quanta contentione animi, vigilantia atque labore in litteras incubuerit, & in Romano Collegio philosophicas & theologicas theses magna cum ingenii laude publice propugnavit. Eodem ferme tempore Syriacam grammaticam vulgavit, quae brevitate & electione praeceptorum in primis commendatur. Redeunti vero in patriam multa pro-

spera & adversa acciderunt, quae commemoranda esse putamus. Tum in iis regionibus summa erat potentia Facraddini Drusorum (1) Principis, qui, coacto quadraginta circiter millium militum exercitu, magnum terrorem Turcarum Regi injiecerat, multasque urbes & oppida ademerat. Cum in conspectum illius venisset Abrahamus, honorificentissime acceptus fuit non tam propter nobilitatem familiae, quam propter opinionem ingenii. Ad haec orat & postulat, ut rem Christianam suscipiat, atque una secum administret. Minime se dubitare ait, quin, si a Christianis Principibus adjuvaretur, facile retinere posset maritimas, quas occupaverat, regiones, seque periclitaturum quid in eo esset animi atque dexteritatis. Instructis itaque binis longis navibus, ipsum in Italiam proficisci, ac presertim agere jussit cum Magno Etruriae Duce, quem Florentiae noverat, cum ad hanc urbem non multos annos ante magna cum pompa aceessisset, de subsidiis mittendis. Hac de caussa semel iterumque Italiam petiit Abrahamus, dumque ad Facraddinum redibat, audit hunc a suis proditum fuisse, & in potestatem Turcarum pervenisse. Quo nuntio licet perculsus, non despondidit tamen animum, tormentisque suis magna attulit damna Sydonis arci. Binis illius navibus cum totidem addidisset Magnus Dux, praedas saepe Liburnum reportavit, sed demum infelicissime victus a Turcis, qui quadraginta usque triremium classem comparaverant, aegre fuga, amissis navibus, se ex captivitate liberavit. Etsi Abrahamus in suspicionem venerit Magno Duci male & ignaviter gestae rei, facile tamen ipsi fuit prorsus a se illam amovere, & cum ei

T 2

(1) *Incolunt hi populi Montes Antilibani, seque originem ducere arbitrantur ab iis Christianis, qui ad recuperanda loca Reparatoris nostri vestigiis consecrata olim missi fuerunt. Sed ii degeneraverant adeo a majoribus suis, ut Atheos potius, quam Christianos dixisses, quanquam & ipsi Turcarum & Hebraeorum more circumciderentur.*

significasset velle se pacatius & tranquillius vitae genus sequi, omninoque in litteris vivere, declaratus est an. 1633. linguatum Orientalium magister. Quo vero magis magisque sibi & Etruriae Ecchellensem addiceret, consilium illi dedit Magnus Dux ducendi uxorem nobilem feminam, quae aulae inserviebat; sed abnuit ipse, volens in hac re suae, non alienae voluntati indulgere (1). Post id in Galliam concessit, invitatus a Richelleujo Cardinali, qui illi mandatum dedit ex Arabica in Latinam linguam convertendi librum

(1) *In praefatione* in Latinam ex Arabicis libris Apollonii Pergaei Versionem, *his verbis commemorat Ferdinandi II. erga se singularia beneficia*. Memini profecto, nec ex animo meo excidet, immo clavo fixum trabali manet, quanta in me contulit magnus Ferdinandus II. ornamenta, quanta in me usus est liberalitate & beneficentia, non tantum dum fortuna mihi arridebat, non solum dum res succedebant prosperae, non modo dum ad illum ab Amiro Fachraddino missus singulari felicitate fruebar, sed etiam in naufragio & jactura illa barbarica, in Carrellina conjuratione & proditione, in adversissima fortuna. *Quo tempore abierit Pisis haud mihi compertum est. Erat quidem in hac urbe anno 1635. ut ex hoc supplici illius libello intelligi potest;*

Serenissimo Gran Duca

Abramo Ecchellense Maronita humilissimo servo di V. A. S. con ogni debita reverenza l'espone come gli è stata trattenuta la sua provisione dello Studio di Pisa per essere stato assente in questi suoi travagli. Per tanto supplica V. A. S. ordinare che li sia pagata, che del tutto restarà obligatissimo pregare S. D. M. per ogni grandezza, e felicità di S. A. S. quam Deus

Se li paghi tutta la Provvisione come domanda.

Persio Falconcini 7. Maggio 1635.

Ruth ad ornandam Parisinam Biblicorum librorum editionem, qua nulla extitit nobilior. Qui hanc rem frustra antea tentaverant libellis injuriarum plenis vexarunt Ecchellensem, quibus ita respondit, tribus editis apologeticis epistolis, ut temeritatis suae illos poenitere coegerit. Quanquam vero esset Parisiis libentissime, negare tamen haud potuit Romano Pontifici, quin Romam concederet absolvendi gratia editionem Arabicae Bibliae. Quo expleto mandato, ex libro quodam, quem Antonio Barberinio Cardinali nuncupaverat, illum Pictaviensem Episcopum appellans, excepit offensionem Innocentii X. Pontificis, ac dolens iniquitatem temporum, rediit in Galliam, ubi a Mazzarinio Cardinali mirabiliter acceptus fuit. Hic sibi a bibliotheca Ecchellensem statim esse voluit, Regium Orientalium linguarum interpretem declaravit, & in Sorbonicorum Doctorum Collegium cooptavit. Praemia honoribus responderunt, nec sane indiligens fuit in acquirenda sibi fama, & in pecunia comparanda, quamvis ea in urbe, uxore sine liberis amissa, a cura familiae liberatus fuisset. Quae postea adversa acciderunt Mazzarinio coegerunt eum Galliam deserere, ac Romam remeare, Pontificatum Maximum gerente Alexandro VII. Hic cumulatiore mensura reddidit ei quae ademerat laborum praemia Innocentius X., & de eodem mittendo Apostolico Legato ad Indos cogitavit. Sed is honorem recusavit, quod de ducenda iterum uxore deliberaverat. Duxit autem puellam Maronita patre, qui Dux fuerat in exercitu Facraddini genitam, ac Romae educatam, ex qua filiam filiosque tres suscepit. Neque cura familiae illum a litteris unquam abstraxit, minimeque dubium fuit, quin, si modum in labore perferendo adhibuisset, diutius vixisset. Postremo tempore de Alexandrinae Ecclesiae originibus Seldenum & Hottingerum confutans disseruit, ex Arabo in Latinum convertit Apollonium Pergaeum, de quo opere in Borellii vita dicendum erit, nec non octoginta quatuor canones Concilii Nicaeni, quos commentariis doctis sane & laboriosis illustravit. Antea vero quam haec vulgaret multa alia expectatione illius digna effecit,

quae cognoscere poteris ex indice, quem infra subjiciemus (1). Ob haec sic colebatur, sic observabatur ab omnibus iis, qui litteras ama-

(1) Linguae Syriacae, sive Chaldaicae perbrevis Institutio: Romae 1628. in 16.
Semita Sapientiae sive ad scientias comparandas methodus: Parisiis 1646. in 8.
Abrahami Ecchellensis Maronitae Christianissimi Regis linguarum Syriacae & Arabicae interpretis, & earumdem in Alma Parisiensium Academia Professoris regii epistola apologitica prima, in qua diluuntur calumniae ac imposturae quamplures adversus Syriacam libelli Ruth editionem, ejus latinam versionem a magistro Valeriano de Flavigny.....congestae: Parisiis 1647. in 8. *Huic epistolae accesserunt* Epistola Apologetica altera, in qua confutantur calumniae ejusdem Valeriani & Vulgata defenditur, atque epistula Apologetica tertia, in qua respondetur ad libellum quemdam supplicem supremo Galliarum Senatui oblatum a Domino Gabriele Sionita. *Neque multo post eadem in urbe vulgavit epistolam*
De usu communionis sub unica specie apud Orientales.
Synopsis Propositionum Sapientiae Arabum Philosophorum: Parisiis in 4.
Catalogus librorum Chaldaeorum tam Ecclesiasticorum, quam propharorum, Auctore Hebediesu Metropolita Soleensi Latinitate donatus, & notis illustratus ab Abraham Ecchellensi Syriacae linguae in almo Urbis Gymnasio publico lectore ad Card. Ant. Barberinium; Romae 1653. in 12.
D. Antonii magni Abbatis epistolae xx. ex Arabico Latinitati donatae: Parisiis in 8.
Ejusdem regulae, sermones, documenta, admonitiones, responsiones & vita ex Arabica lingua Latinitati reddita: Parisiis in 8.
De Proprietatibus, ac virtutibus medicis animalium, plantarum, ac gemmarum Tractatus triplex Habdarrhmani Asiusiensis Aegyptii ex Arabico Latinitati donatus & notis illustratus; Parisiis in 8.
Concordia nationum Christianarum per Asiam, Africam, & Europam in fidei Catholicae dogmatibus, apud Borealis Europae Protestantes deseri contra fas, pro nuper coeptis indicata ab Abrahamo Ecchellensi &c. Juncta sunt Bartoldii Nihusi duo ad Protestantium eorumdem Academicos Programata; Moguntiae 1655. in 12.

Digitized by Google

bant, ut nihil honorificentius fieri potuerit. Romae diem extremum morte confecit, & in Maronitarum Aede sepultus fuit cum hac inscriptione.

D. O. M.
Abraham Ecchellensis
Paterno genere Principes Ecchellenses
Materno vero Regiam contingens Schipaniam Familiam
. quae Regnum biblidis ad annum 1540. retinuit
Proavorum fortunam Turcico bello amissam
Ingenii dotibus supplevit
Romae inter prima litterarum rudimenta
Jam famae maturus
Libellum edidit admodum adolescens
Patriae restitutus togam sago mutavit
Et sub Emir Faccardino stipendia faciens
Turcico Imperio timeri meruit.
demum Summorum Pontificum, ac Christianorum Regum
Ludovici XIII. et XIV. nutu ad litteras revocatus
post armorum ac litterarum famam
Abunde cumulatam
annum agens sexagesimum
Romae diem obiit 15. Julii 1664.

Chronicon Orientale latinitate donatum ab Abrahamo Ecchellensi &c. Accessit supplementum Historiae Orientalis ab eodem concinnatum; Pariſiis ex Typographia Regia in fol. *Bis editum fuit opus iſtud, novaque editio facta eſt an. 1685.*

Eutychius Patriarcha Alexandrinus vindicatus, & suis restitutus Orientalibus, ſive responſio ad Joannis Seldeni origines in duas tributa partes, quarum prima est de Alexandrinae Eccleſiae originibus, altera de origine nominis Papae, quibus accedit censura in historiam Orientalem Jo. Henrici Hottingeri Tigurini a pag. 283. ad 495. Omnia ex Orientalium excepta monumentis; Auctore &c. Romae 1661. in 4.

Non possum non negligentiae culpare Praefectos Academiae, quod diu nimis sivere illam carere Orientalium, ut appellant, linguarum praeceptoribus. Demum contigit ei habere hominem in his litteris principem Petrum cognomine Benedictum, quod cognomen sie ipse Latinum fecerat ex Syriaco Ambarachio. Is Gustae in Phoenicia natus est mense Junio an. 1663. iis parentibus, qui nobilitate generis, gloria majorum, & studio in rem catholicam maxime celebrabantur. Pater aere suo Riphone (hoc oppidulo nomen, quod in Monte Libano positum est) coenobium a fundamentis extruxit, sanctissimeque, uxore orbatus, gubernavit. Neque minus liberis consuluit, quorum duo S. Antonii Monastica secuti instituta Montis Libani Archiepiscopi creati fuere. Cum haec domi haberet veteris sanctitatis exempla Petrus, ad illa imitanda toto ferebatur animo, & vel a teneris unguiculis talem se praestitit, ut mirifica esset expectatio illius. Romam missus per tredecim fere annos optimis artibus ac disciplinis sedulam adeo in Collegio Maronitarum navavit operam, ut in iis ipsis rebus, quas a magistris didicit, eos superasse videretur. Post id tempus in Orientem rediit ea mente, ut se totum dederet propagationi Catholicae Fidei, Schismaticorumque, qui nova semper adversus illam machinabantur, erroribus qua voce, qua scripto coarguendis. Brevi autem doctrinam illam suam, prudentiam, & pieta-

---

Appollonii Pergaei Conicorum lib. v. vi vii. Latinitati donati: Florentiae 1661. in fol.

Concilii Nicaeni Canones & Constitutiones ex Arabico Latinitati donati. *Extant in Collectione Conciliorum Labbaei* Vol. II. a pag 318. ad 343.

Carmen D. Ephraem de Christi nativitate ex Syriaco conversum.

Ejusdem Dialogus B. M V. cum Magia.

Pertinent ad Ecchellensem quaedam, quae retulit Richardus Simon in opus, quod inscripsit: Fides Ecclesiae Orientalis &c. Parisiis 1671. *Vide etiam* Antiquitates Ecclesiae Orientalis; Londini 1682.

pietatem in Deum Patriarchae Maronitarum ita probavit, ut non modo ab illo sacris ordinibus initiari meruerit, sed quasi lumen aliquod & decus Ecclesiae suae non usitatis laudibus celebrari. Quare nemini debet mirum accidere, quod ipse Patriarcha scriptorum suorum non alium nisi Petrum adhibere censorem voluerit ac judicem, priusquam ea publici juris faceret. Haud multo post Antiochenae Ecclesiae de gravissimis rebus ad Apostolicam Sedem Legatus Romam revisit, magnasque lites biennio, quod esset prudentissimus, omnesque facunde alloquendo sibi conciliaret, composuit. Sed nihil tam studiose diligenterque curavit, quam ut dirimeretur controversia, quae in illo erat, utrum Syri rite sacris initiati essent. Huic caussam dedit Joannes Morinus, qui non multo ante vulgaverat *Syriacarum Ordinationum Codices* magna ex parte detruncatos, ac mirum in modum deformatos. Non est credibile quantos excitaverit motus hujusmodi disputatio, magnique sane negotii fuit convincere Romanos judices nihil non factum a Syris nisi more institutoque Catholico. Post haec cum Syriam cogitaret Benedictus, invitatus a Cosmo III. Magno Etruriae Duce fuit, ut Florentiae subsisteret ordinandi caussa typos Orientales, quos regio sumptu comparaverat Ferdinandus I. Mediceus eo tempore, quo Romae Cardinalis fuerat, quique ob acerbum incendium ita confusi & permixti jacebant, ut nulli esse usui possent. Id eo utilius videbatur, quod iis temporibus plures ad studia Orientalium litterarum confluerent; & ejusmodi sane erat typographium Mediceum, ut elegantia & copia cetera omnia superaret (1). Cumulatissime Cosmi votis

(1) *Hoc stetit Ferdinando quadraginta millia, vel multo plus, ut alii scripsere, sentussium. Sed juvat ipsius Benedicti testimonium afferre, ex quo intelligi poterit quam copiosum & elegans hujusmodi typographium fuerit. Sic enim ait ad Apollonium Bassettum scribens.* Quanto alla stamperia deputatami

satisfecit Benedictus, manavissetque ejus industria ad multorum utilitatem, si quae ipse proposuit de edendis quibusdam operibus, quae in Mediceis bibliothecis Palatina & Laurentiana ferme delitescebant, ad exitum pervenissent. Nemo illo sane ad id magis erat aptus, quod Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Graecam atque Latinam linguas teneret, & quod esset aliarum optimarum artium studiis eruditissimus. Haec singularia merita respiciens Cosmus, non illi quidquam deliberatius fuit, quam hominem praemiis sibi & Academiae Pisanae in perpetuum devincire. Declaravit itaque an. 1698. linguarum Orientalium Magistrum, ducentorum centussium ei stipendio assignato, quo in munere ita se gessit, ut doctrinae & eruditionis copia magni viri, boni autem probitatis commendatione speciem tueretur. Quare minime est mirandum, si multi ejus amicitiam requirerent, inter quos honoris caussa nomino Carolum Rinuccinium, Philippum Corsinium, Ferrantem Capponium & Laurentium Magalottium (1),

è uno dei più belli e vasti corpi di stampa, che si trovino in Europa, sì per la vaghezza delle madri, sì per la pulitezza dei caratteri, sì per la copia immensa delle une e degli altri, talmente che delle madri Arabiche solamente se ne conteranno più di ottocento di tutte le forme disegnate da eccellentissimi Scrittori e lavorate da peritissimi Maestri, e in questo genere di carattere Arabo questa Stamperia è unica ed impareggiabile. E benchè ormai la stampa di questa lingua si sia fatta famigliare nell'Europa, in Roma, Parigi, Amsterdam, Vienna, ed altrove, contuttociò niuna delle suddette si può paragonare con questa nè in bellezza di caratteri, nè nella copia delle madri di tutti gli ordini. Ma quel, che la rende più riguardevole e singolare, è la moltiplicità dei tanti linguaggi nobilissimi, che ella abbraccia, che sono l'Ebraico, Greco, Siro, Arabo, Persiano, Egizio, e Indiano Nestoriano; e tutti questi idiomi sono tanto ben provveduti di madri, polsoni, e caratteri gettati, che possono bastare alla stampa di qualsivoglia libro &c.

(1) *Inter hujus familiares epistolas, quas nos Florentiae edidimus an. 1769., extant nonnullae epistolae Benedicti ad Magalottium, & hujus ad Bene-*

Digitized by Google

quibus certe non habebat ullos Florentinorum civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores. Devinctam etiam consuetudine tenebat universam familiam Monachorum Casinen-

---

dictum. Juvabit hoc loco unam tantummodo exscribere, ex qua cognosci poterit ipsius Benedicti ingenium. Al Sig. Priore del Bene, Pisa. Un regalo pel mio Signor Priore, e regalo non piccolo, ma ci vuole un po' di mancia. Il regalo è tutta l' amicizia e la confidenza del Benedetti Maronita onorato dal Gran-Duca nostro Signore della lettura delle lingue Orientali in cotesta Università. Saranno intorno a sett' anni, che S. A. cavò questo degnissimo soggetto di Roma per riordinar l' orribil caos, in cui eran ridotti i caratteri, non sò se di dieci lingue Orientali, fatti gettare con cento trenta mila scudi di spesa dal Gran Duca Ferdinando I., allora Cardinale e Protettore del Collegio *de Propaganda Fide*. Finito questo laborioso riassortimento, S. A. non l' ha mai licenziato, mirando verisimilmente, o come anche ne tengo qualche riscontro, in fin d' allora a valersene in questo nuovo impiego. Si trova egli in necessità di procacciarsi un quartiere costì, il quale per degni rispetti desidererebbe di conseguire in qualche casa religiosa, come lo ha avuto sempre quì, prima per breve tempo in S. Spirito, e poi infino adesso in Badia, dove non si può dire quanto oltre alla stima abbia provato di cordialissimo amore. Io che sono appassionatissimo per le sue convenienze ho subito pensato a far nascere un negozio tra VS. Illustrissima, e questo buon Religioso, con mettervi VS. Illustrissima dalla sua parte la protezione e l' amore, ed egli dalla sua l' ossequio, e tutto quello che può risultare dalla sua gratitudine. Quando ella approvi il progetto, cominci un poco a vedere, dove lo potessimo collocare per procurargli un' abitazione di comodità, e quello che importa per un uomo del suo genio e del suo mestiere, di quiete. Per quanto poi VS. Illma. crede a me, s' impegni pure a raffigurarlo una sposa, senza entrare adesso nella dottrina, nell' erudizione, delle quali ella si riserberà a giudicare dopo poche sessioni. Questa è la volta, che la Sig. Maria Selvaggia rinunzia alle muse Latine, Greche e Toscane per darsi tutta all' Ebraiche, all' Arabiche, o alle Sire; e resto ec.

sium, in quorum coenobio, dum Florentiae fuit, praesertim degit, multisque eorum magno adjumento extitit ad rectam ineundam studiorum rationem. Omnium instar hoc loco nobis erit gravissimum Quirinii Cardinalis testimonium. *Petrus Benedictus* (inquit) *publicus olim sacrarum litterarum in Pisano Athenaeo Professor, mihique vel ab eo tempore magna necessitudine conjunctus. Namque dum Florentiae Monachum indui, nulla re alia felicior mihi fuisse videor, quam quod virum illum omnigena litteratura, linguarum praesertim Orientalium notitia instructissimum, in ea Benedictinorum Abbatia hospitem nactus, & per decem annos, antequam scilicet Societati nomen daret, contubernalem sortitus, saniorum & severiorum studiorum mysteriis ab eodem fuerim initiatus* (1). Sed haec sapientiae fama non adeo delectabat Benedictum, quin excelsum magis fore putaret, si humana omnia despiciens S. J. nomen dedisset. Id praestitit anno 1707., & vix tyrocinio exacto, a Summo Pontifice Clemente XI. jussus est una cum aliis viris doctrina excellentibus sacris Graecorum libris corrigendis operam dare. Sed quidquid ei supererat temporis, id totum aut in sacris habendis concionibus, aut in fidelium excipiendis confessionibus libentissime insumebat; & quod hoc proprium religiosi hominis officium & munus esse putabat, nil laborabat minus, quam ut ante collectam doctrinae & ingenii famam conservaret. Vicit tamen modestissimum illius animum auctoritas Francisci Retzii, qui simul ac universae Societati Jesu praeesse coepit, Quirinii Cardinalis hortatu mandavit Benedicto, ut S. Ephraemi nobilissimi Catholicae Ecclesiae Patris Syriace scripta opera in Latinum converteret. Ne languesceret Benedicti industria, efficie-

---

(1) *In epistola nuncupatoria ad Clementem XII. S. Ephraemi operum I. volumini praefixa. Vide etiam volumen I. commentariorum* de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. S. R. E. Cardinalem Quirinum p. 13.

bat ardens Quirinii oratio, quae saepe ad suum munus pensumque illum revocabat; prodiitque tandem in lucem II. S. Ephraemi volumen, quod Syriaca complectitur, an. 1731. Judicatum est a sapientibus viris optime sustinuisse Benedictum personam interpretis; & quod nonnulla erant, quae doctoris lumen desiderabant, non recusavit ipse has quoque partes suscipere, ac binas confecit dissertationes, quas illi volumini veluti corollarium addidit. His σκοπος est confutare audaciam quorumdam, qui Ephraemi verbis abutebantur ad disseminandas aut falsas, aut temerarias de Eucharistia opiniones. Joannes Kohlius in Academia Petropolitana historiae Ecclesiasticae & humaniorum litterarum Professor paucis ante annis ediderat binos Ephraemi *de Sacra Coena* sermones cum commentariis suis, impudentissime jactans ex ultima Orientis ora, & ultima Christianorum aetate excitari posse testes, qui convincerent novum esse dogma transubstantiationis, & veteribus omnino inauditum. Hujus propugnator acerrimus extitit Benedictus, & in medium adductis explicatisque non solum Ephraemi, sed & aliorum Scriptorum Orientalium, antiquissimarumque Ecclesiarum, quarum adhuc extant liturgiae, testimoniis, non tam errare, quam desipere & delirare adversarium suum ostendit, qui haec posse revocari in dubium, & minus idonea censeri ad Impanatorum, ut vocant, errorem coarguendum putaverat. Quo gravius & verius reprehendit Lutheranos scriptores, qui ad multitudinem decipiendam mutilos afferunt textus, maleque interpretantur, eo diligentius tuetur Catholicae Ecclesiae judicium ac fidem, quae nulla inimicorum fraude unquam potuit violari. Mitius egit Benedictus, ut pote cum hominibus Catholicis, cum Lebrunio & Renaudotio (1), qui contendebant Eucharistici

(1) *Horum sententias Gallorum alii renovarunt, ex iisque memoratur praesertim Antonius Augustinus Tuetteus Monachus Benedictinus e Congregatione S. Mauri*; Dissert. III. ad S Cyrilli Archiep. Hierosolymitani opera.

panis consecrationem inchoari illis verbis a Christo prolatis, *hoc est corpus meum*, perfici vero iis precibus, quibus post octo orationes partim a Sacerdote, partim a Diacono, partim a Populo recitandas, Sacerdos ipse S. Spiritum implorat atque appellat. Quod huic sententiae rationes suggerere ajebant omnium Graecorum, Syrorum, Armenorum, Coptorumque doctorum testimonia, omnes anaphoras atque liturgias, haec temere & falso ab iis affirmari probat Benedictus, cum ex iisdem monumentis omnibus confici cogique possit, consecrationem, seu, ut loquuntur, transubstantiationem illis Christi verbis omnino peragi. Dum haec tractat, ubique spargit magnam Orientalium litterarum doctrinam, nec parum lucis affert ipsis S. Ephraemi dictis, quae explanationem sapientis interpretis requirere videbantur. Interea parabat ea Benedictus, quae ad III. ejusdem operum volumen pertinebant: sed eum medio in cursu consistere coegit mors, quam Romae jam octogenarius obivit VIII. Kal. Septembris an. 1742. Praeter eam, quam memoravimus S. Ephraemi interpretationem, vertit quoque in Latinum sermonem ex Arabico Stephani Aldoensis Patriarchae Antiocheni scripta *de sacra liturgia*, *ac de origine gentis Maroniticae*, & partem Menologii Graecorum. Majora sane perfecisset, nisi conquievisset in iis officiis, quae ad sacra procuranda, rudioresque instituendos pertinent. Nam quae sunt religiosi hominis virtutes adeo coluit, ut non solum ad tempus maximam utilitatem attulerit, sed etiam ad exemplum factorum. Quod post Benedicti ab Academia discessum minime consultum fuerit Orientalium linguarum studiosis, sapientiae quidem minime videtur fuisse Academiae Praefectorum, quasi ex animo eorum effluxissent, quae ipse re & verbis de illarum linguarum utilitate docuerat. Saepe enim ei solebat esse in ore, haud ferendam Novatorum audaciam, qui desperantes a Graecis Latinisque scriptoribus posse se errorum suorum excusationem quaerere, ad Orientales, Syros, Arabes aliosque hujusmodi gentium confugiebant, inde praesidia sibi parantes, quae propter ignorationem linguarum latere posse sperabant. Tali modo illudebat atque increpabat malas artes Seldeni, Hottingeri,

Digitized by Google

Calixti, Ludovici Dieuii, Salmasii, aliorumque hujus generis hominum, quasi peregrinae eruditionis gloriosa ostentatione illarum linguarum peritis, quemadmodum ignaris, fucum facere potuissent.

Atque haec dixisse sufficiat, si illa addidero, mirum videri minime debere, quod Ecchellensis in odium incurrerit Innocentii X., quia hic nihil tam aversabatur quam Barberinios, omnesque illos, qui in clientelam iis se se dederant; & Tripolitanum illum Archiepiscopum Romam accessisse an. 1634. controversiarum caussa, quas cum suo Patriarcha habuerat, auctoremque fuisse, sua oblata opera, ut in illa urbe imprimerentur Eucologium & Horologium Graecum in Arabicam linguam conversa. Postquam Pisis discessit, Romam rediisse videtur, extatque monumentum in tabulario Decuriae Cardinalium, quae *Propagandae Fidei* dicitur, ex quo apparet an. 1657. pecuniam ab ipsa Decuria habuisse, quo rediret in Soriam, post quod tempus nihil amplius de illo sciri potuit. Si haec minime in loco posita tibi videbuntur, ignosces festinationi, qua superiora typis mandavimus.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Graecae linguae Magistris.

MIrum videri solet, quod cum Clemens V. (1) pro bono sacrarum litterarum & catholicae Fidei in Concilio Viennensi statuisset, ut essent in celebrioribus Academiis Hebraicae, Arabicae & Chaldeae linguarum praeceptores, mentionem minime fecerit Graecae linguae, quae non minus utilis & necessaria esse putatur. Sane putidum esset de re hac referre doctorum hominum sententias, qui tantum tribuerunt ad divinos libros interpretandos Graecae linguae notitiae, ut sine hac neminem ad summa contendere posse judicaverint. Nihil nunc dico de ornamentis & commodis, quae per Graecas litteras ceteris studiis suppeditantur, cum illa attigisse sufficiat, ut rationem redderem, quare harum Praeceptores a ceterarum linguarum Magistris haud sejungendos esse putaverim. Paucos post dies quam obierat Franciscus Trinius Atheniensis, de quo satis multa superiori in volumine narravimus, ejus in locum suffectus fuit Georgius Tromba Lascaris origine Graecus, ortu vero Anconitanus cum stipendio CCCL. centussium. Quod ipse tum ab Etruria aberat, nec satis constabat, utrum Roma, ubi omnium sermone ejus doctrina celebrabatur, discessurus esset, Joannes Cotunius Thessalonicae nobili loco natus operam suam obtulit Academiae. Magnus quidem hic vir erat, & late patebat ejus doctrina, ut ex testimonio Sommajae intelligi potest

(1) *Vid.* Clementinar. lib. V. cap. 1. de Magistris.

test (1), sed quia ad liberaliter vivendum parvo haud contentus esse poterat, neque mens erat Academiae Praefectis magnis mercedibus aerarium exhaurire, cum bona gratia illum dimiserunt, fidemque suam Trombae per quadriennium obligarunt. Is eodem illo anno, quo ad nos venit, insignia juris prudentiae Romae acceperat, eaque propter vehementer petiit, ut in collegium Jurisconsultorum admitteretur, quod paucos post annos obtinuit. Multi fuerunt laudatores integritatis, diligentiae & doctrinae illius, & postquam per XIV. ferme annos, operam utilissimam praebuerat Academiae, cum jam decrepita esset aetate, non sine praemio laborum missionem ab ea impetravit (2).

(1) Giovanni Cottunio nobile di Tessalonica di circa a 50. anni, di buone maniere, e costumi esemplati, e cortesi, con presenza bella, & venerabile. E' Dottore in Teologia, Filosofia, & Medicina, & in tutte si sente vale assai, con molta, & varia eruditione, e notitia non mediocre di cinque, o sei lingue, ma professa principalmente Filosofia, nella quale è comunemente stimato di eminenza. Nel Collegio de' Greci in Roma lesse cinque anni materie Poetiche lodevolmente. In Padova lesse Teologia in S. Maria d'Avanto in luogo del P. Bovio celebre Metafisico. Da Padova fu condotto a Bologna a leggere Greco, dove dicono habbi scudi cinquecento d' 80. bolognini l'uno, & vi ha letto da 13. anni con applauso, & concorso. Ha letto in Studio la Rettorica, Poetica, Politica, & altro d'Aristotile, & la Repubblica di Platone, et in casa Filosofia, e Teologia. Ha stampato un libro assai grande: *De triplici statu animae rationalis*, il quale ho fatto vedere a quattro persone dotte, e da tutti mi è stato lodatissimo per dottrina, lingua, eruditione, chiarezza, e tutto. Si contenta di settecento scudi, & viene prontamente. Domanda bene viatico in generale, & in vero è cosa solita, come appare per l'inclusa nota, & si usa non solo a Pisa, ma nelli altri Studij d'Italia. Vive da gentilhomo honorevolmente in casa, & fuori, & è amatissimo per la sua virtù, e modestia. Non ha moglie, nè alcuno parente seco.

(2) *His verbis Magnus Dux rescripsit*. E compatendo all'età grave del Dot. Tromba, e alle fatiche passate, si contenta di giubilarlo con annui sc. 150.

Serius omnino consultum fuit Graecae linguae studiosis. Ita autem consultum an. 1648. ut habuerint non solum fructus necessarios, sed etiam liberales, cum iis datus fuisset praeceptor Valerius Chimentellius. Patrem habuit Jo. Baptistam Florentinum civem, & Jurisconsultum integerrimum & satis doctum, matrem autem Antoniam Landiam a Monte Varchio (hoc oppido nomen) qui eum Florentiae genuerunt XIII. Kal. Augusti an. 1620. Cum domi nihil videret nisi castum & pudicum, nihilque audiret, nisi quod virtutem & litterarum studium commendaret, harum desiderio mature aestuavit. Itaque quantum spatium aetatis majores nostri ad ipsas litteras addiscendas esse voluerunt, sive Florentiae, sive Pisis illarum caussa degeret, tantus illi cursus fuit ingenii & industriae singularis. Habuit in patria physicae, metaphysicae & theologiae magistrum Filiromolium ex eo Dominicanorum instituto, qui incolunt Marcianum coenobium, Graecae linguae Cyrillum Basiliensem monachum in Graecia natum, Hebraicae Cosmum Svetonium. Pisis autem juris prudentiae, cujus elementa a Pieruccio antea didicerat, operam maxime dedisse videtur sub optimo praeceptore M. Aurelio Galvanio, cujus amicitiam, quoad vixit, sanctissime coluit, & a quo non invitatus modo, sed etiam lacessitus fuit ad Romanarum legum obscuriores sensus enodaudos (1). Custo-

---

sua vita durante senz' obbligo nè di leggere in detto Studio la lingua Greca, come con grande applauso ha fatto fin qui, nè d' altro.

Persio Falconcini 6. Settembre 1640.

(1) *Adeo profecisse in juris prudentia videtur, ut eam nonnullos docuerit privatim Florentiae, & in his, commendatione Nicolai Heinsii, Christianum Schelium. Cum vero petiisset cooptari in collegium Jurisconsultorum eo tempore, quo Pisis Graecas litteras profiteri coepit, haec de eo retulit Academiae Curator.*

Digitized by Google

diebat memoria, quae a summis viris dicta sunt, ut recte atque ordine sapientia compararetur, eaque ad humani generis utilitatem conferatur; & cum videret orbam esse eloquentiam, & dominari quoque in scholis eam philosophiam, quae, confundens vera cum falsis, spoliat homines judicio, & ferme sensibus privat, quantum in se erat his mederi malis cum aliis cordatis viris vehementer optabat. Erant tum Galileii discipuli plures, hosque frequentabat; erant, sed admo-

Serenissimo Gran Duca.

In due maniere il retroscritto supplicante può ricever grazia da V. A. S. d' essere ammesso in Collegio, o come Ordinario, o come semplice Dottore. L' essere ammesso come Ordinario, importa maggior honorevolezza, e qualche utile di più, essendo sempre gl' Ordinarj fatti da Laureandi Promotori. Questa preminenza d' Ordinario, che in Collegio ha luogo distinto, non compete di giustizia se non a quelli, che nel ruolo sono honorati da V. A. con questo titolo d' Ordinarj; del numero dei quali si cava ogni mese il Priore, che è capo del Collegio. Gl' altri Lettori, che sono la maggior parte, vanno tutti sotto nome di semplici Dottori, participando ancor essi degli emolumenti de' Dottorati, ma in porzione minore degli Ordinarj. Il conceder la grazia al supplicante d' entrare in Collegio come Ordinario, pare che porti seco qualche sconcerto, per la repugnanza, che vi sarebbe, che chi non legge materie legali havessi a esser capo e Priore de' Legisti: e sarebbe in odio degli altri Lettori, che non sono Ordinarj e non corrano nella borsa del Priore, il vedersi preferir e constituire capo di tutti loro, chi non espone in Cattedra materie legali. Il concederla poi come semplice Dottore darà quell' utile & honorevolezza al supplicante, ma non porta seco sconcerto veruno. Gia egli è Dottore di Legge, e non mancano esempj, che altri Professori della lingua Greca antecessori suoi in questo Studio, hanno ottenuto la medesima grazia, come fu Georgio Tromba & altri. Il suggetto è ornato di molte virtù, e fa molto lodevolmente il debito suo nelle lezioni, onde non può essere se non accetto al Collegio: & io so l' inclinazione di molti, che in questa forma lo vedranno volentieri.

dum pauci, litterarum Graecarum Latinarumque cultores eximii, quibus se fere exaequabat Chimentellius, & cum his ita versabatur, quasi custodes conservatoresque essent constituti violatae illarum dignitatis. Nemo enim ignorat quantum iis temporibus barbaries infuscaverat omnes humaniores litteras. Cum Leopoldo Mediceo, luculentissimo illarum patrono ipsum commendaret Famianus Michelinius, testificatus est, miros omnino progressus, se duce, fecisse in mathematicis disciplinis vel ex eo tempore, quo nondum ex pueritia excesserat, atque doctiorum concessu peritum adeo esse Graecae linguae, ut, cum haec studia nunquam intermisisset, dignus judicandus esset, qui Jo. Baptistae Donio succederet humaniorum litterarum praeceptori in Florentino Lyceo (1). Tanti viri mors accidit ineunte Decembri anni 1647., neque multo post in illius locum suffectus fuit Alexander Adimarius, ac paucos post menses Carolus Da-

---

Comandi adesso V. A. la sua volontà, mentre io humilissimamente me l' inchino per eseguirla, e le prego somma felicità. Di Pisa 16. Novembre 1649.
Di V: A. S.

Alessandro Minerbetti.

Consegni il Collegio come a semplice Dottore non ostante.

Persio Falconcini 5. Ottobre 1650.

(1) *Michelinii epistolam nos edidimus in vol.* 1. delle Lettere inedite di Uomini illustri p. 166. *Chimentellius ipse cum scriberet ad Galvanium de Donii morte, vix ac ne vix quidem inventum iri ait, qui tanti viri gloriam esset aequaturus, seque competitores habere Alexandrum Adimarium, Lanfredinium Canonicum & Carolum Datium. Adimarius quidem Donii locum obtinuit, sed tres post menses homo aeger & septuagenarius eo moveri petiit, & obtinuit.*

Digitized by Google

tius, qui si Chimentellio Graecae linguae peritia concedebat, ipsum tamen scribendi, praesertim Etrusce, elegantia superabat. Sed majori etiam theatro spectata est Chimentellii doctrina, ex quo, ut diximus, declaratus est Graecarum litterarum magister. Huic muneri quinquennio post additum fuit onus docendi omnes humaniores litteras cum stipendio CCC. centussium, quod non admodum liberale fuisse dixeris, si singularia hominis merita spectes. Vix illud primum munus obire coepit, cum decubuit ob tertianam febrem, & fuit quidem tempus illud calamitosissimum Pisanae Academiae, quod, grassante lue, vita privati fuerunt Rainerius, Vecchius, Souciuius, Gaudentius, Ruschius, qui ipsius Academiae lumina & ornamenta dicebantur & erant. Ex hac calamitate argumentum ipse sumpsit orationis, quam habuit anno 1649. in solemnibus studiorum auspiciis, eas interponens defunctorum collegarum laudes, per quas inflammari posse adolescentes arbitrabatur ad illorum exempla imitanda, atque jacturam sarcieudam. Separatim etiam laudavit Gaudentium, Virgilium, & Bartholomaeum Vecchios, & quod his quoque praeceptoribus usus fuerat in juris prudentia, quodque perpaucos illis pares, neminem superiorem ponebat doctrina, eruditione, integritate, omnique humanitate, minime veritus est, ne effusus in illorum laudibus celebrandis videretur. Tum ferebant tempora laudationis genus altius exaggeratum, cum illa excellentissima oratio putaretur, quae turgeret atque inflata esset, sententiarumque aculeis abundaret, contra vero enervata & exanguis, quae cum lenitate quadam aequabili fluens veritatem & naturam imitaretur. Vidit haec saeculi vitia, sed non prorsus declinavit Chimentellius, & ea quidem maxime apparent in *nuptiali panegyrico, quem Genio Maiestatique Serenissimorum conjugum Cosmi Principis Etruriae & Margaritae Aloysiae Aurelianensis* dedicavit. De eo idcirco mentionem fecimus, quia ex multis, quas dixit, orationibus, haec una in lucem prodiit, & si perplacuere ejus aetatis hominibus illa, in quibus maxime exultare & triumphare videtur, tum Ferdinandi II. Etruriae Ducis, tum Ludovici XIV. Gal-

lorum Regis facta illustria recensens, vix ferre nunc possumus, cum in summa ubertate sententiarum ac verborum insit luxuries quaedam, quae nec aures explet, nec sensum movet. Is est eloquens, qui humilia subtiliter, & magna graviter splendideque, & mediocria temperate potest dicere, illa adhibens oratoria ornamenta, quae sint accommodata ad probandum, & ad audiendum jucunda. Aequabile magis ac temperatum orationis genus secutus est Chimentellius, cum accedentem an. MDCL. ad Academiam Pisanam Leopoldum Mediceum laudasset: nihilo tamen minus ex hac quoque laudatione, quae illius aetatis dicendi ratio, quaeque voluntas esset, intelligi potest. Neminem vero fore arbitror, qui Chimentellio haec de Leopoldo praedicanti valde non assentiatur: *de summo Heroe ac Maecenate quantumvis dixero, infra semper erit. Quod ad omne genus artium nobiliorum favore ac patrocinio impellat, Principis est; quod suo ipse labore exornet, ac tueatur, omnium pene compos, supra Principes est, sed non Mediceos*. Quanquam huic quidquid esset se debere grate profiteretur, multis tamen etiam beneficiis auctus & ornatus fuit per Cosmum Principem, quare minime verebatur ne assentatiuncula quadam aucupari ejus gratiam videretur, cum saepe & libenter ad illius laudes celebrandas rediret. Extat oratio, quam dixit an. 1664. ut ipsi ab Italica peregrinatione Etruriam repetenti gratularetur, quam cum leges, admiraberis hominem, cui fortuna felicitatem dedit, industria virtutem comparavit. Erant tum quidem in Cosmo bona multa, quae Principem decorant, atque in primis religionis ac litterarum amor. Chimentellius ipse aluit istud sapientiae studium, cum destinatus fuisset ad illum erudiendum. Id accidit postquam Franciscus III. Mutinae Dux eumdem ad se se invitaverat, ut institueret Alphonsum filium natu majorem. Nam cum abeundi veniam illi negasset Ferdinandus II. Magnus Dux (1), ne tanta vis ingenii ab Etruria abes-

(1) *Cum rumor sparsus fuisset vacuam fore suo magistro humaniorum litterarum Cathedram, hanc an. 1662. sibi dari petiit Bartholomaeus Beverinius*.

set, majoribus vinculis sibi illum adstringere minime dubitavit. Porro omnia, quae pertinent ad usum civium, morem hominum, quae versantur in consuetudine vitae, in ratione Reipublicae, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, quae de rebus bonis, aut malis vel expetendis, vel fugiendis, de virtutibus contrariisque vitiis tradita sunt, quae de rebus magnis, ac memoria dignis historiae monumentis consignata sunt, & non solum quid actum & dictum sit, sed etiam caussas omnes vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis bene noverat Chimentellius, quare facile poterat instruere Principem ad bene ac sapienter administrandam Rempublicam. De his rebus omnibus infinitae sylvae in illius scriptis apparent, in quibus extant quoque dissertationes plures ad Cosmum ipsum, quibus homo omni doctrina eruditus aut explanat res obscuras interpretando, aut explicat & excutit quod in controversiam vocabatur. Erat enim consuetudo Principis hujusmodi disputationibus condire congressus doctissimorum hominum, quos avide requirebat memor Euripideae sententiae.

Σοφοι τυραννοι των σοφων συνουσια.

Sapiunt Reges sapientum congressu.

In instrumento quoque ac supellectili Chimentellii numerabatur summa antiquitatis peritia, cujus rei publicum testimonium dedit, vulgato anno 1666. typis Bononiensibus libro, cujus est inscriptio: *Marmor Pisanum de honore Bisellii cum parergo de veterum sellis, &*

---

cujus nomen immortalitate dignum putamus ob interpretationem, quam versibus Italicis fecit Aeneadum Virgilii, quae est in manibus hominum, & ob historiam Reipublicae Lucensis scriptam elegantissime, quae lucem minime aspexit.

Digitized by Google

quibus omnibus confici posse videtur honoris caussa concessum quibusdam magistratibus fuisse, ut iis sellis publice uterentur, in quibus duo sedilia essent (bisellia idcirco dicta) ita compacta, ut facile, si libuisset, a dextra in sinistram, & sic vicissim, transire potuissent. Neque id modo multis argumentis & conjecturis probat Chimentellius, sed omne id persequitur summa eruditionis copia, quod ad sellas antiquorum, & ad eas praesertim, quae honoratiores majoresque, & quorumdam magistratuum dignitatumque propriae putabantur, pertinebat (1). Non facile quidem invenies quid in his rebus illi esset incognitum, neque ipsum umquam industriae suae poenituit, quoties rem aliquam tractandam suscipiebat, ut omnia illa inquireret, quae ad illam quomodocumque referri poterant. Id praesertim intelliges ex indice capitum cujusdam operis, quod diu in manibus habuit, de re donatica antiquorum, quodque in extremo libro de Honore Bisellii proposuit. Istum enim locum ita dilatavit, ut nihil desiderari potuisset, & sylva rerum ac sententiarum, quam comparavit, quaeque ad nos usque pervenit, ejusmodi est, ut in illa eluceat summa antiquitatis peritia & reconditae eruditionis magnitudo. Dolendum itaque, quod huic operi extremam manum ponere minime potuerit Chimentellius, cujus, ut erat prudens sincerumque judicium, & summa litterarum & antiquitatis peritia, sic & pura & candida, & ad aureos Latinos scriptores elaborata fuisset oratio, porro in summis suae aetatis viris illum ponere minime dubitassem. Vel ille alienae laudis invidus homo Raphael Fabrettus eumdem eruditissimum appellat, nec

(1) *Philippus Bonarrotius laudat ipsum, quod omnium primus de suppedaneis egit, nec dubitari sane posse videtur, quin multa ceteris antiquitatis explicatoribus incognita protulerit. Quid vero senserit de universo hoc opere exquisitissimi judicii vir Michael Angelus Riccius, intelliges ex ejus epistola, quam nos edidimus in Vol. II.* delle lettere inedite.

minora illi tribuit Graevius (1) ceterique, qui de eruditione judicare poterant. Etsi autem omnes praedicari de se & nominari velint, is tamen erat in Chimentellio animi habitus ad virtutem quasi praeculti, ut summis se in laboribus exercuerit, non ut suae famae, sed ut aliorum utilitati consuleret. Ea propter multa scripsit, perpauca vulgavit, nobisque jure ac merito gratulamur, quod perlustrare contigerit orationes, epistolas, acroases, quas publice habuit in Academia, ceteraque hujusmodi, quae aut officio erga amicos, aut muneri tribuit (2). In iis plures sunt epistolae ad Cosmum Mediceum, sane verbosiores, quas qui legent nec Principis humanitatem, nec Scriptoris eruditionem singularem desiderabunt. Exigebat enim Cosmus a Chimentellio, ut philologicum aliquod, tanquam pensum, ad se mitteret. Nos vulgavimus quae de Pisano ludo, quem Pontis appellant, Latine scripsit, Jo. vero Targionius emisit, quae idem de amoenissimo quodam rure Gherardiorum Alexandro Strozzae narravit (3). Tam facile illi erat Latine scribere, quam Italice loqui; sed vitium de industria consectatus esse videtur, ut prisca, ac longe petita, & ab usu elegantiorum scriptorum jamdiu intermissa verba, dicendique modos conquireret. Non adscitus, sed nativus lepor apparet in iis, quae Italicis litteris mandavit, & antiquitatis, scriptorumque veterum litterate adeo erat peritus, ut de Etruscae linguae originibus, quemadmodum Datius Menagio affirmavit, scribendum susceperit (4). Opus tamen minime perfecit, quanquam legens, quae scripserat, in coetu

(1) *Vide illius* Praefationem ad Vol. VIII.

(2) *Haec omnia extabant antea in Grandiana Bibliotheca, ex qua in Academicam translata fuerunt.*

(3) Tom. III. p. 274. *operis, quod inscribitur*: Notizie degli Aggrandimenti delle scienze fisiche accaduti in Toscana &c.

(4) *Vid.* Le mescolanze del Menagio, *ad quem virum harum rerum curiosissimum investigatorem plures extant manu scriptae Chimentellii litterae.*

Furfureorum praeconia multorum collegisset . Horum religioni cum serviret Chimentellius, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat, & vel cum luderet (mos enim erat in Academia quotannis exhilarare convivia ludicra oratione) cuivis Etrusci sermonis elegantia, & sale facetiisque par esse poterat (1). Sunt qui affirmant incorruptam quamdam Etrusci sermonis integritatem apparuisse quoque in ejus Italicis carminibus, sed hujusmodi multa minime composuit, cum Latinis Musis magis delectaretur. Quae ad Cosmum, qui semper amavit ingenium, studia, mores illius, de muscis odoris Pisanis misit (2), satis ostendunt egregie illum pingere potuisse, nec sane colorum egebat, sive soluta, sive numeris adstricta oratione scriberet. Gratulans aliquando, ut unam rem exempli caussa ponamus, Pisanis, quod Alexander VII. S. P. & Lud. XIV. Galliarum Rex eorum urbem delegissent ad pacem inter se per legatos componendam, sic illuminavit orationem suam: „ Narrent alii antiqua tua decora, „ quod Romanis Praetoribus tutam ad Ligustica bella sedem, ac Im„ peratoribus deliciarum & voluptatis portum aperueris; quod mariti„ mis pollens copiis ingens rei Christianae praesidium ad sacra foede„ ra in Oriente contuleris, quod felicibus illic praeliis toties pugna„ veris, divitemque inde praedam, illustria spolia victrix reportaveris; „ quod intra Siciliam ipsam, primariis receptis urbibus, Saracenorum „ vires contuderis, atque audaciam represseris; quod debellata Corsi„ ca, subacta Sardinia, captivo abducto Musacto, utrique Insulae „ imperitaveris; quod Baleares suis nequicquam superbas missilibus

(1) *Extat ejus* Cicalata *(sic enim vocabantur hujusmodi orationes)* dèlle lodi dell'insalata *in Vol. VI. Part. I.* delle Prose Fiorentine . *Vide quae de laudibus hujus ludicrae orationis dixit Ant. Maria Salvinius*; Note alla Fiera del Bonarroti .

(2) *Vide haec in extremo libro* de honore Bisellii.

„ occupaveris, ac regem earum captivum ante Romanum Pontificem „ stiteris; quod aemulam quondam sempiternae urbis Carthaginem, com- „ prehensis Ducibus, nec leviter infracta Maurorum insolentia, expu- „ gnaveris: narrent, narrent alii, quod in te sedem & domicilium „ gloriae collocarunt Stephanitae Equites, quod in sinum tuum Mi- „ nerva ac Musae omnes confugerint, quod soli ubertate, & natura „ & situ, & descriptione aedificiorum inter principes Italiae urbes „ excellas, quod & pacis & belli artibus flórueris semper, ego qui- „ dem de te sic praedicavero, nihil tibi accidere potuisse fortunatius, „ quam quod a te caduceum, concordiae signum, potentissimi Prin- „ cipes petierunt, ac talem occasionem dederunt demerendi tibi omne „ genus humanum „. Haec sane valebant ad conciliandam ei Pisanorum gratiam, ad quos etsi libenter non venerat (1) quemadmodum testificatus est Antonio Magliabechio, quod eorum caelum humidum & grave sibi, qui semper infirma, ac saepe etiam aegra valetudine fuit, noxium fore putabat, quotidiana tamen consuetudo effecit, ut apud eos sic viveret, ut patriam minime requireret. Bene quoque merebatur de iis, cum, siquid inscriptionibus memoriae posteritatis mandandum esset, hunc laborem minime recusaret, & quae in nobiliori illorum ponte nunc etiam extant, a Chimentellio prodierunt. Nullum pro his rebus praemium quaerebat, solitus nunquam foenerari beneficia, quae in animis condi eorum, quibus tribuebat, satis ampla homini humanissimo merces erat. Cum adhuc esset in flore aetatis, magnaque ab eo sperarent litterarum cultores, in ipsa urbe Pisarum naturae ces-

(1) *Ita Magliabechius in Scheda quadam*. Ebbe quì pochissima fortuna al solito: fu costretto di andare a leggere a Pisa da Ministro indiscreto, mentre non istava bene, il che fu cagione della sua morte. Essendo venuto a visitarmi il giorno avanti la sua partenza per Pisa in presenza del Canonico Lorenzo Panciatichi, Andrea Cavalcanti e di altri, mi disse che lo mandavano alla morte, e fu profeta.

sit, sepulcrumque habuit in aede S. Catharinae, in quo hoc positum elogium fuit.

D. O. M.

Valerio Chimentellio Florentino J. Baptistae J. V. C. integerrimi filio In Pisano Lycaeo Graecarum prius mox humanarum literarum Celeberrimo Professori Qui memoria et ingenio ad invidiam usque dotatus Studio ac labore ad aemulationem excultus Sapientiam Christianam uno ore corde ac mente triplici lingua excoluit, Cum Hebraice, Graece, Latineque perorans Sedulam juventutem maximo plausu fere XX. annis edocuit Qui veterum recentiumque doctrinam ac probitatem in se complexus Scientias et virtutes raro conjugio copulavit. Is a Francisco III. Mutinae Duce accitus ut Alphonsum natu majorem Filium erudiret Aggredi gloriosum opus denegata abeundi facultate non potuit Quod paulo post imperante Ferdinando II. Magno Hetruriae Duce In Cosmo III. ejusdem Successore ita perfecit Ut in eo Regiae Sanctitatis eruditionisque miraculum venerabundus Aduc Orbis suspiciat. Decessit anno Domini MDCLXIIX. aetatis suae XLIX. cujus memoria Ut excitaretur in cinere Bartholomaeus Chimentellius frater maestis. P.

Quanquam fructum magnum percipere possent Graecarum litterarum studiosi ab iis, qui humaniores litteras profitebantur, doluisse tamen visi sunt, quod nullus extitisset Graecae linguae praeceptor a Chimentellii obitu ad annum usque 1676. quo haec provincia commissa fuit Benedicto Averanio. Is ortum habuit Florentiae XIV. Kal. Sextiles an. 1645. parentibus Francisco Averanio & Margarita Sacchettinia civibus Florentinis, quibus adeo curae fuit, ut liberi, quos suscepere, optime educarentur, ut ex ipsius Sapientiae stirpe generati esse

Digitized by Google

viderentur. Multa Benedictus vel a prima pueritia indicia praebuit probitatis & ingenii, discendique amor ipsi cum aetate crescebat. Nemo illum vidisset in eo aetatis flore nisi aut cum castissimis parentibus, aut cum libris versantem, videbaturque horrere omnia oblectamenta puerorum. In rhetorica praeceptorem habuit Vincentium Glaream e S. J. hominem, ut illis temporibus, satis Latinis litteris doctum; sed brevi eo pervenit, ut sine cortice in hac mitiorum litterarum aequula nare posset, & ipse sibi consulere. In quo quidem tanta felicitate usus est, ut non solum aequalium nemo ei par poneretur, sed vel ipse Praeceptor ab illo se fuisse superatum ingenue profiteretur. Nec quidquam Benedictus habuit antiquius, quam ut optimos scriptores tum Italicos tum Latinos nunquam de manibus deponeret; quodque initio non mediocre tempus consumpserat in poetis praesertim epicis evolvendis, totum jam se dandum Ciceronis & Historicorum lectioni existimavit. A rhetorum spatiis ad philosophorum campos traductus adiit statim fontes illos, unde universum sapientiae flumen erumpit; nec quidquam erat retrusum adeo atque abditum in Platonis & Aristotelis, eorumque interpretum & sectatorum libris, quo ipse, suo acerrimo ingenio duce, non penetraret. Platonem praesertim sequebatur, quod longe omnibus ingenio & doctrinae copia illum praestare dicebat, quapropter minime esse mirandum omnes eos, qui in aliqua disciplina principatum tenuissent, quorum in numero Ciceronem, Virgilium, & S. Augustinum ponebat, Platonicos fuisse. Eadem mentis acie, qua rerum omnium vim, naturam caussasque videre satagebat Benedictus in philosophorum scriptis, illa quoque aspiciebat, quae ad eloquentiam, cujus incredibili quodam studio flagrabat, quoquo modo pertinebant. Saepe enim memoria repetebat illa Ciceronis: *fateor me oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis extitisse: illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum impressa sunt vestigia; sed & hujus & aliorum philosophorum disputationibus & exagitatus maxime Orator est & adjutus: omnis enim ubertas, &*

Digitized by Google

quasi silva dicendi ducta ab illis est. In his occupationibus Benedictus renovabat interdum exercitationes poeticas, & quod finitima eloquentiae poesis est, illamque non parum adjuvat, quodque ad hanc factus a natura esset. Composuit autem, ut patri obsequeretur, Latinum poema de S. Thomae Aquinatis laudibus, in quo omnes admirabantur adolescentuli singulare ingenium, qui cum ne primoribus quidem labris rerum divinarum scientiam attigisset, de Trinitatis mysterio ita distincte, eleganter & illuminate versibus dixisset, ut fortasse melius a summo theologo, solutaque oratione id fieri minime potuisset. Periit autem hoc poema cum multis aliis Auctoris carminibus, quod ea negligentissime (non enim is erat, ut sua eum maxime delectarent) asservabat. Ceterum quae sunt in manibus hominum Benedicti carmina, quorum pleraque in pueritia condidit, satis ostendunt potuisse illum ad summi poetae laudem pervenire, si, omissis gravioribus studiis, huic arti sedulam operam navare voluisset. Sunt enim lita ingenii luminibus, & naturali venustate atque lepore condita. Sed praesertim in elegia excelluit, in qua Tibullum sibi ad imitandum proposuit. His ille rebus instructus a parte missus est ad Academiam Pisanam ea mente, ut ibi juris prudentiae unice studeret. *Quoniam vero*, ut ait ille, *minime interdictum est aut a rerum natura, aut a lege aliqua atque more, ut singulis hominibus ne amplius quam singulas artes nosse liceat*, ita Averanius, postquam diligentissime satisfecisset juris praeceptoribus, alias facultates sibi assumebat, in quibus industriam suam collocaret. Veterum philosophia minime contentus curiose investigabat quidquid recentiores philosophi invenissent, cum prius geometriae subsidium ipse sibi comparasset. Plurimum quoque se exercuit in mechanica & astronomia, aliasque attigit disciplinas, quas conducere putavit ad dicendi facultatem, quae nisi aspersa atque distincta sit multarum doctrinarum jucunda varietate, vix eloquentiae nomen meretur. Graecam vero linguam, Graecasque litteras avide arripuit, quasi ardentem sitim explere optasset. Multi etiam sudoris erant quotidianae scriptiones ad

Digitized by Google

acuendum stilum, qui vere perfector dicendi & magister appellatur. Nec Latine solum, sed etiam Graece scribebat, cum convertisset in Graecum Salustium & Celsum, aliaque Latina. Extant & ejus Graecae elegiae, quarum una, quae laudes celebrat formosae cujusdam puellae, cum in manus pervenisset hominis Galli, qui sane teretes aures habebat intelligensque judicium, ab antiquo poeta ipsam scriptam judicavit. Ut vero Averanii esse audivit, mirari non cessabat hunc posse tantum in Graeca poesi, eumdemque tanta negligentia esse in adnotandis, ut vocant, spiritibus & accentibus, aliisque orthographiae legibus observandis, quasi haec nullius essent momenti. Is quidem erat Averanius, ut hujusmodi quaesitores vituperaret, & in eo quodammodo gloriari videretur, se, dum grandia spectaret unice, minuta contemnere, Quidquid eidem vacabat temporis ab Academicis studiis solitus erat in patria consumere, ubi ne otium quidem illi erat otiosum. Creatus Princeps Academiae *Apathistarum* veniebat in illam frequens: solebat vero ex instituto ejusdem Academiae ea ponere in percunctando, tantaque eruditionis copia quaesita ab aliis tractare, ut nihil ei esse novum, nihil non cognitum videretur. Quae cum audisset communi fama atque sermone Leopoldus Mediceus Cardinalis, cui nihil tam cordi erat quam favere litteris, & laudi honorique Academiae Pisanae patrocinio suo commendatae, affirmavit Benedicto, si pergeret porro tenere illam viam, quam instituerat, se ei munus delaturum docendi humaniores litteras in eadem Academia. Qua spe erectus, decoratusque jam laurea ceterisque doctrinae insignibus, totum se in easdem litteras abdidit. At priusquam Leopoldus datam fidem liberaret, e vivis excessit: cui cum essent justa persolvenda in Florentina Basilica S. Laurentii, Benedictus mandatum accepit componendi Latina epigrammata (fecerat hoc idem paullo ante in exequiis Claudiae Augustae) quae appendi debebant in eadem Basilica ad mortui laudem atque memoriam. Plausisse homines his epigrammatibus ex eo conjici potest, quod renovata postea hujusmodi mandata fuerunt in funeribus Victoriae Roboreae Magni Ducis Ferdinandi con-

jugis, . & Leopoldi Caesaris. Cum Leopoldi Cardinalis vita omnes spes suas extinctas putabat Benedictus; sed illas brevi reviviscere vidit, quod ejus doctrina Cosmo III. Magno Duci satis cognita erat. Nam omnes mirabiliter de illo & sentiebant & loquebantur. Itaque, ut diximus, anno 1676. munus longo tempore vacuum tradendi in Pisano Lyceo Graecas litteras illi assignatum fuit, quod auspicatus est a splendida sane & magnifica oratione, qua probavit ipsas litteras magno esse ad omnem sapientiam comparandam adjumento. Cum inflammati jam essent eloquentissimis Averanii vocibus plures adolescentes ad illas discendas, ex quibus omnis humanitas, omnisque doctrina profluxit, illi se se informandos dederunt. Domi is tradebat elementa Graecae linguae, Graecosque scriptores ita interpretabatur, ut singulorum verborum vim, naturam, originem explicare, & verbum pro verbo reddere curaret. In scholae autem luce magno opere sibi enitendum putabat, ut omnem exemplorum copiam, omnemque antiquitatis memoriam auditorum oculis ornate eleganterque subjiceret. Ad quam rem obtinendam Anthologiam illustrandam suscepit, quod, cum haec multa millia epigrammatum elegantissimorum contineat, sperabat inde posse decerpere non flores modo, sed & fructus uberrimos multiplicis eruditionis. Consumpsit in Anthologia Dissertationes sex supra octoginta, quas memoriter dicere solebat. Ad Thucydidem & Euripidem deinde se convertit, quibus totidem fere concessit Dissertationes, in quibus omnibus inest quidem silva atque infinita propemodum materies eruditionis, sed ea saepe confusa seque nimium profundens. Si acri, quo pollebat, judicio uti voluisset Averanius, fortasse in his ceterisque illius Dissertationibus haberemus aut plures auctorum locos castigatos suppletosque, aut celebriores tum historicas, tum chronologicas controversias diremptas, aut rariores inscriptiones atque numismata explicata, aut nonnulla, quae antea jacebant in antiquitatis tenebris, ad lucem revocata. Sed haec ille visus est neglexisse, satis gloriae putans se posse colligere,

si memoriae suae, in qua quidquid legebat firmissime haerebat, immensos thesauros reserasset. Et quidem ejus schola floruit semper studiosorum adolescentium celebritate; nec deerant quoque docti viri, & in his Henricus Norisius, qui illam frequentarent. Habebat etiam Benedictus domesticos convictores Josephum & Nicolaum fratres suos carissimos, quos erudiret non in litteris solum Graecis, sed & in geometria, aliisque reconditioribus facultatibus. Quam longe ii processerint in omni pene libero homine digna doctrina, intelligi potest ex oratione, quam Benedictus habuit, dum eos jurisconsultorum ornamentis insigniret. In multis scholae occupationibus satis tamen Benedictus reperiebat temporis (nemo enim & studio acriore, & labore & industria superiore fuit) quod operi prorsus magno & arduo concederet. Noverat eam esse Almagesti obscuritatem, ut ab eo legendo omnes fere rejicerentur: quare ne hujus libri utilitas astronomiae studiosis deesset, transferre in Latinum aggressus est non tam illum, quod minus recte factum fuerat a Trapezuntio propter astronomiae inscitiam, quam Theonis in illum ipsum luculentissimos commentarios. Ad hanc autem Theonis interpretationem conficiendam mirificum ei usum afferebat singularis prorsus illius scriptoris codex, qui in bibliotheca Laurentiana asservatur. Etenim illius ope non solum corrigi poterant plurima menda, quae in editos libros irrepserant, sed etiam multa, quae deerant, suppleri, cum idem codex habeat tertium Theonis librum a quodam Nicolao Cabasilla, & quintum & sextum a Pappo Alexandrino additos. In hoc labore cum dies ac noctes se exerceret, idque aestivis praesertim temporibus, quibus Florentiae esse solebat, audiit a Vincentio Vivianio se quondam dono accepisse a Leopoldo Cardinali eosdem Theonis commentarios Latinos factos a quodam Theophilo Urbinate, hosque amico in Galliam redeunti ea lege dedisse, ut typis committeret. Questus est graviter Benedictus, & quidem jure, haec antea sibi occultasse Vivianium; & ne actum ageret, quod vetamur veteri proverbio, ab incepto opere destitit. Verum si passus fuisset apud se valere voces Josephi fratris,

perrexisset quidem conficere iter reliquum, sicque minime doleremus utraque nos carere interpretatione, cum Gallus ille datam amico fidem edendi Theophilianam interpretationem nunquam solverit. Sexennium tradiderat Averanius Graecas litteras, probata omnibus, maximeque Ferranti Capponio Academiae Pisanae, ut vocant, Auditori doctrina industriaque sua, cum ad altiorem gradum ascendit doctoris humaniorum litterarum. Audacter ingressus est ad hoc munus, quod succedebat Jacobo Gronovio homini multis sane litteris praedito, sed in eloquentia & in Latine scribendi elegantia parum exercitato, ac pene rudi, qui cum non minus moribus, quam oratione durus & asper esset, tantum in se odium collegarum concitavit, ut Academia cedere, postquam illi non integrum annum operam suam praestitisset, coactus fuerit. Sed ad Benedictum revertor, cui gloriosissimum erat, quod ejus schola & domus tanquam officina eloquentiae, omnisque politioris humanitatis celebrarentur. Certe quidem nemo Academicorum iis temporibus scribendi barbariem, quae passim & foede dominabatur, exuit, nemo mansuetiores musas amplexus est, qui hoc, Averanio auctore, hortatore & adjutore, non fecerit. Principio illustrandum suscepit T. Livium, mox Virgilium, ac denique libros Ciceronis de Oratore. In Livium unam & triginta, in Virgilium quadraginta quinque, in Ciceronem duas supra nonaginta Dissertationes reliquit, quae omnes sunt in manibus hominum. Quoniam vero annotare praetermiserat aut auctores, aut horum locos, quibus non modo ornaverat, sed & referserat easdem Dissertationes, Antonius Maria Salvinius, Nicolaus Averanius, & praeter ceteros Joannes Bottarius hanc rem incredibili labore perfecerunt. Nec mediocrem in eo afferebat Benedictus utilitatem discipulis suis, quod ad confirmandos illorum animos ne a Latinis unquam Graeca sejungerent, solitus erat sic comparare inter se Homerum & Virgilium, Demosthenem & Ciceronem, Thucydidem & Sallustium, Herodotum & Livium, Xenophontem & Caesarem, ut singulorum virtutes non enumeraret mo-

do, sed prope in conspectu poneret. Quotannis etiam ex instituto Academiae in solemni studiorum instauratione Latinam habebat orationem ad acuendam Academicorum industriam, accendendumque magis illorum amorem in liberales disciplinas. Harum orationum triginta extant, in quibus sunt profecto verborum & sententiarum lumina, mirabilis exemplorum omniumque rerum copia, dicendique genus fusum, nitidum & sanum. Omnino tria illa, quae efficere debet orator, ut doceat, ut delectet, ut moveat, consecutus esse videtur Benedictus. Si is vero cuipiam nimis redundans, &, ut de illo dicere solebat Alexander Politus, pampinosus interdum videbitur, circumcidat hic & amputet quantum libet; illud tamen tenebo, non omnes modo illius aetatis, sed plerosque etiam superioris, qui Latinae eloquentiae gloria floruerunt, Benedictum superasse. In vita Josephi Averanii (1) judicium gravissimum protulimus Jo. Vincentii Gravinae, qui M. Antonio Mureto Benedictum praeferre non dubitabat. Quam laudem sibi quoque Benedictus tribuebat, minime extimescens in veritate crimen arrogantiae. Ex omnibus ejusdem orationibus duae illae omnium optimae nobis videntur, quae sunt de laudibus Mediceorum Principum, & de victoriis Christianorum. Quam postremam si quis conferet cum Muretiana illa omnium nobilissima, quae in simili versatur argumento, facile apparebit quantum Mureto Averanius antistet rerum copia, sententiarum varietate, & magnifico quodam & splendido eloquentiae genere, aliisque oratoriis ornamentis, non tamen ordine & perpetuo dicendi lepore & venustate, in quibus virtutibus profecto mallim me Mureto, quam Averanio similem esse. Nec minus quam polleret Averanius eloquentia ex ceteris illius orationibus perspici potest. Quam singularia illa de Livio in secunda oratione! Quam magnifica illa, quibus in fortunae inconstantiam alibi invehitur! Sed non est

(1) *Extat haec in volumine VII.* vitarum Italorum doctrina excellentium.

necesse illustriores Averanii orationum locos singillatim commemorare, cum in universum omnia in iis splendeant eloquentiae luminibus. Haud scio an idem Italicam eloquentiam unquam tractaverit, in qua non secus ac in Latina excellens esse potuisset. Optime enim Italice scribebat, ut indicant plures editae jam illius *Lectiones* (libet usitato vocabulo uti) quas recitavit tum in Academia Etrusci sermonis custode & moderatrice, tum in illa, quae *Apathistarum* nominatur; quanquam in his scriptionibus non multum ille elaboravit. Nihil enim aliud afferre voluisse videtur nisi elegans & aequabile orationis genus, & ornamenta multorum sapienter dictorum factorumque ex antiquitatis monumentis conquisita. Est quidem haec res praeclara, si modo & ordine fiat, quod interdum in Averanio desiderari posse videtur. Idem in adolescentia Italicam excoluit poesim, dignusque existimatus est a Mario Crescimbenio, qui inter illius restitutores (vix enim esse potuit poesis in tanta superioris saeculi barbarie) adnumeraretur. Plura Averanii Italica carmina Romae asservantur in tabulario Arcadum, quorum invitatu eadem condidit. Nam illorum Academiae vel a prima hujus origine Corilaei Nassii nomine adscriptus fuerat. Ex iis autem carminibus unum elegit Crescimbenius, retulitque in III. volumen *Commentariorum de Italicae Poesis historia*, ut esset indicium ceterorum & exemplum ad imitandum. Profecto nunquam satis laudari possunt sapientes illi viri, qui poesim, ut castam virginem, ab impudentium procorum impetu liberandam susceperunt: sed plerique eorum dum illam nimis verecundantem, nimis paventem esse voluerunt, tenuem fortasse & inopem effecere. Haec, quae retulimus, Averanii opera famam ei conciliarunt litteratissimi viri, ut vere de illo praedicatum esse videatur ab Auctore *Bibliothecae Italicae* (1) ipsum inter ornamenta & lumina saeculi XVII. adnumerandum, omninoque fuisse eru-

(1) Vol. VIII. pag. 135.

Digitized by Google

ditionis thesaurum: quae vero de ejusdem moribus proferemus, sic ei omnium benevolentiam conciliarunt, ut principibus & infimis, senibus adolescentibusque aeque esset carissimus. Fuit ille vir, si quis unquam alius, religiosus, integer, fide summa, & constantia prope singulari; in eoque nihil erat nisi simplex, sincerum & apertum. Hoc esse sapientis maxime proprium dicebat, se gerere simpliciter, fideliter, societatique hominum amice. Nec in moribus solum simplicitatem amavit, sed etiam in victu cultuque, usque eo ut munditiam negligeret. Delectabatur amicitiis doctorum praesertim hominum, iisque magis quam sibi servire videbatur. Ad easdem vero conciliandas plurimum poterat opinio probitatis, prudentiae & doctrinae, quam apud omnes vel in malevola & invida civitate habebat. Extant nonnullae ejus familiares epistolae Latine scriptae, ex quibus ejusdem benignitas & comitas perlucet, minime vero festivum quoddam & dulce scribendi genus. Si forte res non suppetebat, qua opis suae indigenti subveniret, benefica saltem voluntate illum demereri studebat. Tanta naturae bonitas, qua Benedictus praeditus erat, horrere illum cogebat vel minimum ingrati animi crimen, habebatque saepe in ore illud P. Syri:

Dixeris maledicta cuncta, ingratum cum hominem dixeris.

Congressus, societatemque amicorum, qua una re fessum animum studiis relaxare videbatur, cupide requirebat, feminarum vero cane pejus & angue fugiebat. Tantum tribuebat amicitiae Benedictus, ut saepe quereretur illam posthaberi propinquitati; malle se facultates suas optimis & benemeritis amicis relinquere, quam non probis & immerentibus propinquis. Summa gravitas conjungebatur ab eo cum singulari comitate, ejusque sermo, quamvis rarus, concinnus tamen & festivus erat, ac saepe etiam urbanis salibus aspersus. Omnino non audiendos illos esse dicebat, qui virtutem duram, rigidamque, & quasi ferream esse volunt: quapropter quod ipse sibi non concessisset, aliis

Digitized by Google

facile indulgebat. Proclivis ad iram in disputando (& frequentes quidem erant iis temporibus in Academia Pisana plenae concertationum disputationes) facile excandescebat; sed ubi primus ille impetus deferbuisset, placide sedateque colloquebatur. Patriae & Academiae Pisanae amans adeo fuit, ut, ne amplissimis quidem propositis praemiis, maximaque spe, divelli ab iis potuerit. Nam mortuo an. 1682. Octavio Ferrario, Academiae Patavinae Moderatores ad profitendas in hac humanas litteras illum invitarunt, idque ipsum praestitit etiam non multo post Summus Pontifex Innocentius XI., cupiens tantum virum Archigymnasio Romano adjungere. Abfuit semper ab ostentatione gloriosa, neque hoc mediocre modesti animi signum fuit, quod vix diuturnis & quotidianis amicorum expostulationibus adduci potuit ad edendum (effecit hoc anno 1688.) primum suarum orationum librum (1), quodque editum exteris nationibus ad eloquentiae suae famam propagandam deferri minime curavit. Profecto si gloriae stimulus acriter illum pupugisset, praeclara multa, quae latuerunt in thesauris suis, excudere potuisset. Quis enim illo in veterum Scriptorum lectione exercitatior, quis ingenio, memoria & industria superior? Nihil illi erat incognitum, quod in litteris Graecis & Latinis esset inclusum; Platonem, Ciceronem, & Livium saepius legerat; Virgilium & Tibullum omnino, alios vero Latinos poetas magna ex parte memoria tenebat; in rebus divinis, in communi civium hominum, & gentium jure, in omni re, quae ad geometriam pertineret, in astronomia, in recentiori philosophia, aliisque reconditis

(1) *Si hunc excipias, nil aliud edidit Averanius. Fuere vero, qui post mortem illius ediderunt II. Orationum volumen Florentiae 1709., Dissertationes in Pisana Academia habitas cum orationibus & carminibus, Florentiae 1716, & 1727. Vol. III. in fol.* Dieci Lezioni sopra il IV. Sonetto della I. Parte del Canzoniere del Petrarca dette nell' Accademia della Crusca, e Lezioni XI. dette nell' Accademia degli Apatisti.

in doctrinis erat versatus. Erat & intelligens existimator picturae, architecturae, & sculpturae, aliarumque minorum artium. Adeo vero industrius, ut ab opere cessare non posse videretur, suoque exemplo confirmaret praeclarum illud Aristotelis dictum; *hominem ad duas res, intelligendum & agendum esse natum, quasi mortalem Deum*. Cum autem & legeret & meditaretur, adeo animum defigebat atque intendebat, ut non modo rerum, quae extra se essent, sed sui ipsius oblivisceretur. Accidit aliquando, ut, cum adesset sacro cuidam Oratori non multum quidem & eloquentia & rerum delectu auditores attentos facienti, coeperit elata voce Homericos versus recitare cum omnium risu, suique ipsius maximo rubore. Ne in infirma quidem valetudine sibi temperabat a libris; qua de re cum saepe a medicis reprehensus fuisset, respondere solebat, se minus animum defatigare lectione, quam meditatione, a qua otiosus & solus, tantum consuetudo valet, se abstinere non poterat. Ex vehementissima & continua animi contentione gravissimae ortae sunt capitis offensiones. Vere an. 1707. rheumatismus non solum caput, sed & pectus misere oppressit, ex eoque tempore Benedictus nunquam pristinas vires & colorem recuperavit, ut omen impendentis mortis videretur. Sed hujus calamitatis praenuntia maxime fuit apoplexis, quae illum XVIII. Kal. Septembris, dum rebus divinis in templo intererat, invasit. Multa sunt adhibita remedia, ut convalesceret; sed medicina imbecillior fuit quam morbus. Nihilo tamen minus exeunte Octobre Pisas concedere voluit, quo non multo post quam venerat, tussis levem febriculam excitavit, & rheumatismus magis magisque pectus oppressit. Breve vitae reliquum totum ferme in Christianae religionis officiis obeundis consumpsit; cumque interrogatus fuisset, quid de bonis scriptisque suis fieri vellet, caduca haec se prorsus negligere, immortalia vero unice curare respondit. Mors, quam V. Kal. Jan. sub solis occasum obivit, fuit pacata, tranquilla, nullo comitata dolore, mentisque defectu, & placido simillima somno. Morti proximus au-

Digitized by Google

ditus fuit identidem iterare verba illa solemnia : αγιος ο ϑεος : αγιος ισχυρος : αγιος αϑανατος, quae cum non intelligeret, qui ei aderat S.-cerdos Graecae linguae ignarus , illum delirare putavit . Nihil non factum , ut mortuo honores haberentur, qui essent testimonium illius virtutis & doctrinae , dolorisque , quem omnes , & Academia praesertim Pisana , ex ejus interitu susceperunt . Pompa exequiarum , quae celebratae fuerunt in S. Frigdiani , fuit illustris & splendida , hancque non parum auxit nobilis sane oratio , quam de mortui laudibus habuit Laurentius Giannius decus & ornamentum Florentinae juventutis . Cadaver tumulatum fuit in magnificentissimo Pisano sepulcreto, quod *Campum Sanctum* vocant, in monumento familiae Pontaderiae, non concedente solum , sed etiam invitante Vincentio Aulla Equite , ad quem illud hereditate pervenerat . Hic Averanii etiam imaginem ex marmore , opus insignis sculptoris Josephi Piamontinii, prope idem monumentum collocavit cum hoc elogio .

D. O. M.

BENEDICTO AVERANIO FLORENTINO INGENII DOCTRINAE ELOQUENTIAE PRINCIPI . QUI MAGNARUM RERUM ATQUE ARTIUM NIHIL IGNORAVIT NIHIL AB ALIIS DIDICIT . NULLO DOCTORE DOCTRINIS OMNIBUS INSTRUCTISSIMUS. IN PATRIA GRAECAS LITTERAS ADOLESCENTULUS AB INTERITU VINDICAVIT. LATINI SERMONIS INTEGRITATEM ET ROMANAE ELOQUENTIAE MAJESTATEM RESTITUIT . ETRUSCAE LINGUAE SPLENDOREM AC DECUS ATTULIT. IN GEOMETRIA ASTRONOMIA ET OMNIUM ARTIUM OPTIMARUM SCIENTIA PLANE PERFECTUS. CUNCTIS PHILOSOPHORUM DISCIPLINIS ERUDITUS IN ALTISSIMAM PLATONIS DOCTRINAM PROFUNDA MENTE SE INGURGITAVIT. DIVINI PHILOSOPHI SAPIENTIAM NON TAM INTELLIGENDI QUAM BENE VIVENDI DISCIPLINA ET EXCELLENTIA VIRTUTIS EXPRESSIT . GRAECAS LATINASQUE LITTERAS XXX. ET AMPLIUS ANNOS PROFES-

SUS SUMMUS ORATOR POETA SUMMUS PISANAM ACADEMIAM INGENII LUCE ET NOMINIS CELEBRITATE NOBILITAVIT ELOQUENTISSIMIS ORATIONIBUS DOCTISSIMIS PRAELECTIONIBUS QUIBUS THUCYDIDEM EURIPIDEM ANTHOLOGIAM VIRGILIUM CICERONEM LIVIUM ILLUSTRAVIT EJUS DIGNITATEM ET GLORIAM AMPLIFICAVIT. EQUES VINCENTIUS AULLA PRAECEPTORI OPTIMO ET AMICO INCOMPARABILI QUEM EXCEPIT HEREDITARIO SEPULCRO MOESTISSIMUS POSUIT. OBIIT V. KAL. JANUAR. ANNO SAL. MDCCVII. AETAT. LXIII.

Nec minus studuit Romanus Arcadum coetus carminibus, vita, aliisque monumentis Averanii nomen decorare; & Florentina Academia Furfureorum ne in honorando tanto viro exteris esset inferior, tum carminibus, tum eloquentissima oratione habita ab Antonio Maria Salvinio, qui se debere maxime Averanii praeceptis suam in Graecis, Latinisque litteris praestantiam gloriabatur, defuncti laudes publice celebravit, ejusdemque pictam effigiem inter illas clarissimorum Academicorum collocavit. Donatus etiam fuit Averanius honore numismatis; jussuque Ferdinandi Etruriae Principis ejus imago condita in Pinacotheca Medicea; quae quidem bene & sapienter instituta sunt non solum ad renovandam doctorum hominum, qui e vita excesserunt, memoriam, sed etiam ad excitandam spe gloriae eorum, qui supersunt, industriam.

Eo majus sui desiderium reliquisse Averanium arbitrabimur, quod, illo amisso, per viginti sex annos & amplius omnino siluere Graecae linguae & humaniorum litterarum cathedrae. Anno demum 1733. ad Graeca docenda vocatus est Alexander Politus, de quo ea repetere hoc loco juvabit, quae alibi narravimus. Is Florentiae natus est VI. Id. Quintilis an. 1679. Joanne Polito, & Victoria Manellia civibus Florentinis. In iis studiis, quae ab humanitate nomen habent, imbutus est a Jesuitis. Philosophiae vero praeceptores habuit homines, ut vocant, Scholarum Piarum. Dici non potest quantum vel a prima pueritia litterarum amore flagraverit, ut prae illarum dulcedine non

Digitized by Google

solum omnia alia oblectamenta abjiceret, sed etiam parum valetudini parceret. Studiosus audiendi ea loca frequentabat, quo convenire soliti erant docti homines, a quibus, si quando sermo aliquis de litteris haberetur, attentas ille aures praebebat, neque prius discedebat, quam ad finem sermo esset deductus. Nam dederat ei natura ingenii vim & quosdam igniculos, quibus totus incendebatur ad gloriam, & quod audierat accusari inertiam adolescentium, qui Graecas litteras minime ediscebant, plurimum studii in his posuit, duce Jacobo Maria Ayrolo e S. J. viro non modo Graecis, sed etiam Latinis & Hebraicis litteris docto. Tali modo exacto aetatis anno quinto & decimo, sodalitatem Scholarum Piarum ingressus est. Eo tempore, quo tyrocinium posuit, huic rei studuit in primis, ut aliquos veterum Latinorum poetarum illustraret, confecitque volumen observationum, quod dicavit Sigismundo Coccapanio, qui inter suos magnam auctoritatem habebat, & a quo non diligebatur solum, sed etiam amabatur. Absoluto tyrocinio, renovavit studia philosophiae: sed haud ita multo post ab iis discessit, ut Romae operam rerum divinarum scientiae daret. In hac cum profecisset non mediocriter, doctrinae atque ingenii periculum fecit an. 1700. plaudentibus primariis Familiae suae viris, qui ad comitia Romam accesserant. Hoc peracto, Moderatores ei munus detulerunt publice docendi artem rhetoricam; sicque eam docuit aliquot in Etruriae Collegiis, ut omnibus se probaverit. Nam non modo discipulis suis commonstrabat viam, &, ut fieri solet, digitum ad fontes intendebat, sed ipsos manu prehendebat, ponebatque vestigia, quae persequerentur. Optasset ille quidem, ut omnes Latina cum Graecis conjungerent, utque pares evaderent in utriusque orationis facultate, sed cavebat ne plus exigeret, quam se assequi posse speraret. Hinc venit haud multos post annos ad philosophiam explicandam, sectatusque est, ut temporibus illis, Peripateticos, aliquo tamen rerum delectu habito, ut videretur ea, quae dictabat, e fontibus eorum judicio arbitrioque suo hausisse, non a doctore aliquo sumpsisse. Interim arbitratus est utile fore studiosae ju-

Digitized by Google

ventuti, si contraheret & in angustum deduceret totam pene formam philosophiae Peripateticae. Itaque anno 1708. librum edidit his verbis inscriptum: *Philosophia Peripatetica ex mente S. Thomae Aquinatis per breves Theses ad Aristotelicam methodum explicata ab Alexandro a S. Sigismundo Florentino Scholarun Piarum*. Sed quae hic coarctaverat dilatare postea aggressus est; eratque ei propositum, non solum nihil praetermittere eorum, quae ad illustrandum illum Peripateticorum parentem Aristotelem pertinerent, sed etiam omnia persequi, quae ab illustrioribus hujus disciplinae sectatoribus, ne Scholasticis quidem exceptis, scripto mandata fuerant. Arduum sane opus vastumque, ut ipse appellabat, quod brevi e manibus deposuit, seu quod eum voluntas, aut spes absolvendi defecerit, seu ut diligentius satisfaceret muneri tradendae rerum divinarum scientiae, quod ei anno 1712. demandatum est. Atque haec facultas si non summa, haud vulgaris tamen erat in eo. Nam, ut docuimus, adolescens haud parum studii in ea posuerat, nec ullo unquam tempore removerat se a SS. Patrum lectione; fungebaturque jam tum munere Theologi Cardinalis Medicei. In hoc quoque, non secus ac praestitit in philosophia, sibi elaborandum putavit, ut totius theologiae summam uno volumine explicaret, quod volumen manu sua scriptum cum cuidam ex discipulis suis commodasset, hic reddere amplius noluit, impudentissime negans se accepisse. Profecto Politus tanta erat industria, tantumque evigilabat in studio, ut quo tempore totus erat occupatus in aliquo opere, non jam quaereret quibus rebus relaxaret ac remitteret animum, sed quibus aliis intenderet. Cum illi igitur nullum a legendo scribendoque vacuum tempus relinqueretur, potuit haud multorum annorum spatio meliora facere, quae pene puer notaverat in Lucretium & Martialem, quem ad incorruptorum quoque codicum veritatem exegit; multa scribere in Etymologicum magnum Andromachi, in Ethnica Stephani Byzantini, in Dionysium Halicarnasseum, praesertim corrigens interpretationem, quam ejus fecerat Hufonius, & in Herodotum, quem etiam in Latinum magna ex parte convertit. Atque

Digitized by Google

haec inedita. In vulgus vero anno 1703. Latinam Orationem emisit, qua probabat breviorem longe esse optimarum omnium artium, quam humanae vitae cursum; ac triennio post librum *de Patria in testamentis condendis potestate*, quem conscripsit rogatu cujusdam nobilis viri, quemque nuncupavit Salvino Salvinio viro sane optimis artibus eruditissimo ac secum familiaritate conjuncto. Materies haec tota erat propria Jurisconsultorum, quorum arti cum ille nunquam studuisset, evenit, quod accidere debebat, ut ejusdem artis antistites quidam ipsum male habuerint, & ex jure manu consertum vocaverint, quod in alienas possessiones tam temere irruisset. Sed ajebat ille, hanc scientiam omnibus patere; tuebaturque se testimonio Antonii, qui quanquam juris prudentiae minus se studuisse fateretur, tamen se non vereri dicebat, ne iis caussis, quae sibi in jure defendendae essent, satisfacere non posset, cum juris utilitas ad quamcumque caussam, quamvis repente, vel a peritis, vel de libris depromi possit. Verum hoc erat leve & infirmum. Cujus enim ponderis esse potest sententia hominis de jure civili, qui se illud nescire confessus est? Adde, quod Antonius, ut idem postea testatus est, ea aliaque similia pronunciavit, ut refelleret (in quo nemo ei unquam praestitit) Crassum, qui non dubitaverat impudentiae singularis eos condemnare, qui hac juris scientia nudati ad forum accederent, non ut ea exponeret, quae ipse sentiret. Sed illuc redeo. Cum videret Politus a plerisque ita hanc artem tractari, ut eam indotatam atque incomitatam & incomptam esse sinerent, voluit ipsam in hoc libro verborum dote & infinita pene eruditione locupletare & ornare. Sed in hoc peccavit, quod non senserit quid esset satis. Sint igitur in hoc libro praeclara multa, nec levis est illa conjectura, quod relatus fuit in *Thesaurum* operum illustrium Jurisconsultorum, qui apud Batavos impressus est, sunt tamen haud pauca redundantia, nec sua quoque ei desunt absurda. Quare minime mirum esse debet, si in epistola quadam ad Ludovicum Bertrandum, in qua plura persequitur de ratione studiorum suorum, illum sibi excidisse conquestus est. Magnum jamdudum ceperat

Politum desiderium conficiendae sibi bibliothecae, quam non modo utilem, sed necessariam existimabat ad eas res, quas apparabat. Igitur cum omnes vindemiolas suas eo conferret, festivam jam hoc tempore habebat librorum copiam, praesertim Graecorum; comparaveratque etiam quosdam raros manu scriptos codices, quorum erat quam qui maxime intelligens. Ad hanc copiam augendam omni ferebatur cogitatione, quo factum est, ut omni studio suos reddiderit Joannem Gibsonium & Georgium Jachsonium Britannos, homines honestissimos, divitiis affluentes, ac litteratorum studiosos & fautores mirificos. Quae quidem res ei salutaris fuit. Nam ab iisdem multa adjumenta habuit non modo ad emendos libros, sed ad instituendam quoque editionem Eustathii, de qua nunc dicemus. Constat inter omnes ex multis veterum, qui in Homero explicando, emendandoque operam suam collocarunt, unum excellere Eustathium Archiepiscopum Thessalonicensem, qui saeculo XII. floruit. Hic enim admirabili judicio ac eruditione instructus, cum in unum locum collegisset eximia quaeque ac praeclara, quae in omni aetate notata fuerant in illum epicorum poetarum principem, descriptiones temporum, sacrorum jura, sacerdotum, domesticam & bellicam disciplinam, sedem regionum, locorum, omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuit, plurimumque non solum Homero, omninoque & Graecis litteris luminis attulit & verbis. Sumpserat hunc Auctorem in manus Politus, nec satiari poterat in illo legendo. Qua de re cum sermonem aliquando contulisset cum amicissimo collega suo Juliano Sabbatinio, docto viro, qui postea Mutinae Episcopus factus fuit: *quin tu*, hic inquit, *suscipis cogitationem curamque dignam virtute tua, ut, quod multi tentarunt, nemo perfecit, celeberrimum hunc interpretem in Latinum convertas, suisque locis illustres?* Huic ille: *Vellem equidem*, inquit, *praesertim te auctore, si mihi ullum tribueretur vacuum & liberum tempus; neque enim, occupata opera, res tanta suscipi potest*. Nihilo tamen minus Politus, qui magna semper spectavit, sibi experiendum censuit: & quantum sibi

Digitized by Google

tribuebat otii docendi munus ad Eustathium potissimum conferebat. Instituto jam opere, ecce Genuam mittitur (id accidit anno 1716.) ad tradendam e superiori loco rerum divinarum scientiam, totoque biennio, quo in illa civitate fuit, nullum diem abire sivit, quin aliquid laboris in Eustathium impenderet. Post hoc tempus reversus in patriam, cum sibi initium requiescendi, atque animum plane vacuum ad sua studia conferendi concessum esse arbitraretur, casus molesti quidam intervenerunt, qui licet illum non removerint a persequendo Eustathiano opere, multum tamen celeritatem illius absolvendi retardarunt. Id erat propositum Polito (& sane praestitit intelligentium judicio) ut non modo verbis plane Latinis sententias Eustathii converteret, sed quantum fieri poterat verbum pro verbo redderet, & genus omnium verborum, vimque servaret; quod eo difficilius fuit, quod habet Graecus iste sua verba & genera loquendi, quae vix, aut profecto aegre quisquam intelligat, nisi sit in eo legendo studiose & multum volutatus. Illa igitur Politus se non solum tanquam appendere lectori putavit oportere, sed etiam, quantum res patiebatur, adnumerare. Quod vero attinet ad illustrandum opus, id ille spectavit, ut omnia obscura, quaeque in aliqua parte difficiles explicatus habere possent, patefaceret. Quae dum praestitit, instituto suo vagatus est latius. Nam multa & varia tum Graecorum, tum etiam Latinorum scriptorum loca examinat atque judicat, & agendo partes modo theologi, modo geographi, modo oratoris ac poetae, saepius philosophi, saepissime vero grammatici, voluit omnibus ostendere lumen ingenii sui. Huc quoque corollarium intulit quarumdam animadversionum, quas inter legendum fecerat Antonius Maria Salvinius, homo Graecis litteris adeo eruditus, ut nullius rei, quae quidem esset in his litteris, ignarus esse videretur. Cum hujus praeclari operis fama non solum, sed etiam specimen quoddam ad publicum pervenisset, avide illud expectabatur. Verum seu quod pecunia deesset Polito ad sumptus faciendos in impressionem primi voluminis, quam ipse sibi assumpserat, cum ceterorum imprimendorum onus suscepis-

set typographus Bernardus Paperinius, seu aliud caussae fuerit, habuit sane longam moram haec primi voluminis editio. Prodiit tandem anno 1730. deditque illi Politus patronum Joannem Gastonem Magnum Etruriae Ducem. Biennio post vulgavit secundum volumen, quod inscripsit CLEMENTI XII., secutumque est tertium anno 1735. Ludovico XV. Galliarum Regi dicatum. Hic haesit res, cum querelae ortae fuissent inter Politum & Typographum. Ille vero doluit semper haud sibi dari facultatem absolvendi opus, per quod immortalitatem se consequi posse sperabat. Nihilo tamen secius msgnam ingenii famam collegit, & hic suus labor, ut in lucem venire coepit, late illico dimanavit ad existimationem hominum commendatione & judicio intelligentium. Quo factum est, ut ei anno 1733., sicuti supra narravimus, delatum fuerit munus tradendarum litterarum Graecarum in Pisano Gymnasio. In hoc ita se gessit, ut omnes magis msgisque sint admirati in eo excellentem Graecae linguae cognitionem. Sed optandum erat, ne se adeo in litteras abderet, seque paullo faciliorem praeberet in admittendis domum, audiendisque doctrinae cupidis-adolescentibus. Anno, qui secutus est, rogatu Senatoris Ferrantis Capponii, vitam scripsit feminae ssnctitste eximia Mariae Angelae Giniae Florentinae, quae inter eas virgines fuerat, quae suburbanum Monasterium incolunt, quod dicitur *S. Matthaei in Arce veteri*. Post neque ita multo ad docendam eloquentiam in eodem Gymnasio electus est, quod munus nemo post mortem Benedicti Averanii obtinuerat, ut gloriosum fuerit Polito ei viro successisse, qui magna eloquentiae atque eruditionis laude non solum in Etruria, sed prope cuncta in Europa enituerat. Hanc provinciam ita ille sustinuit, ut studiosi dicendi adolescentes, qui ad eum audiendum frequentes conveniebant, non jam inanem quamdam & nudam eloquentiae speciem intuerentur, sed plenam & perfectam. Homo enim abundanti doctrina, & quadam incredibili varietate rerum & copia instructus poterat facile eos fontes aperire, unde non aliqua aquula scateret, sed universum flumen erumperet; qui quidem ita abditi sunt & retrusi,

Digitized by Google

ut pauci doceant & teneant. Mos est a majoribus traditus, ut qui huic muneri praesunt in anniversaria studiorum instauratione Latinam habeant orationem ad excitandos inflammandosque adolescentes ad laborem & laudem, cui quidem sic satisfecit Politus, ut nomen disertissimi oratoris sit consecutus. Harum orationum quasdam separatim edidit, duas in tertium volumen Eustathii retulit, easdem octo numero in unum volumen collegit, quod Romae anno 1742. edidit, ac BENEDICTO XIV. dicavit; atque has ipsas iterum cum aliis quatuor anno 1746. Lucae vulgavit. Sed cum ille videret a se tractata argumenta esse communia & pervagata, novum quoddam & inusitatum dicendi genus quaerendum sibi putavit, quod totum versaretur in illustrioribus Etruriae urbibus laudandis. Harum orationum sex extant, quae laudationes continent Pisarum, Volaterrarum, Aretii, Cortonae, S. Miniatis ac Liburni; de quibus admonendi sunt Lectores, ne, ut ab historico, veritatem omnium laudatarum rerum exigant. Ut nostrum vero de eloquentia Politi judicium proferamus, dico perbene illum Latine locutum, quamvis semper usus non sit Ciceronianis dicendi modis, numerosum oratorem & volubilem, atque eumdem vehementem, & magna eruditionis copia instructum, qua non ad pompam utebatur, sed ad illud apte & decore probandum, quod sibi proposuerat. Nec minus callebat alterum illum quasi corporis sermonem, id est actionem, quam licet semper ad id, de quo dicebat, cum quadam dignitate accommodaret, dicens tamen aliquando Pisis de ludis Pisanis sibi visus est posse ab armis aut a palaestra mutuari. De reliquo totum corpus hominis, & ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonabant, ut a motu animi quoque sunt impulsae. Nemo autem ignorat ita hanc rem unam dominari in dicendo, ut sine ea summus orator esse in numero nullo possit, mediocris eadem instructus summos saepe superare. Si quis vero quaesierit quae ex ejus orationibus nobis maxime arrideat, ceteris praeferre minime dubitamus illam, qua probatur multorum optimorumque libro-

rum lectionem non modo utilem, sed etiam necessariam esse ad eloquentiam omneque sapientiae genus adipiscendum. In ea enim imaginem exprimere & effingere sui ipsius homo, quem vere helluonem librorum dixisses, voluisse videtur. Atque eo libentius vacabat eloquentiae Politus, quod ei erat persuasum reliquas artes sine ea perfecte suum munus praestare non posse, quare scriptores inopes elegantiae *remiges, aut bajulos cujusdam operis*, ut Caecilius (1), appellabat. Interea dum cogitabat quibus aliis rebus posset & suae famae, atque publicae utilitati prospicere, consilium cepit edendi omnia veterum scripta copiosis a se commentariis illustrata, quibus Christianae religionis propugnatio atque defensio adversus Gentes suscepta ab iis fuit, a qua mente postea discessit non alia credo de caussa, nisi quia facillime in eo vel ardentissima studia defervescebant. Idem dicito de commentariis, quae parabat in Herodotum, quaeque cum inedita Matthaei Palmerii hominis Pisani interpretatione vulgare sibi proposuerat. Quoniam vero ipse vehementer delectabatur in eo genere eruditionis, quod ad antiquitatem pertinet, multa collegerat quae sibi, & iis, qui de his rebus judicare poterant, recondita videbantur. Itaque de iisdem edendis saepe & multum rogabatur. Edidit quidem longiorem epistolam ad litteratissimum virum Jo. Lamium de usu quadrigarum apud veteres, quae relata fuit in I. volumen operum Jo. Meursii, quorum imprimendorum idem non solum auctor, sed etiam adjutor fuit. In his quoque Meursianis operibus locus esse debebat epistolae, quam ipse dedit ad Georgium Iachsonium, quaque defensionem suscepit Gregorii Nazianzeni adversus eumdem Meursium. Hic enim sanctissimum illum virum calumniae condemnaverat, quod ad ἀπληστίαν, seu ut ipse explicat, ad quamdam inexplebilem avaritiam traxerit, quae ex veterum, ac praesertim Herodoti & Plutarchi testimonio in contemptum divitiarum fecisse & dixisse videtur Solon.

(1) Apud Cic. de orat. l. 2. c. 10.

Sed cum sero, perfecta jam impressione, advenisset, latuit ad annum usque 1754. quo tempore eam Franciscus Gorius vulgavit. Nam locum ei dedit septimo in volumine *Symbolarum litterariarum*. Maxime vero Politum amore flagrasse in Eustathium haec erunt indicio. Anno 1739. in lucem emisit sane longam epistolam Latinam ad clarissimum virum Cajetanum Moneliam, in qua diligenter & erudite examinat locum Eustathii ex commentario Periegesis, ubi dicit ex quorumdam seutentia Tarsum non significare in Sacra Scriptura urbem illam caput Ciliciae, sed Carthaginem. Ostendit ille multis exemplis hoc verbum utramque habere significationem, sed trahi ad Carthaginem non posse, nisi aut res, aut tempus, aut alia similis ratio suadeat. Strenue defendit S. Hieronymum, & Septuaginta Interpretes a nota erroris, quam iis inusserat Samuel Bochartus. Sibi tamen in extrema epistola non temperavit a vellicando doctissimo hoc viro, ut & mordet eo loco Natalem Alexandrum, vocans illum alienorum scriniorum expilatorem. Ceterum Politus ex eo tempore, quo ad Eustathium interpretandum accessit, plurimum studii sibi ponendum esse existimavit in geographicis rebus, & sane dum ad examen revocat veteres scriptores Eustathiumque ipsum, haud parum lucis veteri geographiae attulisse videtur. Non poterat vero non admirari magnopere ita diligenter & accurate Homerum geographiae & chorographiae satisfecisse, ut ex eo conjici posset ipsum dum viveret, quod a nonnullis quoque memoriae proditum est, permagnam terrarum partem peragrasse, & tum mediterranea, tum maritima loca, atque insulas oculis suis perlustrasse, & de singulis rebus uniuscujusque regionis propriis, quas explorasset, commentarios confecisse, unde poesin suam locupletaret. Biennio postquam illa ediderat, rediit Politus ad Eustathium suum, ut ejus commentaria in Dionysium Periegetam in Latinum converteret. Qui in hac re antea elaboraverant, opus adeo inscite atque impolite perfecerant, ut peregrinos atque hospites in lingua tum Graeca, tum Latina plane se esse ostenderint. E contrario

Politus cum utramque perfecte calleret, potuit famam optimi interpretis sustinere. Vix agnoveris in hac interpretatione Graecum scriptorem, sed Latine opus suum ad usum Latinorum hominum condidisse ipsum existimaveris. Neque hac re contentus Politus duos libros confecit animadversionum in eumdem Eustathium, & ipsum Dionysium, in quibus antiquitatis, scriptorumque veterum se litterate peritum ostendit; hosque retulit in illud volumen Orationum, quod, ut supra docuimus, Romae an. 1742. in lucem emisit. Has easdem animadversiones postea multo copiosiores elucubravit, eo consilio, ut ipsas ederet cum ipsis Graecis scriptoribus, neque cum suis modo, sed etiam cum interpretationibus, quas Dionysii fecerant Rufus, Festus, Avienus & Priscianus. Parata erant omnia, coeptaque jam erat impressio, cum repente rem abjecit Politus, caussatus sibi pecuniam deesse, neque, quo manus porrigeret, suppetere. Meliorem exitum habuit opus sane magnum & arduum, quod de Martyrologio Romano edere instituit. Jamdiu Politus in ea cogitatione curaque versabatur, ut corrigeret, quae continebat menda Martyrologium Romanum; & huic rei in maximis suis occupationibus aliquid semper temporis impertierat. Hujus sui laboris fecit ipse mentionem, cum aliquando loqueretur de toto genere studiorum suorum cum S. P. BENEDICTO XIV. Romam enim anno 1742. venerat. Re audita, Pontifex eum hortatur, *ne cui rei parcat ad ea perficienda, quae instituerat; utique fore magnae laudi sibi, utilitatique Christianae reipublicae*. Hujus Politus voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, totum se & animo & corpore ad illam convertit. Anno igitur 1751. primum operis volumen, quod Januarium mensem continet, in lucem edidit. In hoc multa industria & diligentia comparet, multa & doctrina. Reliqua contento cursu in vulgus proferre sibi proposuerat, in quo cum esset acerrime occupatus, accidit perincommode, ut ex casu sic ei laederentur brachium & manus dextra, ut iis uti non posset. Hac accepta plaga, non est credibile quam afflictum & fractum animum omnibus ostenderit. Homo enim,

qui nil magis optabat, quam omnem vitae cursum in labore & contentione traducere, maxime dolebat ereptam sibi esse scribendi facultatem. Vehemens hic animi angor maxime concitasse creditur apoplexin, quae eum XV. Kal. Sextiles anno 1752. corripuit, paucis post diebus quam Pisis Florentiam venerat, ut impressionem secundi voluminis Martyrologii urgeret. Ex vi morbi mortuus est VI. Kal. ejusdem mensis vespere, cum complesset annos LXXII. dies tredecim, e quibus in Sodalitate annos LVII. dies XVIII. exegit. Sic ei a suis Collegis justa facta sunt, ut omnes intelligerent magno apud illos in honore fuisse. Convenerunt quoque ad has exequias cohonestandas non pauci docti homines, qui cum Polito conjungebantur aut amicitia, aut muneris societate, quod erant in Pisana Academia liberalium artium Magistri. Mediocri fuit statura, corpore paullo pinguiori, viribus ad laborem ferendum firmis, facie rotunda, in qua suavis inerat color, acuta voce, oculis eminentibus & acribus, fulvoque ante canitiem pilo. Industria & solitudine videbatur ali, quare cum hominibus raro se consociabat, & adeuntes ad se licet admitteret, cito tamen iis se expediebat, quod in more quoque Petavio fuisse narrat Huetius. Mirum tamen, quod in senectute factus sit paullo facilior. In prospiciendo rationibus suis nemo illo solertior, & cum omnes ferme vias pecuniae honeste acquirendae nosset, ardebat acerrime, si quis invidorum spes suas fefellisset. Sic bonus erat custos & servator librorum suorum, quorum augendorum nunquam finem fecit, ut ab eorum usu quemlibet excluderet. Nae facilis, ac multus erat in conquerendo adversam fortunam, quod minime sibi darentur facultates, quibus studiis suis consulere, scriptaque sua edere posset (1): nemo vero ignorat omnes, quibus sunt res

---

(1) *Edidit haec*: PHILOSOPHIA PERIPATETICA ex mente S. Thomae Aquinatis per breves Theses ad Aristotelicam methodum explicata: Florentiae an. 1708. in 12.

minus secundae, plerumque suspiciosos esse. Idem a contentionibus, quae saepe Litteratorum rempublicam turbant, aversus fuit: sua tamen scripta notari aequo non ferebat animo. Cum existimatione doctrinae non solum apud Italos, sed etiam apud exteros magnopere floreret, potuit facile multorum doctorum virorum familiaritates sibi

---

ORATIO ad Academicos Cruscanos habita in Collegio Florentino Scholarum Piarum ab Alexandro Polito ec., qua probatur, breviorem longe esse optimarum omnium artium, quam humanae vitae cursum: Florentiae 1709. in 4.

DE PATRIA IN TESTAMENTIS CONDENDIS POTESTATE, Libri quatuor: Florentiae 1712. in 8.

EUSTATHII Diaconi a supplicibus libellis & Oratorum Magistri, postea Archiepiscopi Thessalonicensis Commentarii in Homeri Iliadem: Florentiae an. 1730. apud Bernardum Paperinum Tom. I. Tom. II. an. 1732. Tom. III. an. 1735. in fol.

VITA della Serva di Dio Suor Maria Angiola Gini: Firenze 1738. in fol.

ALEXANDRI POLITI de Clericis Regularibus Scholarum Piarum epistola ad Cajetanum Moneliam virum Clarissimum; Florentiae 1739. *Edita iterum fuit an.* 1740. *hunc titulum prae se ferens*:

CONFRONTO della Lettera Latina del P. Alessandro Politi col ristretto della medesima stampato nelle Novelle Letterarie di Firenze n. 10. 4. Marzo 1740. In Firenze 1740. nella Stamperia di Pietro Gaetano Viviani.

EUSTATHII Diaconi a Supplicibus libellis & Oratorum Magistri, postea Archiepiscopi Thessalonicensis Commentarii in Dionysium Periegetam: Coloniae Allobrogum 1741. in 8.

ORATIONES octo Alexandri Politi &c. ad Academiam Pisanam; Ejusdem animadversionum in Eustathium ad Dionysium Periegetam libri duo: Romae ex Typographio Palleariniano 1742. in 4.

ORATIONES duodecim Alexandri Politi &c. ad Academiam Pisanam. Lucae 1746. ex Typographia Philippi Mariae Benedini.

In hoc orationum volumen relata est ejusdem Politi

EPISTOLA de tribus Martyribus Bononiensibus ad virum cl. Ubaldum Mignonium.

conciliare; inter quos honoris caussa nomino Antonium Mariam Salvinium, Josephum Averanium, & Henricum Newtonium. Nec non a Principibus viris gratiam iniit. Siquidem CLEMENS XII. multis eum honoribus decoravit; FRANCISCUS II. Magnus Dux Etruriae, quem nobilissima Latina oratione laudavit, munera satis larga ei dedit; BE-

---

PANEGYRICUS Imperatori Caesari Francisco I. &c. Academiae Pisanae nomine consecratus; Florentiae 1746. ex Typogr. Petri Cajetani Viviani in 4.

PANEGYRICUS Volaterrarum Senatui Populoque Volaterrano consecratus: Pisis ex Typogr. Evangelistae Pugli 1748. in 4.

PANEGYRICUS Liburni Senatui Populoque Liburnensi consecratus: Pisis ex eadem Typographia 1749. in 4.

PANEGYRICUS Samminiati Sanatui Populoque Samminiatensi consecratus: Pisis ex Typograph. Joan. Dominici Carotti 1751. in 4.

ORATIONES PANEGYRICAE geminae de laudibus Aretinis & Cortonensibus Alexandri Politi &c. opus posthumum, utriusque Urbis Senatui Populoque consecratum: Liburni 1752. in 4.

MARTYROLOGIUM ROMANUM Gregorii *XIII.* jussu restitutum, Urbani VIII. Clementis X., & Innocentii *XI.* auctoritate recensitum, a Benedicto *XIV.* P. M. auctum & castigatum, Alexander Politus de Cl. Reg. Sch. Piar. commentariis suis post Caesarem Baronium ad veterum librorum, historiaeque fidem Pontificio jussu illustravit, & denue recensendum atque castigandum Benedicti Papae XIV. judicio ac censurae subjecit: Florentiae an. 1751. apud Petrum Cajetanum Vivianum, in fol.

EPISTOLA de curribus Antiquorum ad virum clarissimum Joannem Lamium: *extat in praefatione ad I. volumen operum Joannis Meursii, quae Florentiae impressa sunt.*

EPISTOLA in loca quaedam Joannis Meursii: *extat in libro cui titulus:* Symbolae litterariae, opuscula varia philologica, scientifica, antiquaria, signa, lapides, numismata, gemmas, & monumenta medii aevi nunc primum edita complectens, Volum. VII. Romae ex Typographia Palladis 1754.

NEDICTUS vero XIV. post plurimas amoris ac beneficentiae declarationes, illum eodem gradu esse voluit, quo ii sunt, qui supremum Ordinis Magistratum obtinuere. In hac tamen gloria, nominisque celebritate modestiam semper servavit. Idem instituta Christianae Religionis, Sodalitatisque suae non solum pure & caste, sed etiam diligenter & studiose coluit. Quae quidem laus ceteras omnes vincit. Nam non aliud putare debemus esse sapientiam, quam meminisse unumquemque quid sui officii & muneris sit, idque cum fide & integritate praestare.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Praefectis Horto Botanico & Botanices Magistris.

VEnio nunc ad eos, quibus rei herbariae & naturalis historiae cura & magisterium commissum fuit, quibus studiis quod Medicei Principes omnes mirum in modum delectati fuerint, sane hi curarunt, ut homines ingeniosi ac diligentes atque exercitati iis praeficerentur. Et benignitate illorum museum in aedibus Academiae apertum fuit, quod urbi quoque ornamento esset, cum antea istis rebus prorsus vacua atque nuda fuisset. Dedit omnium primus Cosmus hujus nobilissimi studii exemplum, quod a liberis & nepotibus diligentissime retentum fuit, & propagatum etiam ad alias Italiae urbes. Homines scito ab iis missos fuisse in Asiam aliasque remotissimas mundi regiones conquirendi caussa quae erant rariora, & si qui harum rerum intelligentes ad illos accessissent, conciliabant illos sibi donis & benignitate singulari, ut discedentes ab Etruria saepe ad eam redierint, mirifici earum rerum laudatores, quas per se viderant. Sed jam ad propositum veniamus, gratias agentes Dominico Vignae, qui in iis, quae praefatus est ad suas animadversiones in Theophrasti libros, satis multa dixit de illis, qui praefecturam Horti Pisani ante se gessere. Ipse quidem per plures annos gessit, nunquam vero, quoad vixit (vixit autem ad an. usque 1647.) intermisit studium tradendae botanices e superiori loco, & quod de eo plura narravimus in superiori volumine illinc assumes, quae ad hunc locum pertinent. Filium habebat nomine Constantinum a se optime institutum, quique medicinam fecerat in triremibus Etruscis, & quod cupiebat illum es-

se assiduum in botanices studio, facile a Magno Duce an. 1637. impetravit, ut Jovis & festis diebus acroases in nobiliori schola gratis haberet. Neque vero hoc poterat offendere eos, qui tum praefecturam gerebant horti botanici, cum hi plerumque soluti onere fuerint ad Academiae scholas accedendi. Anno quidem 1626. renuntiatus fuit Praefectus horti, musei naturalis historiae, & elaboratorii chemici Matthaeus Pandolphinius Florentinus (1) ex ea sodalitate Franciscanorum, quos *Minores Observantes* appellamus. Ex his tum plurimi erant Florentiae, qui, duce & auctore Salvatore Scalandronio, gloriose Botanicen excolebant, & de Pandolphinio quidem honorificentissima commemoravit Vigna, cum affirmare minime dubitasset ipsum inter *Simplicistas*, qui illis temporibus in Etruria florebant, principem obtinere locum. Illo curante, noster & hortus nostrumque museum illarum rerum copia abundavit, quibus ornari solent. Suppeditabat vero elaboratorium chemicum aegrotis varia medicamentorum genera, nec ad ea paranda deerant instrumenta, quorum ut esset copia providerat Christina Lotharingia Ferdinandi II. avia & tutrix ad omne praeclarum opus sane femina vigilantissima (2). Harum omnium rerum procuratio sic credita Pandolphinio fuit, ut solutus esset a publica schola; tulit vero laboris & diligentiae praemia satis liberalia, cum ei penderentur CCLXXXVIII. annui centusses, & majora fortasse tulisset, nisi peste, ut creditur, an. 1630. absumptus fuisset. Ad paucos menses Franciscanus alter partes Pandolphinii su-

---

(1) *Paucos menses ante loco motus fuerat Pancratius Mazzanghius, de quo superiori in volumine diximus. His autem verbis suffectus in illius locum fuit XV. Kal. Sext. Pandolphinius.* LL. AA. informate della sufficienza intelligenza e bontà di F. Matteo Pandolfini, lo eleggano alla cura del Giardino de' semplici e della Galleria con stipendio di 24. scudi il mese.

(2) Procurò (*testis est Paullus Troncius*) che s' introducesse la Ponderia nel Giardino de' Semplici, e comprò gl' istrumenti d' argento, metallo e pietra, e provvide gioje, e odori, ed altro con spesa di 400. scudi.

scepit (1), hujus vero locum an. 1631. occupavit Dominicanus homo Hyacinthus Maidalchinius, eique socius datus in procurandis rebus musei & elaboratorii Dominicanus alter Philippus Bonius, nobili genere Florentiae natus an. 1589. De Maidalchinio Viterbiensi haud mediocria praedicat Echardius, inquiens eum *fuisse feraci ac felici ingenio, multa juvenem scripsisse varii generis & argumenti non incondito stylo leviora & profana, ac etiam nonnullas tragoedias, sacra eloquentia nomen apud suos sibi fecisse*, ac dum concionatoris munus obibat Panormi an. 1644. naturae concessisse. Minime scriptor ille suspicatus est Maidalchinium valuisse etiam rei herbariae scientia, quam ne diu Pisis probaret, fecit pestis timor. Non enim criminosum fore putavit, si etiam invito Principe, ab illa urbe, quae multorum casu afflicta erat, & in qua plena omnia erant timoris, discessisset. Quod ad Bonium vero pertinet, is missionem ab Academia petiit (2), obtinuitque an. 1639. testimonium ferente Acade-

(1) Essendo morto, *sic Sommaja*, d' Agosto 1630. il P. F. Matteo Pandolfini Zoccolante, . . . si appoggiò quella cura per un interim al P. F. Francesco pur Zoccolante suo compagno, il quale ha seguitato e seguita questa cura con sc. 12. il mese. Questo Padre è molto attivo con mediocre notizia di fonderia, e poca di semplici e piante, onde messo tutto insieme non lo reputo atto a questa carica, che ricerca persone di gran valore in questa professione.

(2) Serenissimo G. Duca.

F. Filippo del Buono Domenicano Fiorentino, humilissimo Vassallo di V. A. S. avendola servita otto anni e mesi alla custodia della Galleria del Giardino de' Semplici, e servita la Città di medicamenti per l' amor di Dio a poveri secondo le sue forze, ora trovandosi in età di 50. anni compiti, supplica V. A. S. a dargli grata licenza di tornarsene al suo Convento (di S. Marco).

miae Curatore in exercendo suo munere illum diligentiam adhibuisse singularem.

Quantum negotii, quid oneris haberet Vigna, ex iis, quae diximus, cognosci potest. Interdum enim praefecturam gessit horti, musei & elaboratorii, interdum hoc levatus onere fuit, quando alii gessere, & tum, sicuti commemoravimus, ejus industria versabatur tota in tradenda e superiori loco aut botanice, aut naturali historia. Ineunte Novembri an. 1634. Perusia, quae urbs illi patria erat, advocatus fuit Petrus Dionysius Veglia e familia Servorum B. M. V. ut praeesset Horto cum stipendio XXII. centussium in singulos menses. Natus is erat honesto, minime quidem nobili, ut Calvius affirmat, genere prid. Kal. Februarii an. 1584. patre Nuntio Veglia, matre autem Veronica Setta, quos quia puer amiserat, illius curam suscepit ejusdem avunculus Anselmus Settus ex eadem sodalitate Servorum, cujus magnum erat inter suos nomen. Hujusce cohortationibus mirum in modum ad laborem & studium incitatus fuit, nec mediocre sane tempus consumpsit in mathematicis disciplinis, quarum elementa cum in patria didicisset a Julio Beccuto, vehementius postea ipsas excoluit tum Bononiae, tum Romae, praeceptoribus Manginio, & Clavio. Neque exiguis quibusdam finibus se continuit, dum divinis rebus operam dedit. Nam cetera inter multum profecit in Hebraica lingua, quam & Bononiae & in patria, multis audientibus, docuisse ex ipso scimus. Cupiens autem peregrina doctrina se erudire, comite Jo. Paullo fratre, Galliam, Hispaniam, & magnam Germaniae partem lustravit, atque redeunti in patriam an. 1617. ejus pernecessarius Jo. Baptista Laurius ita gratulatus est, ut ex his itineribus divitias atque ornamenta ingenii complurima advexisse videatur. Nihilo tamen minus neque ab iis, quibuscum sodalitatis vinculis conjungebatur, neque a suis civibus praemia laborum obtinuit (agreste enim in eo quiddam erat, quod voluntates hominum facile abalienabat) & cum doleret maxime negatam sibi fuisse mathematicarum disciplinarum cathedram, quas disciplinas magna cum

laude privatim docebat, consilium cepit ingratam patriam deserendi. Notam fecit illius doctrinam Ferdinando II. Hieronymus a Sommaja (1), qui affirmare minime dubitavit ipsum omni arte liberali, ac praesertim philosophia, & mathesi, atque rei herbariae scientia sic praestare, ut & sibi honori, & discipulis utilitati, & Academiae emolumento esse potuisset. Non illi quidem animus ad ornandam Academiam ipsam, sed vires defuerunt. Nam paucos post dies, quam Pisas venerat, periculoso morbo correptus fuit, cujus caussam ipse tribuit aeris, & loci, in quo habitabat (erat enim domus adjuncta Horto) insalubritati. Quanquam recreatus fuerit, pristinam tamen valetudinem recuperare haud potuit, ac demum naturae cessit XVIII. Kal. Septembris an. 1636. Multa paraverat ad supplendos Matthiolii libros de plantarum natura, sed in vulgus edere minime illi licuit. Emiserat alia antequam Botanicen profiteretur (2), alia autem manu scripta Coenobitis suis Perusinis reliquit (3), & ex his omnibus ju-

(1) *Haec ille*. Viene assai lodato il P. Dionisio Veglia non solo di esquisita notizia di semplici, e piante, ma di filosofia e di matematiche, perizia di lingue, e di molte altre virtù, onde pare che se ne possi sperare ottimo servizio.

(2) Geometria pratica: Perugia per Annibale Aluigi 1626. in 8. *In hujus libri praefatione fassus est Veglia se vertisse in Italicam linguam Clavii geometriam, & multa in illam de suo addidisse.*

Computo Ecclesiastico sopra le pieghe e nodi delle dita: Perugia per Annibale Aluigi 1626. in 12.

Trattato della dimensione delle linee rette: Perugia per Angelo Bartoli 1632. in 4.

Minime tacendum videtur Vegliam edidisse Pisis an. 1635. typis Tanaglii catalogum Plantarum, quae tum colebantur in horto Pisano.

(3) Supplementi dell' arte agrimensoria.

Trattato degli Oriuoli solari diviso in tre libri.

Trattato delle linee spirali inventate da Conone Geometra, ampliate da Archimede, ed accresciute da Pappo.

dicari potest, quae consequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt, multo labore Vegliam conquisivisse.

Ob mortem Vegliae curam Horti suscepit Vigna, quae binos post menses commissa fuit Claudio Berigardo Philosophiae praeceptori, dum novus Praefectus renuntiaretur. Renuntiatus autem fuit mense Martio an. 1637. Joannes Tellierius Gallus, qui paullo ante in Etruriam venerat, quique praefecturam petiit, non ulla commendatione, sed sua doctrina nixus. Cum autem de eo ad Principem referret Academiae Curator, malle se dixit suum judicium reprehendi ab iis, qui competitores erant, quem illum non efferre meritis laudibus (1). Porro cumulatissime satisfecit omnium expectationi, auctus-

---

Il viaggio di Parnaso del Sig. Cesare Caporali col comento di Pier Dionigi Veglia.

Grammatica della lingua Ebraica.

Commenti sopra la Genesi, *Horum duorum operum mentionem fecit Laurius in epistolis ad Vegliam. Hunc etiam confecisse scimus Italicam comoediam, ludicra carmina, Dissertationes, seu Sermones binos, quos dixit in patria Academia, cui nomen* degl'Insensati, *nec non sui ipsius vitam versibus Italicis conscriptam. Fecit haec mihi nota Annibal Mariottus vir omni liberali doctrina politissimus, cujus humanitati plurimum me debere profiteor.*

(1) Serenissimo G Duca.

Dovendo io informare V. A. S. sulla sufficienza del supplicante per trattarsi di persona forastiera e non conosciuta, le dico che questa mattina si è fatto comparire nel detto Giardino alla presenza del Sig. Auditore Fantoni e mia, e presenti il Dott. Castro e il Dott. Celata, il Dott. Ruschi, il Dott. Vigna Lettor de'Semplici e il Dott. Berigardo filosofo e perito di queste arti, e presenti i tre Speziali; Ed essendo il Tellier stato interrogato con molte e varie interrogazioni della notizia, figura e qualità di diverse piante, e del tempo di piantarle e seminarle, e delle qualità e nomi loro, ha risposto improvvisamente con molta cognizione

que non modo beneficiis, sed etiam muneribus fuit, cum ob discessum Bonii ab Academia delata ei quoque fuisset musei & elaboratorii cura. Nihilo tamen minus non ultra quadriennium apud nos mansit, successoremque habuit Thomam Belluccium nobili loco Pistorii natum, ex cujus laboribus magnum accepit commodum Academia. Nam tres illas praefecturas diligentissime gessit, publice quoque, mortuo Vigna, Botanicen & naturalem historiam docuit, & anatomen, quemadmodum alibi narrabimus, administravit. Ejus vero doctrina & diligentia non solum commemorata verbis honorificentissimis, & litteris tradita, sed etiam multis beneficiis comprobata fuit, ut nemini dubium esse posset fuisse sapientissimum illorum judicium, qui in illo decorando consensere. Neque silentio praetereundum videtur ipsum in suis discipulis numerasse Franciscum Redium, & hunc ad naturalem historiam illustrandam inflammasse. Fuit tum talium virorum in Etruria copia, quorum in rebus physicis tractandis cognita est industria atque felicitas, & quod hos diligenter retinendos, omnique beneficiorum genere afficiendos putaverint Ferdinandus & Leopoldus Medicei Fratres, hoc multorum triumphis anteponendum videtur. Et ne ullam praetermitterent occasionem magis magisque ornandi botanicos hortos, quos Pisis & Florentiae habebant, auctore Belluccio, an. 1659. medicum, pharmacopolam, & pictorem ad Indos miserunt, ut rariores utilioresque herbas & plantas aut secum deferrent, aut saltem coloribus exprimerent, omniumque naturam noscerent. Belluccius ipse nonnullarum mentionem fecit, cum an. 1662. catalogum contexuisset emisissetque earum rerum, quae Pisanum hortum orna-

---

e sapere, e da tutti è stato stimato, che possa essere molto atto al mantenimento ed aumento del Giardino, ed al servizio degli Scolari. Anzi devo ancor dire a V. A. S. che essendo stato presente colla medesima pretensione un Frate di S. Francesco, e sentendo il valore del Tellier, si è ritirato, cedendoli volentieri il luogo &c.

bant, in quo illud reprehendi posse videtur, quod, rejectis descriptionibus, nimiam brevitati consuluerit. Sed ex eo satis intelligi potest quot & quanta plantarum genera ornarent Academicum hortum (1) & multum quidem laboravit Belluccius, ut per id famam & opinionem hominum teneret. Hoc unum illi deesse videbatur, teste Quaratesio Academiae Curatore, quod non satis expeditus esset ad dicendum, quod quantum ad sapientiae famam obtinendam vel apud indoctos conducat, nemo est qui ignoret. Is vitam produxit ad Aprilem usque an. 1672., & cum praesidia ad mortem virtutibus sibi comparasset, hanc sancte & constanter obivit. Ob earum vero rerum laborem & sollicitudinem, quam per annos triginta & amplius adhibuit pro bono Academiae, posita illius imago fuit in ipsius Academiae museo ad memoriam posteritati prodendam. Tum a Cosmo III. Pisas missus fuit Nicolaus Steno, ut describeret quidquid in museo ipso asservabatur, ex quo multa Florentiam translata fuerunt

---

(1) *Ut rariores quasdam exempli gratia commemoremus, in iis erant* anemone sativa plurium specierum, Aquilegiae plures species, aster verbasci folio non descriptus, aster flore spinoso, auricula ursi Matthioli flore purpurascente diversorumque colorum, bamia moschata Indica, bellidis vulgaris multae species, caryophilli flores multarum specierum, centaurium majus alterum flore phoeniceo, foliis amplissimis, consolida regalis plurium specierum, cucumitis Syriaci plures species, elleborus niger trifoliatus Sardiniae, hiacynthi multae species, malus aurantia citria elegans limonia, malus citria elegans limonia, vulgo *la bizzaria*, millefolium Syriacum unum & alterum, narcisi plures species, nastrutium Creticum & Syriacum plano folio, ocymi plures species, orchidum plures species, papaver corniculatum folio laciniato, violaceo flore, phaseolus Constantinopolitanus niger variegatus, ranunculi Constantinopolitani multae species, scabiosarum Indicarum multae species, tuliparum variae species &c. *Testis est Jacobus Zannonius Botanicus Bononiensis se a Bellucio notitiam habuisse Elychrisi Orientalis, nec desunt alii, qui affirmant se vidisse Pisis plura, quae alibi frustra quaesierant.*

Digitized by Google

ad aliud ornandum museum, quod in ipsis regiis aedibus tum primum institutum fuerat. Cum in locum Belluccii vocatus fuisset Petrus Natus, his ferme verbis scripsit ad Leopoldum Mediceum: *ita mihi Deum propitium esse velim, ut tametsi mihi jucundissimus est honos, tamen nequaquam tantum capio voluptatis, quantum sollicitudinis & laboris, ut haec ipsa Praefectura, non quia necesse fuerit alicui candidato data, sed quia sic oportuerit, recte collocata, & digno in homine posita esse videatur*. Is ortus erat Francisco patre Bibienensi Jurisconsulto satis celebri circiter annum 1625., educatus autem institutusque Pisis, postquam ex ephebis excesserat, in ipso, ut vocant, Ducali Collegio, excitatus autem Redii exemplo, quocum a condiscipulatu vixit conjunctissime, ad excolendam maxime medicinam & rerum physicarum scientiam, quarum facultatum insignia, ut moris est, an. 1649. a Jo. Baptista Ruschio accepit. Post id Florentiam concessit, ut usu & experientia in studiis, quibus maxime delectabatur, magis magisque proficeret. Frequentare solitus Botanicum illum hortum, prope quem incolunt Marciani Coenobitae, non solum rariorum pulchriorumque plantarum descriptionem sibi comparavit, sed etiam earum figuras incidi curavit, quae omnia cum in manus pervenissent Michelii, iis usus est *in novis plantarum generibus* (sic opus inscribitur) explicandis. *Feci quod potui* (scribebat ad Redium Natus) *majora facere, si prospicies, pro gratia, qua apud Principem polles, licebit*. Vulgavit quidem Florentiae anno 1674. (1) opusculum *de malo limonia-citrata-aurantia, vulgo dicta la Bizzaria*, idcirco quia habet in foliis & fructu, quod proprium est trium diversorum malorum, & bene quidem acceptum ab

(1) *Hoc ipso anno in instauratione studiorum Latinam dixit orationem, quae summis laudibus celebrata fuit. Quod idcirco commemoravimus, ut intelligatur Natum minime expertem fuisse humaniorum litterarum.*

Anglis fuisse videtur, quod in Anglicam linguam conversum in Acta. Londinensis Societatis retulerunt. In hanc enim honorificentissimo quidem decreto antea Natus cooptatus fuerat; de ejus doctrina testimonium ferente Joanne Finkio. Neque multo post de quercus fungo, seu agarico suas observationes exaravit, aliasque paravit ea mente, ut in vulgus ederet. Quae respiciens Cosmus III. pro suo in Academiam Pisanam & in rem herbariam studio extraordinariis beneficiis cumulavit Natum, qui demum postquam laetum fecerat Pisanum hortum peregrinis plantis, nostratibusque, multosque erudierat in botanices, naturalis historiae & chemiae studiis, luminibus amissis, missionem a suis muneribus impetrare coactus fuit, quod non sine praemio praeteritorum laborum fuit. Accidit id anno 1685., atque reliquae vitae tempus ad adjutoria mortis praeparanda relictum sibi putans, in virtute & pietate exercenda consumpsit. Obiit autem in complexu suorum an. 1710. Minime necesse fuit hominem idoneum quaerere, qui illi succederet. Aderat enim Michael Angelus Tillius, cujus doctrina laudatore Redio adeo cognita erat Cosmo III., ut in lucris poneret, si eum Academiae Pisanae addixisset (1). Quoniam hujus hominis vitam pluribus alibi declaravimus, licebit mihi ex ea assumere, quae ad hunc locum pertinere arbitrabor. Is natus est in Castro Florentino (hoc oppido nomen) IV. Id. Aprilis anno 1655. patre Desiderio Tillio, matre autem Lucretia Salvadoria, a quibus cum studiorum caussa Pisas missus fuisset, ea in urbe habuit praeceptorem logices Josephum de Papa, philosophiae Alexandrum Marchettum, matheseos Donatum Rossettum, medicinae Josephum Puccinium, & Didacum Zarillium, botanices Natum, anatomes vero Lau-

(1) *Sic de eo decrevit Princeps VIIII. Kal. Novembris an.* 1685. Alla Lettura dei semplici e custodia del Giardino S. A. elegge M. Michel Angelo Tilli da Castel Fiorentino con scudi 200. dei 366. che gode M. Pietro Nati, a cui S. A. vuole che rimanga quello che avanza di detti scudi 366.

Digitized by Google

rentium Bellinium, cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem & severum virum omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit. Quotidie fere cum ipso deambulabat, notabatque vesperi quidquid observatione dignum audiisset. Laurea medicinae an. 1677. a Zarillio decoratus, Florentiam concessit ad eam facultatem exercendam, adeoque se probavit Redio, a cujus latere vix discedebat, ut ejus commendatione, seu potius testimonio, substitutus fuerit a Cosmo III. in locum illius, qui morbo impediebatur an. 1681., ne medicus navigaret in ipsius Magni Ducis triremibus. Lustravit Baleares Insulas, appulit quoque ad Siciliam, nec fuit quidquam observatione dignum, quod ipse litteris non mandaverit. Post id accidit ipsi optatissimum, ut Byzantium mitteretur. Nam cum in ea urbe aegrotaret Musaippius Turcarum Regis cognatione gener, amore filius, audivissetque Etruriam praestantissimis artibus & omni disciplinarum genere, ac praesertim medicina esse pulcherrime exornatam, per Legatum Reipublicae Venetorum Jo. Baptistam Donatum petiit a Cosmo, ut sibi medicus Florentia mitteretur. Hac de re consultus Redius conjecit statim oculos in Tillium, in quo inesse dicebat doctrinam cum prudentia, sine qua medicina esse non potest, mire conjunctam. Is itaque cum Petro Francisco Pasqualio, qui chirurgiam faciebat, discessit ab Etruria ineunte anno 1683. & quatuor post menses, cum Neapoli propter tempestatem aliquandiu moratus fuisset, Byzantium pervenit. Exceptus hospitio a Donato, audit ab eo longissime abesse Musaippium; etenim sequi coactus fuerat Regem, qui Albae Graecae cum exercitu caussa belli adversus Caesarem considebat. Doctus ille de adventu Tillii, jubet ipsum ad se venire, nec solum providit, ut iter commode ac tuto facere posset, sed misit etiam, qui medico honores haberent. Deciderat ipse ex equo, luxatumque hac de caussa genu perverse ad eo curaverant imperiti chirurgi & medici, ut ille nec extendere crus, nec pedem in terra ponere sine acerbissimis doloribus posset. Utrumque ut satis commode faceret, obti-

nuit a Tillii curationibus. Quapropter hujus nomen magno coepit esse in honore apud nobilissimos Turcarum, a quibus plurimum de valetudine consulebatur. Demum, fuso fugatoque prope Viennam Turcarum exercitu, Tillius cum Musaippio Adrianopolim concessit, ibique hyemavit. Primo vere cum eodem, a quo res navalis summo cum imperio administrabatur, maris Aegaei insulas lustravit, & homo studiosus veterum monumentorum, quique maximo desiderio tenebatur visendi ea loca, in quibus summos viros versatos esse sciebat, habuit sane quo se oblectaret atque erudiret. Rediit inde Byzantium, & quamvis large honorificeque tractaretur, magnisque promissis ad remanendum invitaretur, diutius tamen ferre non potuit Etruriae desiderium, ad quam, aegre concedente Musaippio, remeavit trigesimo mense postquam ab ea discesserat. Extant in tabulario Mediceo Tillii litterae, quas mittere solebat ad Apollonium Bassettum, qui erat Magno Duci ab epistolis, & ad Franciscum Redium, ex quibus judicari potest quam diligens & curiosus esset investigator earum rerum, quae ad locorum situm & naturam, ad incolarum mores, & civilia instituta, ad antiquitatem naturalemque historiam pertinebant. Plura fortasse scribebat, quod sciebat his rebus plurimum delectari Cosmum, a quo & praemium, quamvis non admodum liberale, industriae accepit, cum, ut supra commemoratum est CC. centussium mercede praefectus fuerit horto botanico & rei botanicae cathedrae. Non multo post quam haec acciderunt, ecce ab eo, qui Tuneti dominabatur, postulata ad Magnum Ducem, ut ad se molesto magis, quam periculoso morbo afflictum mittere vellet Tillium, cujus in toto fere imperio Turcarum pervulgatum jam erat nomen. Non tam ista sapientiae fama delectavit Tillium, quam cupiditas visendi Carthaginis reliquias, & ex iis locis rariora adsportandi ad Pisanum Hortum ornandum. Dedit igitur operam, ut Principis sui voluntati, ut aegroti votis, ut sui ipsius desideriis plane satisfaceret, fueruntque eventus rerum, quales ipse speraverat. Inter plantas, quas secum detulit, ejus celebratione maxime commemorata est *Cinara acaulos Tunetana*

magno flore ſuaviter olente, anguſtis Cinerariae foliis non ſpinoſis; quam Barbari illi *Taſga* nuncupant, cujusque iconem retulit *in Catalogum Plantarum Horti Piſani*. Paravit & ſibi ephemerides barometricas, & multa alia quaeſivit, quibus phyſica juvari poſſe ſperabat. Erat ille quidem ad hujus disciplinae ſtudia mirandum in modum propenſus, & e ſchola Bellinii & Redii talis evaſerat, ut naturam in ipſa natura quaereret, examinaret, compararet, nihilque praejudicati afferret; quod ſi laude dignum omni tempore fuit, nunquam ſatis laudari poteſt illa aetate, qua plerique philoſophorum ad arbitrium, mentemque ſuam aeternas immutabilesque naturae leges accommodare ſe poſſe exiſtimabant. Interea Anna Aloyſia Medicea, quae nupta erat Guilelmo Electori Palatino, dono miſit Academiae Piſanae Boyleanam machinam a Joanne Musſchenbroekio Petri fratre affabre ſane elaboratam. Haec cum in Tillii manus perveniſſet, minime paſſus eſt illam jacere otioſam. Itaque ſocis ſibi adſcitis viris doctiſſimis Joſepho Zambeccario, Faſcaſio Janello, Joſepho Averanio, Guidone Grandio, & Luca Albizio, quamplurima & utiliſſima per eam habuit experimenta. Haec relata ſunt in commentarios, qui ad hunc diem extant; nec ſatis dici poteſt, quanta elegantia, ſimplicitateque Etruſci ſermonis conſcripti fuerint. Non dubitabis quidem ob hanc, aliasque laudes ipſos comparare cum commentariis Florentinae rerum phyſicarum Academiae, quamvis hi ſint apud omnes gentes celebratiſſimi. Plurimi extitere Philoſophi, qui Chryſippum imitati, dummodo Philoſophiae ſatisfacerent, contempſiſſe videntur, tamquam in arte aliena, dicendi facultatem; contra alii in rebus iis, de quibus diſputavere, eloquentes, & in dicendo ſuaves atque ornati eſſe voluerunt, in quorum numero nos maxime admiramur Galilejum, & Redium; horumque ſchola, dum extitit, extitiſſe etiam videtur in Etruria rerum cognitio cum orationis exercitatione conjuncta. Neque enim dubito, quin, quo propius aliquis ad naturam accedat, eamque contempletur, eo magis naturali quodam & non fucato inficiatur nitore, quem exprimere ac referre debeat in ſuis o-

mnibus dictis, & scriptis. Tales igitur fuisse oportet Tillium & Averanium, qui conjuncta opera eosdem conscripsere commentarios, ex quibus pauca haec notanda ad illorum praestantiam indicandam decerpsimus. Sed priusquam de iis scribimus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne praeterita tempora ad sua referant, neve, siqua ipsis leviora videbuntur, pari modo apud majores nostros fuisse arbitrentur. Nam in magna rerum physicarum ignoratione praeclarum erat vel modice processisse, & posteriores Philosophi, nisi ab his initiis profecti essent, numquam in suis studiis tantos progressus habere potuissent. Diversorum animalium sanguis, in inani positus, aerem semper emittebat, ebulliebat etiam, sed perquam tarde; citius serum, vix vero chylus. Sic dirimi potuit, quae jamdiu extitit, controversia, num in sanguine insit aer: cumque fluida corpora, quo sunt crassiora, & tenaciora, non difficilius modo, sed & largius emittant aerem (quod alia etiam a Tillio habita experimenta mire comprobant) argumentum inde elici potest ad confirmandam praeclaram sententiam Macbridii de aere, ut ipse appellat, fixo, quem veluti gluten esse ait, quo partes corporum inter se colligantur. Ovorum putamen minime impediebat, quin aer in iis contentus exhalaret; ex quo experimento tota ferme duci, & conflari potuisset, quam in vulgus edidit Reaumeurius, dissertatio de oblinendis ovis cera, aut sebo, aut quavis alia hujusmodi materia ad illa conservanda. Majora exhalationis indicia dabat vitellum, si sua spoliaretur membrana, quam albumen. Magno cum impetu bullivit urina recens reddita; eadem refrigerata lente, & parum, quandoque etiam nullo modo bullivit. Manibus calefacta (calor enim necessarius esse videtur ad conjunctionem superandam, quae est inter urinam & aerem, & ad ipsius aeris excitandum elaterem) pristinum recuperabat aestum. Eadem fere oleo tartari evenere. Lac muliebre, recens mulsum & frigidum, haud multum spumae egit. Calefactum illico exiluit, sed non aeque ac urina, etsi diutius bullivit. Eadem prorsus signa dedere lac tum asininum, tum caprinum, quod novisse non inutile

fortasse erit medicinae studiosis. Ovinum mediocriter, sed diutius caprino, majoribusque bullis aestuavit. Utrumque, si calefiat, magno cum impetu, citius tamen primum ebullit. Major erit hic aestus, quando lac acescit, quod per acidam, ut vocant, fermentationem facilius aer se se extricare videatur. Vaccae foetus trimestris ab allantoide et chorio, minime vero ab amnio sejunctus, cum arcte colligata essent vasa umbilici, ex omnibus partibus intumuit. Quod antequam accideret, amnii liquor lente prius, postea magno cum impetu ebullivit. Separato foetu ab amnio, apertoque cranio, pectore, & abdomine, omnia viscera, ac praesertim abdomen tumuere. Idem evenit cerebro, praesertim si dura matre spoliatum esset. Eadem inflatio animadversa est in omnibus aliorum animalium partibus, adeo ut concludi jure possit inter ipsarum partium initia, & elementa aerem numerandum esse. Dum cerebrum canini capitis inflabatur, sanguis ad circularem suum motum redibat, eodemque modo visus est in testudine instaurari peristalticus cordis motus. Vesica fellis tum suo liquore plena, tum vacua, nunquam intumuit, quod ipsam esse aeri perviam declarare videtur. Ova gallinacea, quae foetum nondum fuderant, aerem emittebant, praesertim si cortex, qua parte obtusior est, frangeretur. Tum pulli cor vidisses palpitare, magis ac magis augeri hujusmodi motum, huncque, educto prorsus aere, paullatim cessare. Ut ova maxime erant vieta, ita potissimum aerem exhalabant; aer enim, dum corpora corrumpuntur, liberius evolat. Varia, & diversa avium genera iisdem signis intumescebant: prodibat aer ab oculis & auribus, separabaturque cutis a carne. Reddito nonnullis piscibus pene jam mortuis aere, redditam animam dixisses. Plurima experimenta habita super variis vinorum generibus mirum in modum confirmant, quod a Priestleyo Physico Britanno recentissime traditum est, ab aere, ut ipse nominat, fixo vires sumere vina, illoque abeunte, ipsa quoque fugientia, ac vapida fieri. Aerem, quem oleum, & aqua amisere, lente quidem recuperare videntur. Cum enim biennio post in machina pneumatica collocarentur, minus iis

Digitized by Google

aestuabant, quae nunquam illam subiissent. Flores & fructus suavitatem odoris, nonnulli vero & saporem in inani perdunt. Balsamum Jasmini, & Zibethum graveolentia corruptionis signa dedere. Aqua, postquam biduo in inani ebulliverat, gelu concreta non amplius ebullivit, attamen dilatata est. Id facit contra eos, qui extricationem interioris aeris caussam esse aut unicam, aut praecipuam affirmant inflationis aquae, dum ipsa conglaciat. Lac muliebre vase formam cylindri habente contentum spumabat, dum gelu concresceret. Concretum vero exhibebat lamellas leviter incurvas, & in axem cylindri vergentes. Eamdem formam videre licet tum in asinino, tum in caprino lacte, quamquam hujus lamellae rariores sint, ac minus incurvae; quod confirmare videtur, similitudinem quamdam esse inter haec tria lactis genera. Olivae oleum, quod conglaciat in vacuo, ebullit, & dilatatur, contra ac fit, dum conglaciat in aere. Quae alias in vacuo conglaciaverat & bulliverat aqua, citissime concreta est. Hoc, aliisque experimentis comprobatur, quo minus aeris in se contineat aqua, facilius illam gelari. Observatum est etiam, quae diu ad ignem ferbuit, aquam aeque cito in vacuo atque in aere conglaciare. Liquor thermometri in vacuo positi nonnihil subsedit; reddito aere, ad pristinum statum rediit. Hujus phaenomeni caussam, qui scire cupiunt, eos ad volumen II. commentariorum Academiae tum Taurinensis, tum Bononiensis delegamus. Hydrometrum in aqua mersum, dum haec aere privatur suo, multum attollitur, quod ex aereis bullis imo hydrometro, vesicularum instar, adhaerescentibus pendere videtur. Nimis fortasse multa de hujusmodi Pisanis experimentis. Porro nihil agebat, nihil moliebatur, nihil assequebatur Tillius in contemplatione naturae, quod latere vellet in occulto; & quo latius etiam paterent res a se inventae, de iis saepe litteras mittebat ad Guillelmum Reislerium Germanum, ad Sebastianum Vaillantium Gallum, ad Cornelium Fossum Batavum, atque ad Guilelmum Derheamum Britannum, Regiaeque Londinensis Academiae socium. Hujus rogatu instituit an. 1707. pendere, & metiri

pluviam aquam, quae certum quoddam in vas, & in annos singulos Pisis decideret. Id eo pertinebat, ut comparari posset annus cum anno, & locus cum loco, cum eamdem rem observaret Derehamus in variis Britanniae regionibus. Habuit etiam Tillius alia hujusmodi mandata ab aliis Academiae Londinensis sociis, quam ob caussam, & ob notam cunctis doctrinam illius in eamdem Academiam anno 1708. cooptatus est. Gratissima Tillio fuit haec commendatio ad gloriam; & quod eam unice se debere studiis physicis putabat, statuit sibi nihil gravius, neque antiquius futurum, quam ut ea, quoad suppeditaret vita, excoleret. Invitabat omnes, & eos praesertim, cum quibus amicitia & muneribus conjungebatur, ad coeundam societatem laborum, sperans ex hac societate non solum jucunda, sed etiam utilia hominibus allatum iri. Qui vero in haec studia, & Pisanae Academiae gloriam male animati erant (& tum erant maxime Jesuitae) illos insanos, invidos appellabant. Non mediocrem operam, & tempus posuit una cum Zambeccario & Janetto in thermarum, quibus Pisanus ager abundat, inquirenda natura; qua de re Zambeccarius ipse anno 1712. libellum edidit. Sed Chemia iis temporibus non tantos processus fecerat, ut ex hujusmodi disquisitionibus magna sperari potuerit utilitas. Decoctio gallarum, dissolutio hydrargyri, sublimati corrosivi, certissima argumenta atque indicia, num sit in aqua aut ferrum, aut nitrosa quaedam materia, tincturae violarum & heliotropii, quae praesentiam declarant materiae aut alcalicae, aut acidae, unica erant, ut ita dicam, instrumenta ad aquarum investigandam naturam. Ipsum examen, quod de salibus, aqua evaporante, concrescentibus fiebat, admodum imperfectum erat. Nil enim aliud quaerebatur, nisi quam similitudinem illi haberent cum aliis jam cognitis salibus; & nemo intendebat animum in principia, ex quibus iidem constabant. Negligebantur etiam, aut prorsus ignorabantur alia plura, quae fieri sine summa difficultate non possunt, & quae tamen necessaria sunt ad hujusmodi aquarum recte noscendam naturam.

Digitized by Google

At si non susceptae rei perfectio, conatus tamen, & voluntas juvandi, conservandique homines laudari debet in Tillio, & in iis, quos socios habuit laborum. Sed tempus est, ut ea explicem, quae gessit Tillius ad res Horti Botanici, ipsiusque herbariae scientiae augendas. Erat sibi commercium de his rebus cum illustrioribus totius Europae Botanicis; sic utebatur opera Petri Michelii, ut omnes scirent hanc esse magno emolumento ipsi Horto Pisano, & vicissim Michelio per Tillium, cujus commendationes & testimonia plurimum poterant apud Principem, rependi utilitates, & praemia; quidquid alibi rarum erat, & singulare, nihil non agebat, ut obtineret; & facile etiam a Cosmo impetravit, ut Amstelodamum homo mitteretur, quo instructior exoticarum plantarum cultor evaderet, & quam maximam posset, earum copiam Pisas deferret. Hujusce desiderii expectationem adeo explevere Consules Amstelodamenses, ut magnus ille numerus plantarum ad Tillium pervenerit, quas doctissimus Commelinus diligentissime descripserat; gratulatusque plurimum is est sibi, & Horto Pisano, non tam propter copiam, & praestantiam rerum, quam propter soli & caeli naturam, cum floruerint in eo nonnullae plantae, & in his aloes, quas, nulla non arte adhibita, florescentes videre haud potuit Commelinus. Illud etiam singularis, insperataeque cujusdam felicitatis fuisse putavit Tillius, quod semen Jasmini illius Arabici, cui nomen posuimus *Caffè*, quodque Pisas primo delatum fuit anno 1715., mediocri cultu & curatione tuto nasceretur, suosque ederet fructus. Quod vero ipse effecerit, ut non solum hae, sed & aliae nobilissimae stirpes Galanga, Tamarindus, Zedoaria, Batates, Cerei, & Euphorbii species variae, & quamplurimae aliae, quae in Pisano Horto primum extitere, cum antea Italiae essent perobscurae, ac prope ignotae, omnibus innotuerint, merito laudatus est a Julio Pontedera, ceterisque rei Botanicae cultoribus eximiis. Ad hanc laudem amplificandam, celebritatemque sui Horti augendam deliberavit in vulgus edere librum, quem inscripsit: *Catalogus Plantarum Horti Pisani*. Editus est liber anno 1723., nuncupatusque Cosmo III.

Digitized by Google

rei Botanicae studioso, & fautori praestantissimo. Minime secutus est Auctor ordinem, ac rationem a Turnefortio traditam; imitari tamen voluisse videtur nescio quam ejus negligentiam, cum Acanthion, ut unam alteramve rem exempli caussa ponamus, carduis adjecerit, quae sine pappis thalamum ferunt, neque dixtinxerit Guaicanam in sterilem & fructiferam, quae geminae est naturae, utraque sane florifera, & petalodes, sed sterilis, majoribus, quam fructifera, ornata floribus, ac receptaculo destituta. Non propterea tamen quis dicere audebit, non satis acutos Tillium habuisse oculos ad minimas plantarum dissimilitudines noscendas, cum potius ei, ut & Michelio, objici possit, insatiabili, ut ita dicam, varietate distinxisse omnium multitudinem. Nemo enim ignorat, pro soli natura modo contrahi stirpes, modo produci, modo minora & aridiora, majora modo & crassiora esse folia, quamvis una eademque sit plantae species, ut propterea nulla notanda esse differentia videatur. Sic ex. gr. eadem Orientalis Agrimonia, quae a Turnefortio humilis dicitur, procera magis, quam vulgaris, apud nos surgit omnibus partibus. In eo etiam reprehendi posse nonnullis videtur Tillius, quod simillimis plantis diverso in libri loco diversa, sed tamen synonyma, dederit nomina, ut Acarna, Alcea, Anemonoides, Apocynum, Asplenium, Barbacaprae Cardus, Chaerophyllum, Geranium, Hedera, Hedypnois, Hieracium, Hypericum, Paeonia, Limonium, Vitis, &c. Sed, cum ipse ingenue, aperteque erratum suum confessus fuerit, ceteris ademisse libertatem reprehensionis videtur. Caussam etiam affert, cur diligens corrector, & emendator sui operis non fuerit. Nam eo tempore, quo illud typis committere debuit, erat animo perculso, & abjecto ob mortem Fratris, Burgi a S. Sepulcro Episcopi, qua nihil sibi ad dolorem acerbius (& is quidem ob egregiam virtutem, & doctrinam tanto moerore dignus erat) accidere potuisse dicebat. Sed pauca vitia minimum imminuunt gloriam operis, quod non in Italia solum, sed etiam in Britannia, Batavia, & Germania, magna

Digitized by Google

cum laude exceptum est. Se autem non sine caussa elaborare ajebat Tillius, ut sua studia Botanica nota essent litteratis hominibus, quod moveretur voluntate Principis, dignitate Academiae, & memoria summorum hominum, ac praesertim Andreae Caesalpini, qui Pisis rem herbariam curarunt, docueruntque. Horum imitatus industriam, videbat, ne quid privatis studiis de opera publica detraheret: quapropter paratissimus semper fuit ad instituendos adolescentes, sapientibusque consiliis in studiorum ratione gubernandos. Nemini etiam doctrinam suam medicam denegabat, quam inter ceteros depoposcit Carolus Hispaniarum Regis filius, cum aeger Liburni esset gravi variolarum morbo. Huic rei caussam dedere multa & praeclara, quae de Tillii in medicis rebus doctrina audierat ejusdem Principis medicus Bonacorius a magistro & amico Nicolao Cyrillio. Non necesse habeo dicere, Tillium simplicia amasse in medicina facienda, cum dixisse satis fuerit e Redii, & Bellinii schola illum prodiisse. Nec in medicina solum, sed & in omni vitae actione, quod simplex esset & sincerum secutus est egregie cordatus homo, integer, innocens, religiosus, ac plane bonus. Virtutis & doctrinae usum cum vitae perfectae prosperitate (non enim fortunam magnis divitiis metimur) conjunxit. Nam a nemine laesus tranquillissime semper vixit; floruit amicitiis, amatus, honoratusque ab omnibus, & a suis maxime Principibus fuit. Id quoque prospere ei evenit, ut Angelum Tillium Fratris Filium, quem doctrinae, virtutum, & honorum heredem fecerat, obtinuerit successorem in muneribus, quae sustinebat in Academia Pisana. Sic cum vacaret cura & negotio, secessit in patriam sibi & Deo victurus, ibique diem extremum morte confecit. Ad prodendam posteris ejus memoriam haec inscriptio ab Leopoldo Guadanio exarata in ejus tumulo posita fuit.

Digitized by Google

MICHAELI. ANGELO. TILLIO.
PATRIA. CASTRO. FLORENTINO.
PHILOSOPHO. MED. NATURAL. HISTORIAE.
PERITISSIMO.
IN PIS. LYCEO. BOTANICES. PROF. CELEBERR.
QUI. MAGNIS. PRINCIPIBUS. AEGROTANTIBUS.
AD. QUOS. CURANDOS. ACCITUS. FUIT.
SANITATE. RESTITUTA.
LONGIS. ITINER'B. TERRA. MARIQ. CONFECTIS.
REB. NATURALIB. MULTORUMQ. HOMINUM. MOR'B.
ACCURATE. OBSERVATIS.
AUCTO. EXOTICIS. PLANTIS. HORTO. PISANO.
EDITISQ. PUBLICE. MONUM. INLUSTRATO.
CAND.DO. SINCEROQ. ANIMO.
PIETATE. IN. DEUM. SUAVITATE. MORUM. PRUDENTIA.
INTEGRITATE. VITAE. CLARISSIMUS.
FAMA. AETERNUM. VICTURUS.
OBIIT. A. R. S. CIↃ. IↃ. CCIL.
ANNOS. NATUS. LXXXIV. M. XI. D. III.
ANGELUS. ATILIUS. IN. SCHOLA. ET. HORTI. EJUSD.
PRAEFECTURA. SUCCESSOR.
ET. PHILIPPUS. NERIUS. I. C.
FRATRIS. FILII. NOBB. PIS.
PATRUO. B. M. HEIC. UBI. S. E. T. P. C.

Si vero noscere cupis formam corporis, eam perquam simillimam habes in fronte libri, quem de plantis Horti Pisani ipsum confecisse diximus, sub qua Antonius Maria Salvinius haec inscripsit.

Qui Libiae atque Asiae perspexit Tillius oras,
Herbarum & dias sedulus auxit opes.
Ille est, quem cernis, mentis candorque fidesque
A nulla fingi protinus arte queat.

In patrui disciplina educatus Angelus Tillius talis quidem evasit, ut pudens & probus, & navus & doctus ab omnibus judicaretur. Ut ab ipso aliquid muneris haberet Academia, confidentissime exposuit Michael Angelus Magno Duci, illum esse sibi amore filium, consuetudine discipulum, voluntate & studiis similem. Quo testimonio dignus habitus est illo, quem supra diximus, loco. Quid conatus sit facere, aut posse fieri cogitavit ad ornamentum Academici Horti, non est hujus loci commemorare, cum id pertineat ad Lotharingiorum regnum, de quo dicere nunc minime mens est. Nullum quidem reperisses aut in persolvendis officiis diligentiorem, aut in retinendis majorum institutis, & Academiae disciplina cupidiorem, aut gravitate vitae, suavitateque morum laudabiliorem. Is vixit ad LXXII. usque aetatis annum; nam an. 1781. XII. Kal. Decembr. dum rusticabatur in Castro Florentino, quo in oppido ortum habuerat, naturae concessit.

Hactenus de iis, qui praefuerunt aut horto, aut cathedrae botanices atque naturalis historiae. Minime vero silentio praetereundum videtur, quod ad decus Academiae plurimum refert, inserviisse quoque eidem horto Petrum Michelium, cujus doctrina in omni re herbaria non satis laudari potest. De eo quoque nos multa narravimus IV. in volumine *vitarum Italorum doctrina excellentium*, nec pigeret nos iterum de eo nunc dicere, si ejus nomen in album Magistrorum, Praefectorumque unquam relatum fuisset. Quare studiosos Michelii ad illud volumen delegamus.

CAPUT X.

De Juris Pontificii Magistris.

TEmpora circiter illa, de quibus scribendum suscepimus, plurimum sane accessit ornamenti Juri Pontificio a summis viris, inter quos honoris caussa nomino Antonium Augustinum Archiepiscopum Tarraconensem, qui illud multis mendis expurgandum, suaeque dignitati restituendum curarunt. Jam inter omnes constare video Caroli Magni temporibus, postquam per septingentos & amplius annos jus illud valuerat ex priscorum conciliorum decretis, ac nonnullorum praeterea Romanorum Pontificum scitis conflatum, quod unico, neque admodum magno volumine continebatur, novum invectum fuisse jus, quod totum ferme constabat ex epistolis ab impudentissimo illo nebulone Pseudo-Isidoro confictis, & priscis Romanae Ecclesiae rectoribus tributis, & ex recentioribus eorum constitutionibus, qui post Caroli tempora Sedem Apostolicam rexere. In magna rerum omnium perturbatione, & in summa omnium ordinum hominum imperitia facile fuit falsas merces pro veris venditare, & quamvis clamore conviciisque novum istud jus a nonnullis jactaretur, vicit tamen, ut saepe alias, fortuna Populi Romani, & novitati ii praesertim favisse visi sunt, qui obtinere cupiebant licentiam cupiditatum suarum. Appellatio enim Pontificis lex impunitatis putabatur, qua de re libere quidem pro suo more & pro suo studio in Ecclesiasticam disciplinam questus est Bernardus Clarae Vallensis Abbas, his verbis scribens Episcoporum Gallicanorum nomine ad Innocentium II. *Quique flagitiosi & contentiosi de Populo, sive de Clero, aut etiam ex Monasteriis pulsati currunt ad vos. Redeuntes jactant & gestiunt se invenisse tutores,*

Digitized by Google

quos magis ultores senſiſſe debuerant (1). Nihilo tamen minus quae semel invaluere retenta fuerunt, novisque decretis ac constitutionibus, quae mirum in modum favebant Romanorum Pontificum in omnes res religiosas potestati, auctum istud jus fuit, quo cetera jura, si Tertulliani verbis uti fas est, exarmata fuere. Ipsi interpretes sententiis suis assentationis plenissimis adeo amplificarunt Pontificiam auctoritatem, ut nihil addi potuisse videretur. Fuerunt quidem Episcopi, qui veterem Ecclesiae disciplinam restituere, potestatemque, quam a majoribus acceperant, recuperare adlaborarunt. Par erat quoque illas canonum collectiones infeliciori partas saeculo opera Burchardi Wormaciensis, Ivonis Carnotensis, Deusdedit Cardinalis, Anselmi Lucensis, & Gratiani Monachi ad trutinam revocare, & quae corrupta erant emendare, & quae falsa a veris distinguere. Porro aliqua ex parte consultum Episcopis fuit ab oecumenicis conciliis, & ipsi Romani Pontifices, summis adhibitis viris, de emendando Gratiani decreto statuere. Rerum quoque publicarum Rectores minime ratum habuere quidquid iisdem Romanis Pontificibus sancire libuit in illis, ut appellant, Decretalibus & Extravagantibus, ex quo factum est, ut aliud esset jus Pontificium Gallicum, aliud Germanicum, aliud Italicum, & hoc varium in ipsa Italia pro populorum varietate, quanquam inter omnes catholicas gentes convenerit semper, esse quaedam, a quibus sine piaculo dissentire non licet. Haec omnia noscere debet, qui se Juris Pontificii magistrum esse profitetur; sed diu viguit mos nil aliud quaerendi, nisi quod in iis libris contineretur, non adhibita disserendi ratione, & veri & falsi judicandi scientia, & arte illa intelligendi, quid sit cuique contrarium, quid tempora tulerint, quidque non amplius ferendum videatur. Qui haec omnia intelligit, & idonea maxime eligit, & omnia redigit in singulas ratio-

(1) Epist. 178.

nes praeceptionis, hunc ex maxime raro magistrorum genere fuisse arbitrabimur. Sed cum omnes nominare mihi proposuerim, vereor sane ne ineptus judicer, quod hoc sermone meo proclamatores multos conquisiverim, perpaucos vero, qui hujus disciplinae antistites vere dici possint.

Illustre quidem Pontificii juris cultorum nomen reddiderunt Petrus Accoltus & Laelius Mancinius, de quibus satis multa superiori in volumine commemoravimus. His docentibus, nemo tam arrogans fuit, qui cum illis se contendere posse judicaverit, quanquam minime expertes fuerint doctrinae & ingenii Franciscus Falconettus Eques (1) & Bernardus Flamminghius Florentini, Paullus Ruschius, Petrus Roncionius Pisani Canonici, & Matthaeus Stephanius Miniatensis. De his quoque diximus, quare nunc dicendum superest de iis, qui a Ferdinando II. ceterisque Mediceis Principibus in hanc arenam vocati fuerunt. Castigemus segnitiem atque inertiam Francisci Stuphae Equitis, Laurentii F. qui cum plures haberet in sua familia inter Florentinas nobilissima claros homines, quos imitaretur, & per quadriennium se Romae exercuisset in juris prudentiae studiis, nec careret ingenio, medio in cursu ita haesit, ut non multum laude processerit. Relicta an. 1640. Academia, in qua utrumque jus per duodecim annos docuit (2) totum se dedit urbanis officiis, navataeque

(1) *De eo hoc commemorandum videtur. Anno 1628. quod infirmissima erat valetudine ejus competitor Stephanius, petiit Falconettus, ut sibi liceret, ut ajebant, circulare cum Magistris ordinariis juris civilis: sed censuit Sommaja hanc petitionem esse* nova e bizzarra, e da dare molta alterazione allo Studio.

(2) *Anno 1632. declaratus est extraordinarius juris civilis magister, nec alius tum substitutus in locum illius fuit, quia, ut ajebat Sommaja*, gli Estraordinarj Canonici non importano cosa alcuna, essendo letture morte, e che non hanno seguito. *Anno 1636. ordinariam juris Canonici Cathedram conscendit.*

operae praemium retulit, eum an. 1649. in Florentinum Senatum cooptatus fuisset. Compleverat nondum LXXIII. aetatis annum, cum Januario mense an. 1665. mortem Florentiae obivit, relictis heredibus bonorum suorum orphanis iis, qui a Bigallo nomen acceperunt. Neque habitus est in numero illustrium Jurisconsultorum Laurentius Magona nobilis Pisanus, qui an. 1631. cum Stufa vocatus fuit ad regendam juris Pontificii extraordinariam cathedram, postquam per triennium Justinianeas Institutiones privatim & publice interpretatus fuerat. Paucis post mensibus, sane gravissimo & pestilentissimo anno, vitam amisit, qui casus timiditatem auxit in iis, qui Pisis studiorum caussa commorabantur.

Tantum juris prudentiae scire voluit Benedictus Ammiratus Florentinus, quantum satis esset ad tuendam cathedrae dignitatem, sive elementa juris civilis, sive Pontificias extra ordinem constitutiones, ad quod munus an. 1627. vocatus fuit, explicaverit. De eo pauca tetigit Mazzuchellius, ut statuere non possis, utrum Scipione fratre, qui ab Ammiraro Florentinarum rerum scriptore omnium diligentissimo nomen, cognomen & bona accepit (nam illorum pater muralis faber Franciscus *del Bianco* appellabatur) dignus fuerit. Non expers quidem erat elegantiorum litterarum, & cum an. 1623. in collegium Canonicorum Pisanorum cooptatus fuisset, spectasse videntur ii, qui hunc honorem ipsi detulerunt, non quemadmodum generatus educatusque, sed quemadmodum institutus moratusque fuerit. Is naturae concessit anno 1631. dum pestis Pisis grassabatur.

Multa habuit quae laudaret Sommaja in Antonio Pierallio Miniatensi (1), qui eodem tempore, quo consulebat moralis theologiae, consuluit & juris Pontificii studiosis. Extat oratio de laudibus Nico-

(1) *Ait ipse*. E' di bontà e d' intelligenza, e d' ingegno non ordinario, ha lingua Latina esquisita, con bella erud zione.

Digitized by Google

lai Adjunctii mathematicorum nobilissimi (1) ex qua judicari potest de Pierallii in scribendo elegantia, & quantis optimatum artium studiis esset eruditus. Quod vero summa esset in eo gracilitas & infirmitas corporis, multisque destineretur muneribus (praeerat enim Ducali, ut loquuntur, collegio, serviebat Canonicus cathedrali Ecclesiae, & curam gerebat Monialium, quae a via praecipiti & lubrica in rectam se se dederunt) an. 1632. levari onere petiit docendi jus Pontificium, tertio post anno quam illud magna cum laude docuerat tum extraordinarius, tum ordinarius magister. Competitorem habuit Petrum Gerium Aretinum, de quo pauca superiori in volumine tetigimus, cuique etsi non parum tribuere videatur Sommaja (2), doctrina tamen rerum inferiorem, usu vero civilium (multum enim versatus fuerat in judiciis & caussis) superiorem fuisse Pierallio arbitramur. Gloriose vivere is in multa & cito agendo ponebat, Pierallius autem in agendo pauca & bene, & cum hic modum & ordinem in omni actione adhibuisset, honestatem & decus conservavit ad exitum usque vitae, quam amisit an. 1638.

Satis instructus, cum in flore esset aetatis, ad scholam accessit Balhasar Francolinius Firmanus, qui postquam in patrio gymnasio jus

(1) *Retulit hanc Jo. Targionius in Vol. II. operis, quod inscripsit*: Notizie degli aggrandimenti delle Scienze fisiche accaduti in Toscana.

(2) Institutista in Pisa (*sic ille*) nel 1598. e 1599. ebbe gran concorso, incontrò molto Giudice nelle Ruote di Bologna, Perugia e Ferrara, fu a Parma per gli affari dei Torelli & ha avuto molt' altri maneggi, lesse in Ferrara successore del famoso Achillino con 1000. scudi, & con qualche stupore della Repubblica Letteraria: è uomo di un' attività singolare, di grandissima vivacità e prontezza, & *in agibilibus* vale assai: domanda Pandette, Ordinario civile, o anche canonico. *Ad quae rescripsit Magnus Dux*. Eleggesi il Dott. Pietro Geri in luogo dello Stefani ordinario canonico colla medesima provvisione di sc. 155.

civile docuerat, operam suam an. 1631. Academiae nostrae locavit. Cum consideraret Sommaja quot in adolescente essent ornamenta ingenii & eruditionis, non dubitavit affirmare brevi illum parem summis magistris fore. Et docuit quidem Pisis magna cum laude primum civile, postea Pontificium jus, sed medio fere in cursu absumptus est, cum mortem obiisset III. non. Martii an. 1635. Est in hominum manibus oratio, quam dixit, cum primum Pisas ad docendum venit, qua beneficia Magnorum Etruriae Ducum in se ac Firmanos omnes commemorat, & summis praesertim laudibus effert divina Ferdinandi II. merita: sed nec puris, nec electis verbis & sententiis composita est, & conspersa adeo inficetissimi saeculi vitiis, ut illam extare doleas. Non libet multa referre de Francisco Stephanio Miniatensi, cui mors Francolinii locum fecit in Academia (1), & qui in ea fuit ad annum usque 1649. quo missionem petiit, obtinuitque cum dimidia parte stipendii. Quare properabo ad Joannem Pinoccium Turni, de quo alibi diximus, summi jurisconsulti Filium, cui sane plurimum debemus, quod per totos XXXVI. annos, postquam per triennium Caesareas Institutiones explicaverat, juris Pontificii cathedrae mirum in modum consuluit. Quanquam de deserenda Academia saepe tentaretur a civibus suis, qui, quod lucebat in eo integritas & innocentia summa, & decoratus jam erat Archipresbyteri dignitate, majoribus honoribus ipsum dignum putabant, sua sorte contentus hoc constantis hominis esse putavit susceptum munus pro

---

(1) Francesco Stefani (*ita Sommaja*) da S. Miniato, uomo di 46. anni atato Vicario del Proposto di Pescia, e de' Vescovi di Cortona Minerbetti e Robbia: dice di aver lasciata per servire a Madama Serenissima la Pieve di Monte Catini di Val di Nievole di grossa entrata ottenuta da lui a concorso: dice che per meno di 200 scudi non verrebbe, stipendio solito a darsi agli ordinarj canonici, com'è solito di darsi agli straordinarj 100. *Is an. 1638. quo tempore erat ordinarius Canonicus, Pierallio successit in Praefectura Collegii Ducalis. Obiit an 1654.*

virili parte explere. Isque in jurisconsultorum numero est habitus, & fuit multis virtutibus ornatus & elegans. Nunquam tamen forum attigit, judicia vero exercuit Vicarius Archiepiscopi Pisani, atque ea erat de illius prudentia integritateque opinio, ut eodem arbitro multi uterentur. Cum omni fortuna prospere jam functus esset, labores etiam magnos excepisset, ut suis muneribus cumulate satisfaceret, Pisis extremum diem morte confecit III. Id. Martii an. 1668. sepultusque fuit cum pompa funeris in sepulcreto, quod prope est majus templum, quoque plurimum ipsa civitas decoratur (1).

Anno 1638. quo tempore Sebastianus Galeottus Pisciensis Canonicus, & Joannes Baptista Vannicinius Senensis extraordinariam juris Canonici cathedram regebant, hanc irritam jussit esse Magnus Dux, eaque propter Vannicinius, qui scientia juris pollere judicabatur, primum locum tenuit inter Institutistas, ut vocant, civiles, sed non diu tenuit, cum anno post naturae concessisset. Geleottus vero, qui venerat ad nos an. 1633. Institutionum Caesarearum praeceptor (2), rediit ad ipsas, & postquam per quinquennium extra ordinem jus

(1) *Haec notata inveni*. Merc. 14. si andò collegialmente ad associare il cadavero di Mons. Gio. Pinocci Vicario Generale e Arciprete di Pisa. Vi si ritrovò a pena la metà delli Dottori, dicendo la maggior parte essersi messo in disuso da 12. anni in quà l'andare collegialmente ad accompagnare il cadavere con la torcia del Dottore leggente, ma il Sig. Chimentelli ed altri dissero, che mentre erano li Collegi invitati, come lo furono il giorno avanti, vi dovevano andare, e mantenere tal decoro ed onorevolezza. Li Sig. Chesi e Borromei furono di contrario parere, dicendo, che dovevano andare senza torcia, e quando si faceva in Duomo l'incensazione, doveva esser data a ciascheduno delli Signori Dottori una fiaccola per tenerla accesa.

(2) *De eo haec Sommaja retulit*. Per ingegno, intelligenza e costumi è da essere molto desiderato nello Studio, al che s'aggiunge di essere molto facoltoso da potere mantenere il grado di lettore honoratamente senza avere ogni giorno a infastidire V. A. & suoi Ministri.

civile docuit, an. 1647. declaratus est Ordinarius magister cum CCC centussium stipendio, quem locum, sane gloriose occupavit ad annum usque 1655., quo mortem obiit. Eodem illo tempore, quo Vanninius & Galeottus jus Pontificium explicare coeperunt, eidem muneri praefuit Jo. Baptista Lavellius, quem parum profecisse in ea facultate, quam profitebatur, ex tenuitate stipendii, & brevitate temporis, quo apud nos fuit (non plus enim anno fuit) ducor ad suspicandum. Nec quicquam amplius attulit ad scholam, quam quod postulabat Pontificiarum legum explicatio, Laurentius Pettuminius Pisanus Canonicus, cum laborasset nunquam, ut juris prudentiam rectis studiis & artibus exornaret. Is an. 1637. locum obtinuit inter Caesarearum Institutionum magistros, quorum numerus, cum excrevisset nimium, triennio post loco motus est. Ejus vero caussa an. 1641. revocatus mos fuit Pontificias Institutiones explicandi, quod jamdiu fieri desierat, & huic muneri praefuit, quoad anno 1648. ob Joannis Ruschii mortem primarius, ut loquebantur, Institutista declaratus est. Neque multos post menses Francisco Stephanio successit ordinarius juris Pontificii praeceptor, quod sustinuit munus diligentissime, dum in vita fuit, quam amisit an. 1681. Magis quidem enituisset doctrina Laurentii Beccuti Lucae civis Florentini & Constantiae Castrucciae filii, qui eum suscepere non. Maii an. 1620. si in docendo moderationem atque modestiam servasset. Namque homo natura malevolus & maledicus ceteros prae se contemnebat atque irridebat, & cum in multorum odium incurrisset, facile quoque ab se se discipulorum voluntates abalienavit (1). Quare secum male actum

---

(1) *Haec affirmare minime ausus fuissem, nisi testem haberem Academiae Curatorem. Ait enim*: Il Beccuto ebbe 40. scudi l'anno passato, in tutto 160. scudi. E' nota l'abilità di lui, e può essere che sia dotto, ma non è in tal concetto, è maledico e sprezzatore di tutti, e per non esservi altri Canonisti, è forzata la scolaresca andarlo a sentire.

esse putavit Thomas Pruinius Pisanus Canonicus, vir temperatissimis moribus, & satis instructus ad alliciendos ad se se discipulos, quod cum eo rem habere (fuere enim aliquandiu in circulis iis, qui more institutoque Academiae habebantur, competitores) cogeretur. Beccutus, qui primum venerat ad Academiam an. 1649. e vivis excessit an. 1682. novem post annos quam vitam amiserat Pruinius.

Profitenti jus Pontificium Josepho Dominico Andreonio Lucensi, cujus cathedram conscendit an. 1681. postquam per decennium tum Caesareas institutiones, tum criminale jus extra ordinem explicaverat, atque alia munera, quae sunt jurisconsultorum propria, sustinuerat, non defuit doctrinae copia, non ingenium, non diligentia, & quod dexteritate etiam & consilio valebat, a Magno Duce Neapolim missus est sua procurandi gratia negotia; multa enim bona, multasque lites in illo regno habebat. Hac ipsa de caussa Romae per quadriennium & amplius constitit. Ob ejus ab Academia absentiam an. 1686. cum esset nullus Pontificii juris ordinarius magister, intercessere Curatoris preces, ut ad hoc munus vocaretur Josephus Maria Cascina Pisanus Canonicus, & Stephanianus Eques, de cujus doctrina ea testatus est, ut suum studium in Academiam, & commendationis suae auctoritas perspici potuerit (1). Eo magis consulendum esse videbatur ordinariae cathedrae, quod triennio antea revocati fuerant Extraordinarii magistri, qui jamdiu esse desierant. Andreonius serius omnino rediit ad Academiam, neque multo post quam redierat, Pisis, rude jam donatus (2), extremum diem morte confecit III. non. Febr. an. 1695.

---

(1) Il Cav. Canonico Cascina Pisano Lettore straordinario civile, legge sono 17. anni; ha di provvisione soli scudi 105., è suggetto molto stimabile e nella cattedra e nel foro. Io lo giudico abilissimo a qualsivoglia cattedra superiore, ed ha molta erudizione ecclesiastica.

(2) Serenissimo Gran Duce.

Giuseppe Domenico Andreoni di Lucca, servo umilissimo di V. A. S., reverente gli espone, tener di presente la Cattedra di Ordinario Canonista

Quanquam Cascina patriae & Academiae satisfecisse videretur aetate, factis, & gloria, minime tamen effugit offensionem Magni Ducis (quo ex facto nescio) quam ob rem cathedra sine ullo laborum praemio an. 1693. privatus fuit. Triennio post ipsam recuperavit honorificentissimo sane decreto, ut aliquid potius additum, quam de-

nello Studio di Pisa, ove ha anche professato le materie criminali, e civili per il corso di anni ventitrè, oel quale ha aoche goduto l'honore di servire V. A. S. due anni nel Giudicato del Commessario di Pisa, due altri nell'Avvocazione delli Poveri lo Firenze, patrocinandovi le cause di tutti li Poveri dello Stato di V. A S., alli Tribunali ecclesiastico, e secolare, civili, criminali, e miste, tre altr' anni in Napoli, come Agente, & Avvocato di V. A. S., della Sereoissima Gran Duchessa Vittoria, e Serenissimo, e Rev. Sig. Preocipe Francesco Maria Cardinale de Medici, per tutte le cause, negozj, e feudi della Casa Serenissima in Regno, correndo ora il quarto anno, che l' Oratore dimora in Roma, in difesa della giurisdizione secolare di V. A. S., e della Sacra Religione di S. Stefano, & in varie altre commissioni, che V. A. S. si è servita di darli in quella Curia, e Corte. Et havendo l' Oratore scapitato moltissimo nella vista, onde non può continuare le sue applicazioni, senza pericolo di maggior danno nella medesima, quando con suo notabile dispendio, oon tenga chi l' ajuti studiare, e scriva sotto la sua dettatura: E solendo V. A. S. anche secondo gl' usi di altre Università, far godere il riposo a quelli, che l' hanno fedelmente servita nella sola Università, L' Oratore supplica V. A. S., acciò si degni giubilarlo, dispensandolo dalle Lezioni, & altre funzioni di Studio, e Collegio per detta Cattedra, & altri obblighi annessivi, con farli godere sua vita naturale durante, & in qualunque stato, e grado sia per ritrovarsi &c. la provvisione che da V. A. S. li sarà stata assegnata in detto Studio, con le propioe, promotorie delli Dottorati, & altri emolumenti, come se attualmente leggese, servisse, e fosse presente in Pisa, & a tutte le funzioni, & obblighi dell' Università, e Collegio, nel qual modo V. A. S. ha già ordinato praticarsi con l' Oratore nella sua dimora in Napoli e Roma: che per tal grazia pregherà del continuo S. D. M. per la preservazione, e felicità maggiori di V. A. S., e di tutta la Sereoissima Casa. Quam Deus &c.

Digitized by Google

tractum ejus dignitati esse videretur. Auxit & honorem Archiepiscopus Pisanus, cum illum sibi Vicarium adesse in administranda Dioecesi esse voluisset. Tali modo vitam ad annum usque 1706. produxit, sicque vixit, ut omni cogitatione curaque in id incubuerit, quod sui officii esse putavit. Illisce temporibus bene ac sapienter institutum fuisse videtur (1), ut disciplinarum omnium Doctores singulo quoque anno referrent ad Principem qua in re privatim discipulos suos exercuerant, quique ex his studio, ingenio, atque diligentia ceteris antecellere judicarentur, ut eorum ratio in conferendis publicis muneribus haberetur, quod quidem quantum valeat ad eorumdem exacuendam industriam, nemo est, qui non intelligat. Sed ad Canonistas redeamus.

Sebastianus Zucchettus Canonicus, & Benedictus Falconcinius Canonicus & ipse atque Eques, uterque nobili genere natus, ille Pisis, hic Volaterris, postquam Pontificias Institutiones diu docuerant, an. 1683. Extraordinarii magistri declarati fuerunt. Nihil erat quod in mediocritate ingenii sperari potuisset a Zucchetto, qui anno 1693. Academiam & patriam deseruit, ut regeret Emporiensem paroeciam; doctrina magis valebat Falconeinius, plurimum vero gratia, cum illi

---

Atteso il lungo, fedele, ed attento servizio prestato alla Casa Serenissima dall' Avvocato Giuseppe Domenico Andreoni nell' Università di Pisa, in Napoli, in Roma, & in altri impieghi, S. A. li concede benignamente quanto da esso si domanda.

(1) Vuole omninamente S. A. che i Professori diano in nota in fine dell' anno gli esercizj privati, che si fanno nelle case de' medesimi, onde possa da simili notizie riflettere alle benemerenze e fatiche de' medesimi, & insieme sapere quali scolari sieno di maggiore espettativa per gl' impieghi, che alla giornata possono darsi loro, avvertendo che chi non adempirà quanto sopra viene ordinato, S. A. non vuole che il Provveditore dello Studio li proponga nè per aumento di cattedra, nè di stipendio.

patruus fuisset Persius Falconcinius summae rerum praepositus, sed is totus erat occupatus in deserviendo Ecclesiae Pisciensi, cujus caussa saepe aberat Pisis, cuique demum praefectus fuit an. 1693. Ex hac praefectura an. 1704. cum aetatis annum ageret XLVII. ad Episcopatum Aretinum vocatus fuit, in quo gerendo mirum quantum omnibus se probaverit. Neque multum tribuebatur Andreae Tauuccio a Stia, & Dominico Antonio Rossettio Foroliviensi, Presbyteris innocentissimis sane moribus, quibus explicandarum Pontificiarum Institutionum cura commissa fuerat. Sed tum perpauci erant, qui haec studia colerent, qua de re saepe questi sunt Academiae Praefecti. Rossettius quidem nulli pepercit diligentiae, quo ad se se alliceret discipulos, & in iis studium augeret noscendi Catholicae Ecclesiae leges atque instituta (1). Uterque honoratiorem locum adscenderunt, cum antea comites in Institutionum cathedra habuissent Balthasarem Ansaldium Miniatensem, & Lazzarum Benedictum Migliorucium Andreae civis Florentini filium. Sed antequam de his dicamus, ne aetatum & graduum ordinem perturbemus, dicendum videtur de Bencivenno Ceffinio, Carolo Bizzarinio, & Ernando Amerighio. Ceffinius filius Petri Mariae & Catharinae Albertinelliae nobili genere natus est Florentiae VIII. Kal. Decembris an. 1633. Puer audiit Jesuitas, & mirabilia prorsus de illius ingenio testatus est Vincentius Glaria, qui publice rhetoricae artis praecepta tradebat. Pisis vero in disciplinam traditus Francisco Fratri, qui jus civile summa cum laude profitebatur, plurimum in omnis juris scientia profecit. Factus itaque an. 1658. Institutionum Pontificiarum magister, neque multo post extraordinarius, ut vocabant, juris civilis, multis invidentibus, quos ingenio industriaque sua frangebat, eam est

(1) E' gentiluomo di mediocre abilità, serve però con grande applicazione, ed è incessantemente applicato allo studio, ed ha la maggior parte degli scolari. *Is anno 1696. deseruit Academiam, cum Primicerius, uti loquuntur, in Foroliviensium Canonicorum collegio electus fuisset.*

laudem adolescens consecutus, ut perpauci illi pares ponerentur (1). Quod natura igneum illi ingenium dederat, aditus ad eum difficiliores erant, & facere non potuit, quin Magno Duci & sententiam & voluntatem suam declararet deserendae Academiae, ut caussarum patronum ageret in patria (2). Anno 1693. decennio post quam ab illa discesserat, rediit ad ipsam cum stipendio CCC. centussium, quod non multos post annos auctum fuit ad CCCXL., & tum ordinarius juris Pontificii praeceptor declaratus est. Tantum profecisse videbatur, ut nihil esset, quod non illi tribueretur, & remissius & placatius aliorum insulsitates ferebat, cum & dies, & opinio hominum, & amicorum monita mitiorem fecissent. Dum erat in suo munere occupatus vita excessit III. non. Maii 1705., & qui opera, consilio & studio singulari ejus rei & famae praesto semper fuerat Macchiavellius Academiae Curator, morienti sic adfuit, ut plura a parente expectare minime potuisset.

Audiebant libenter discipuli Carolum Bizzarinium Senis nobili loco natum Id. Maii an. 1655. Angelo patre, matre autem Olympia Ugurgeria, propter opinionem doctrinae, & propter eximiam morum suavitatem vehementer amplectebantur. Venit ipse Pisas an. 1678. Institutionum Caesarearum interpres, postquam in patria Academia ingenii signa haud vulgaria dederat, ac quadriennio post extraordinariam juris civilis cathedram conscendit. Quanquam saepe podagrae

(1) *De eo an. 1662. haec scripsit Minerbettus Academiae Curator*. E' ingegnoso, erudito, e per la prontezza, per lo studio, e per l'esquisita lingua latina riesce benissimo ne' circoli, e nella professione. E' desiderabile che si applichi a camminare più moderato.

(2) *Bona cum Principis venia id fecit, ut ex hoc rescripto cognoscitur*. Concede S. A. licenza a M. Bencivenni Ceffini Fiorentino straordinario civile, che ha chiesto di poter venire a far l' Avvocato a Firenze, e di avere per le spese che gli bisogneranno il sussidio di 195. scudi.

doloribus afflictaretur, nunquam tamen vel privatim, vel publice docens deerat juris civilis studiosis, quare cum an. 1692. veniam petiisset deserendae Academiae Pisanae, ut in patria doceret, nemo non indoluit illius discessum. Anno post remeavit ad ipsam ordinarius juris Pontificii interpres cum CC. centussium stipendio, quod tenue visum est pro eximiis hominis meritis. Tandem liberaliora a Cosmo III. praemia accepit, cum in Florentinum collegium, quod Rotae Auditorum vocatur, lectus fuisset, in quo integritatem suam & doctrinam omnibus probavit. Dum Pisis fuit (fuit autem ad Aprilem usque an. 1698.) exaraverat commentaria ad *Legem cum avus*, ea mente ut in vulgus ederentur, quod cum minime praestitisset, non defuerunt qui negligentiae Josephum filium accusarent, quod de patris gloria non admodum sollicitus sivisset tam utilissimum opus in scriniis latere. Naturae concessit Senis an. 1711. cum ejus domus non a litigiosis solum hominibus, qui consulendi caussa ad eum veniebant, sed etiam ab humaniorum litterarum studiosis coleretur.

Ab ipsa Senarum urbe obtinuimus Ernandum Amerighium, qui minime expectationi, quam de se commoverat, respondit. Cum multis in rebus ejus negligentia culpata est, tum maxime in Doctoris muniis obeundis. Nihilo tamen minus tredecim & amplius annos apud nos mansit; venerat enim an. 1685. Institutionum Caesarearum interpres, a quarum cathedra quadriennio post transitum fecit ad extraordinariam juris Canonici, & honoratiorem quidem locum, & liberalius stipendium obtinuisset, nisi obstitisset ejus desidiosa natura. Neque malevolentiae crimen effugit, cum scriptum quoddam Sergrifio Auditori injuriosum in vulgus sparsisset, quam ob rem mense Quintili an. 1699. missionem ab Academia petere coactus fuit. Quo anno, & quo in loco obierit ignoro. Is quidem nobili genere natus erat Senis ineunte anno 1658. patre Marco Antonio Amerighio, matre Philomena Placida, & in ipsa patria frequentaverat adolescens Intronatorum Academiam, & Caesareas Institutiones per biennium e superiori loco explicaverat.

Balthassar Ansaldius nobilis Miniatensis & Stephanianus Eques, quanquam consederit per totos XXVII. annos in omnibus juris Pontificii cathedris, & diligenter etiam atque etiam, quae suorum munerum fuerunt, executus sit, nullam tamen aliam mercedem laborum tulit nisi CCXX. centusses. Is in patria naturae concessit IV. Kal. Quintilis an. 1713. quando uberiores fructus industriae & doctrinae suae laturus videbatur.

Nihil sane erat quod non a Lazaro Benedicto Miglioruccio perfici & obtineri posse judicarent Academiae Praefecti. Is anno 1686. coepit Pontificias Institutiones explicare, & mirabiliter favit ejus honori Sergrifius (1), quod, vel antequam nasceretur, ejus pater cum hujus domo familiaritatem constitutam habebat. Ad hanc confirmandam plurimum valuere probitas, & ingenuitas adolescentis, & singularis, quam in studiis adhibuit, industria. Minime expers erat Graecarum litterarum, satis callebat Latinas & Italicas, veterem historiam, & illam praesertim, quae pertinet ad Ecclesiam, perfecte tenebat, juris vero Pontificii consultissimus, ut cognosci potest ex authenticis ejusdem collectionibus, interpretationibusque, paullo vetustioribus (nihil enim nisi quod vetustatem redoleret amabat) & ex commentariis in Canonicas institutiones (2). Haec quidem utilia fuerunt omnibus iis, qui haec tractare solent, & diu scholae Miglio-

---

(1) *Cum de eo an. 1693. referret ad Principem ait*: legge da 6. anni in quà Instituzioni canoniche con grandissimo credito, e concorso di molta scolaresca, & è giovane di molta dottrina, di acuto ingegno, e di buona fama.

(2) *Opus sane utilissimum quatuor voluminibus comprehensum hunc praesefert titulum*. Institutiones juris Canonici cum explicationibus, in quibus universum jus Pontificium proponitur, & notitia historiae Ecclesiasticae passim illustratur, nec non variis disputationibus, aliqua novitate ad usum scholasticum excitatis, discussisque elucidatur. Pisis 1712. ex typographia Francisci Bindi in 4.

ruccii nomine personuerunt. Idem & juris Romani leges, & peritorum responsa noscebat, quae ab Canonici Doctoris officio & munere sejuncta haud esse debere arbitrabatur. Quòd vero saepe in interpretandis juris civilis legibus dissidebat ab Josepho Averanio, quo nemo fuit apud nos iis temporibus doctior, facile hoc illi ignoscerem, nisi intercessisset illa vitiosa aemulatio, quae rivalitati similis est. Totos viginti annos rexit ordinariam juris Canonici cathedram, cum antea per undecim extraordinariae satisfecisset. Obiit autem IX. Kal. Quintilis an. 1724. aetatis annum agens LXII.

Magna quidem spes fuit in Vincentio Puccinellio nobili Pisciensi, cum primum ad Academiam venit an. 1689. (1) Institutionum Pontificiarum magister, neque eam fefellit, cum ad annum usque 1743. quo obiit, diligentissime muneribus suis satisfecisset. Vel cum in flore erat aetatis de eo affirmare minime dubitavit Sergrifius praeclare institutum fuisse, valere ingenio, frequentari a discipulis, & ad summam laudem gloriamque contendere. Nec solum summe omnis juris studiosus fuit, sed & omnia, quae a sapientissimis viris ad bene beateque vivendum tradita essent, summo studio curaque didicerat, nec quidquam potius habebat, in quo acquiesceret, quam de omnibus benemereri, neque ullum existimationis bonae fructum amittere. Non minus virtutibus excelluit Josephus Maria Venturinius Pontremulensis, quem comitem habuit Puccinellius, cum is ab Institutionum civilium cathedra, quam obtinuit an. 1687. triennio post ad canonicarum legum elementa tradenda vocatus fuisset. Sed doctrina & ingenio minus valebat, & cum anno 1706. potestas ei facta fuisset redeundi in patriam, nullum alium laborum fructum tulit, nisi annuam LX. centussium pensionem. Actum an. 1695. de committenda

(1) *De eo haec retulit Academiae Curator an. 1693.* Legge da tre anni in quà con molto credito e frequenza di scolari, ed è giovane d' ottimo ingegno, e di savj costumi.

Digitized by Google

Andreae Farsettio Massensi ordinaria juris canonici cathedra, postquam per decennium juris civilis studiosis consuluerat. Cum moribus esset gravissimis & integerrimis, & in litteris viveret, honoratissimo loco dignus judicabatur (1). Et hunc quidem obtinuit, quamvis non sine querela fuerit Caroli Bizzarinii, qui se minime passurum affirmavit, ut Farsettius sibi seniori praeferretur in regenda vespertina cathedra, quam & nobiliorem, & sibi commodiorem esse arbitrabatur. Sergrifii auctoritas gravissima intercessit, ne inter se dissiderent, sed haec minime valuit ad retinendum diutius Farsettium, cum utilius rationibus suis judicasset forum agere, factus jam, uti loquuntur, Judex Ordinarius in Senarum urbe. Sedit & in collegio Judicum Florentinorum, quos Rotae Auditores appellant, cujus dum munere magna cum sapientiae & integritatis laude fungebatur, & cum complesset nondum sexagesimum aetatis annum XVI. Kal. Martias an. 1715. vitam amisit. Quod magna erat opinio illius, non fideliori ac prudentiori se commendare posse putavit Antonius Magliabechius quae testamento jusserat de instituenda Florentiae publica bibliotheca. Ac mihi quidem saepe numero in summos homines ac summis ingeniis praeditos intuenti, qui Florentiae iis temporibus floruere, gratulandum videtur Farsettio, quod omnes conjunctos consuetudine sic tenebat, ut in ejus sermone, consilio ac sapientia prorsus acquiescerent. Judicari autem potest de ejus doctrina in omni juris prudentiae genere ex iis, quae reliquit, scriptis, in quibus & subitae ad propositas caussas exercitationes, & accuratae & meditatae commentationes inveniuntur (2). Licet etiam de ingenio Farsettii conjicere ex iis,

---

(1) Giovane di serissimi costumi (*ita Sergrifius*) e indefesso nello studiare, e la cui scuola è copiosissima.

(2) *Extant Massae apud Petrum Ceccopierum volumen I. Adnotationum ad ea, quae Franciscus Marsarius Vicetinus Jurisconsultus de Fideicommissis exaravit, volumina II. Allegationum & Consiliorum, & XIX. usque volumina, quae inscribuntur;* Repertorii Legali.

quae de interpretatione Etruscae vocis ***occorrenza*** disputata fuere, qua in disputatione Toccius, Salvinius, aliique, qui de illa scripserunt, multum sane illius auctoritati tribuere (1).

Dum veteres jurisconsultos intueor, majus quiddam animo complexum, & plus multo etiam vidisse judico Franciscum Mariam Corsinianium Puppiensem, in quo mirabile fuit ingenium ad omnes artes feliciter excolendas. Carmina Latina & Etrusca vel ex tempore fundebat (2), in quibus nihil inane erat, nihil inconditum, nihil claudicans, nihil redundans; sive vero narraret aliquid, sive persuaderet, sive doceret, quasi quaedam forma & lumen orationis apparebat, sic ut duo illa, quae condiunt orationem, verborum numerorumque proprietas, & jucunditas, in illius potestate esse viderentur; pollebat judicio ad optima quaeque seligenda, compleveratque pectus multarum rerum notitia, sine qua manca quodammodo & imperfecta esset legum scientia. Is primum ad Academiam venit an. 1680. Caesarearum Institutionum Magister, a quarum cathedra sexennio post transiit ad extraordinariam juris civilis (3); neque multos post annos, cum instituta fuisset a Ferdinando Principe Florentiae nobilium, ut appellabant, juvenum Academia, cui intererat esse, qui traderet juris regulas, ad

(1) *De eo Toccius affirmavit tali praeditum fuisse mente*, Onde ogni scienza disfavilla (Dant. Purg.) *Vid. etiam Salvinium* Disc. Accad. Part. III. Disc. XXVII.

(2) *Lamius* in volum. I. Mem. Illust. Ital. p. 118. *inter eos, qui extemporali poesi sua aetate praestiterant, cum Perfectio & Adimario numerat Corsinianium. De ejus praestantia in poesi mentionem etiam faciunt Crescimbenius* Istor. della Volg. Poes. vol. IV. p. 194. *& Auctor vitae Petronillae Massimae, quae est* in vol. IV. delle vite degli Arcadi illustri.

(3) *Tum de eo haec retulit Academiae Curator*. Si è portato molto bene nella serietà de' costumi e bontà di vita, come per l'attenzione in servire molti e molti scolari, avendo la miglior scuola d'ogni altro Institutista, ed è di alti talenti, e brama di portarsi avanti.

hoc munus delectus fuit Corsinianius, in quo summa erat haec docendi facultas, si unquam in ullo fuit. Itaque eam partem, quae ab exquisita quadam ratione & doctrina proficiscitur, sic attingebat, ut multos inflammaverit desiderio omnem juris prudentiam tenendi. Anno demum 1698. declaratus est ordinarius juris Pontificii magister, in qua etiam facultate primas illi deferre omnes videbantur. Quid sibi pro expectatione discipulorum, pro Magni Ducis in se meritis, & pro ratione sui muneris faciendum esset eloquenti adeo oratione exposuit, ut traduxerit omnes, qui audierunt, ad magnam admirationem. Tum vero Magni ipsius Ducis beneficio plus quam pro virili parte se obligatum putavit, cum per eum sibi licuisset in re omnium maxima laborare. Nemo ignorat Victorium Amadeum Sardiniae Regem ex omnibus ad regnandum, & ad agendum semper aliquid dignum viro fuisse natum, & in eo maximam regni sui gloriam posuisse, quod sapientissimis legibus subjectis sibi populis consuluerit. Volens autem has referre in codicem, qui haberet ordinem, & certas ac breves jubendi rationes, tantum multorum testimonio ac judicio tribuit Corsinianio, ut illum ad hanc rem maxime aptum judicaverit, eidemque totam commiserit

Verbis, quae timido quoque possent addere mentem (1).

Dum hic maximam curam sollicitudinemque sustinebat, ut Regi & omnibus viris bonis & aequi amantibus satisfaceret, multa adversa perpeti debuit. In eo fortasse peccavit, quod comitem laboris sibi adsciverit Berterinium quemdam, cujus diligentiae etsi plurimum confidi poterat, tam nullius fidei & integritatis homo

(1) *Is Augustam Taurinorum an.* 1719. *concessisse ex litteris Apostoli Zeni ad Marmium Equitem colligi posse videtur. Datae sunt illae XII. Kal. Maii ejusdem anni, in iisque sunt haec verba.* Ho poi goduto in estremo dell' onore fatto dall' A. R. di Savoja a cotesto dottissimo Sig. Corsignani, che molto bene sosterrà col suo talento e valore il peso onorevole da un tanto Principe raccomandatogli.

fuit, ut in multorum suspicionem & odium venerit, & in maximas calamitates inciderit. Ceterum quod ad codicem illum legum pertinet, in quo multa etiam referuntur, quae superiores Reges jusserant, sanctione regia consecratus fuit V. Id. Quint. an. 1729. eodemque anno vulgatus cum hoc titulo: *Leggi e constituzioni di sua Maestà* (1). Sed non vidit Corsinianius laborum suorum fructum, nec plausus audivit, cum quadriennio ante mortem Florentiae, ad quam urbem an. 1724., expleto mandato, redierat, obiisset. Sepultus est in S. Michaelis cum hac inscriptione.

D. O. M.
FRANCISCO MARIAE CORSIGNIANO PUPIENSI
QUEM SUIS CLUSENTINUS AGER MONUMENTIS EXORNAT
CARMINA LATINA ETRUSCAQUE SUBITO CALORE FUNDENTEM
FLORENTIA J. V. CONSULTUM IN NOBILIUM JUVENUM ACADEMIA
PISAE IN FACULTATUM UNIVERSITATE DOCENTEM AUDIERUNT
AUGUSTA TAURINORUM POSTREMO MIRATA EST
REGALIUM JURIUM COMPILATOREM EXIMIUM
MOESTISSIMA CONJUX POSUIT
UT DIU VIVERET MEMORIAE
QUI SATIS VIXERAT FAMAE
OBIIT FLORENTIAE AETAT. ANN. LXV.
R. S. CIↃ DCCXXV. POSTR. KAL. DEC.

---

(1) *Hic codex editus iterum fuit Parisiis an. 1770., cum plura mutata fuissent & etiam addita. De eo vero sic judicavit vir summus Argensonius Comes:* Cette monarchie est de la proportion qu'il faut pour ètre bien gouverné: aussi le Roi Victor l'avoit il autant bien reglée, qu'il eut pù etre une République &c. Il en a redigé toutes les loix dans un seul code &c. Les grandes monarchies pour se relever de l'indolence qu'entrainent leurs grandeurs, y auroient pû prendre des leçons utiles & applicables a chacunes de leurs Provinces: *Interets de la France avec ses voisins.*

Unum Corsinianii nomen si in monumento inscriptum fuisset, satis superque ad laudem sufficere potuisset: nam, ut testatus est Alexander Politus (1) ipsum facile assimilasses Quinto Mucio Scaevolae, de quo solitus erat dicere Lucius Crassus, *quod homo esset omnium & disciplina juris civilis eruditissimus, & ingenio prudentiaque acutissimus, & oratione maxime limatus atque subtilis, atque, ut ego soleo dicere, Jurisperitorum eloquentissimus, eloquentium Jurisperitissimus*.

Non facile quidem invenies homines, qui aeque ac Corsinianius ex variis & diversis studiis & artibus tot & tam magna collegerint ad ornandam juris prudentiam. Nam plerique haec ab jurisconsulti proprio officio ac munere sejuncta adeo arbitrabantur, ut eos irridere viderentur, qui aliquid amplius afferrent, quam quod caussarum necessitas postulabat, exiguis adeo finibus totum jurisconsulti munus circumdabant. Hi duritatem, & severitatem quamdam verbis, & orationis quasi barbariem sequebantur, perinde ac si graviorem & probabiliorem fore putarent, quo magis elegantiae expers erat. Quorum exemplum quam perniciosum fuerit quilibet per se facile judicare potest. Sed veniamus ad reliquos, de quibus difficile est plus intelligere, quam quantum ex monumentis Academiae suspicari licet, cum scripta nulla reliquerint. Laurentius Brunaccius a Monte Alcino, cui commissa fuerat cura Collegii, ut vocant, Ferdinandi, an. 1700. declaratus est ordinarius & practicus Juris Pontificii magister. Totum decennium (obiit enim XIII. Kal. Octobris an. 1710.) sic muneribus suis praefuit, ut nihil maluerit, quam adolesceutibus, quae ipse ingenio ac studio sibi comparaverat, communicare. Eodem tempore ut potuit & debuit gessit magisterium suum Dominicus Poggialius Pistoriensis, qui eodem illo anno 1686. quo insignia doctrinae acceperat, factus

(1) De Patris in Testamentis condendis potestate lib. 1. cap. 11.

Digitized by Google

est Institutionum Caesarearum interpres. Sexennio post permissum illi fuit adesse Patri, qui Liburni portoriis prospiciebat. Sed anno 1699. revocatus ad suum pristinum munus fuit, neque multo post jussus in Pontificiis rebus versari, has docuit ad annum usque 1745. quo e vita cessit. Homini, qui per totos ferme sexaginta annos operam praestiterat satis diligentem Academiae, minime pendebantur nisi CCLXXX. centusses, quod referre libuit coarguendi eos caussa, qui praeteritis temporibus liberaliora fuisse laborum praemia affirmant.

Superiorem quidem nunquam, sed parem Poggialio se fieri petiit illius civis Jo. Andrea Pinius nobili genere natus, qui postquam per binos annos jus Pontificium extra ordinem docuit, an. 1712. declaratus est ordinatius magister. Viginti post annos rude donatus, honorificentiora spectavit, & anno quidem 1737. praefectus fuit Florentino Nosocomio, quod S. Mariae Novae dicitur, cujus dum rebus naviter consulebat, vitam amisit III. Non. Martii an. 1742. Jo. Paullus Gualterius Florentinus, Laurentius Antonius Cappuccius Bibienensis, & Joseph Maria Ruschius Pisanus Canonicus postquam institutiones Pontificias explicarunt, honoratiores locos occuparunt. Gualterius docuit per annum institutiones civiles, & rexit Ducale Collegium, & cum per triginta totos annos operam tribuisset Academiae, ex hac vita migravit ineunte Quintili an. 1734. Septennio post Cappuccius, qui septennio serius venerat, Ruschius autem decessit XVI. Kal. Octobris an. 1744. XXVIII. scilicet post annos quam ingressus fuerat in stadium juris prudentiae Canonicae. Si esset istius juris magna & difficilis cognitio, pluribus verbis laudassem industriam illorum, qui huic scientiae praefuerunt, sed quod omnes fere maluerunt certis in aliquibus sententiis explicandis consistere, quam origines & caussas legum quaerere, minime ex raro jurisconsultorum numero illos fuisse judicabis.

Docuimus supra eo in capite, in quo de theologis egimus, mandatam fuisse Petro Antonio Rossio explicationem theologicam & historicam sacrorum canonum, ejusque caussa hujusmodi cathedram

institutam fuisse. Renovatum postea hujusmodi mandatum an. 1736. fuit Francisco Mariae Piccolomineo Comiti & Equiti, qui antea per totos X. annos institutiones Canonicas explicaverat. Atque in eo ingenium illius elucere videbatur, quod minime sectator esset alienarum sententiarum, sed quo quisque animo, quibusque nixus fundamentis sua dogmata pronuntiaverit, quid tempora tulerint, quid mutaverint, satis erudite exponeret. Usque eo judicio suo in ponderandis Canonicis rebus utebatur, ut regiae majestatis fautor judicaretur. Nec sane dubito quin hoc multum valuerit, quanquam in eo esset & summa generis nobilitas, & morum integritas, ad obtinendam an. 1737. Imprunetae, ut vocant, paroeciam, ac quatuor post annos Pientinum Pontificatum per eos, qui Etruriae imperabant, & ad alendam in eo spem majorum etiam dignitatum. Qua ut se frustratum vidit, postquam Cervinius Archiepiscopus Senensis creatus est, inimicus omnis regiae potestatis aperte est factus, & hoc constantis hominis esse putavit, anathemate eos omnes percellere, & vexare edictis severitatis plenis, qui ad voluntates suas minime incumbebant. Sane fortis animus in homine nec perfecto, nec sapiente ferventior plerumque est, & cum vel potentiorum inimicitias suscepisset, tandem coactus fuit egredi/ex Etruriae finibus, & Romam in exilium proficisci. Ut sponte cederet suo Pontificatu diu actum est; paruit tandem Summi Pontificis voluntati, a quo & annuam pensionem ad vitam decore sustentandam obtinuit. Sic vitam Romae traduxit, ut misericordia magis, quam odio dignus videretur, cum haec semper summa duxisset, in obeundis religiosi hominis officiis, & in renovandis studiis, quibus a prima aetate deditus fuit, bonum otium consumere. Vixit autem ad aetatis usque annum LXXXIX. cum in lucem Senis venisset XI. Kal. Januarii an. 1695., mortem autem obiisset Romae V. Kal. Februarii an. 1784.

Quanquam ii fere omnes, de quibus diximus, instutiones Canonicas interpretati fuerint, non omnes tamen, qui huic muneri praefuerunt, & qui minime ad altiora conscenderunt, commemorandos pu-

tavimus. Coepit illas docere, quemadmodum supra narravimus anno 1641. Laurentius Pettininius, docuitque ad annum usque 1648. paucos post menses ejus locum occupavit Franciscus *degli Empoli* Florentinus, tenuitque per triennium, cum an. 1652. successorem habuisset Philippum Magnanium, ipsum quoque Florentiae natum; alii postea docuerunt, de quibus multis mentionem fecimus. Nostra autem hac aetate non unus modo, sed & bini, interdum tres, & quatuor usque tum antemeridiani, tum pomeridiani fuere Institutionum juris Canonici interpretes, ex quibus commemorandos putamus Bartholomaeum de Abbatis Pisanum (1) Joannem Aloysium Pellegrinium a Monte Carolo, Caesarem Ferdinandum Deguigues Liburnensem (2), ac demum Caesarem Albericum Burgum Pisanum, quos, quod fidem, diligentiam, ac studium praestiterunt Academiae singulare, honore dignos judicavimus.

(1) *Alii asserunt Abbatium in oppido, cui Pons Erae nomen est, natum fuisse. Is an. 1710. Academiam reliquit, ut in sodalitatem Presbyterorum a S. Philippo Nerio institutam admitteretur.*

(2) *Is magnae doctrinae singularisque bonitatis fuisse dicitur, mortemque obiit an. 1735.*

CAPUT XI.

De juris civilis magistris.

Qui circumspexerit quam multi essent in hac ceterisque Italicis Academiis juris magistri, facile judicabit nullam unquam extitisse disciplinam, ad quam addiscendam aut spe uberiore, aut praemiis amplioribus adolescentes commoverentur. Si quis vero convertat animum ad ea, quae a perfecto jurisconsulto requiri solent, fortasse mirabitur ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum tam exiguum numerum inveniri eorum, qui hoc digni nomine, haberi possint. Qui hanc scientiam profitentur tres in classes dividi solent: una est eorum, qui subsidiis sibi comparatis antiquitatis notitiae, & linguarum tum Graecae, tum Latinae, & veteris philosophiae, non solum explicare se posse putant, quid jubeant Romanae leges, quidque iis caussam dederit, sed etiam ostendere quantum omnium gentium legibus sint anteferendae; altera est eorum, qui in omni genere caussarum locos habent paratos vel ex interpretum opinionibus, vel ex magistratuum sententiis, ad quos cum confugiunt, praesidium clientibus, atque opem amicis, ac prope cunctis gentibus porrigere se pos-

Digitized by Google

se arbitrantur; tertia demum est eorum, qui & illos eruditos & hos pragmaticos contemnunt, omnem aequi & boni scientiam ex naturae legibus repetentes. Quidquid hi pronuntiant, ipsos si audis, judicium gravissimum censeri debet, neque dubitant affirmare actum fore de imperiorum felicitate, nisi ex novo hoc genere prudentiae exprimatur, quod coercere omnes cupiditates, nostra tueri, & aequalitatem societatemque inter homines servare valeat. Si quem ista praepotens, & gloriosa philosophia adeo delectat, ut irrideat omne id, quod jure civili, & legibus Romanorum continetur, quibus per tot saecula paruerunt homines, quia merito judicarunt tanta sapientia illos fuisse in jure constituendo, quanta fuerunt in opibus imperii comparandis, jubebo illum oculos ad eas nationes convertere, quae dum jura hominis, naturales atque insitas in animis nostris degendae vitae, dirimendarum controversiarum, & gubernandae rei publicae notiones se omnes gentes docturas profitentur, tantas excitarunt turbas, tot mala pepererunt, ut non videam qua ratione ipsius Reipublicae navim e maximis turbinibus ac fluctibus salvam in portu sint collocaturi. Porro caput est ad feliciter vivendum securitas, qua frui non possunt homines, nisi leges omnibus semper una atque eadem voce loquantur, nisi sit justorum injustorumque distinctio, ad illam quidem antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, sed quam mens & ratio prudentum, & omnium gentium consensio confirmaverit, & quod hujusmodi plura habet jus civile Romanorum, quibus tanquam fundamentis innititur, sapienter ii egisse judicandi sunt, qui summam illi auctoritatem tribuere, qui in illo explicando operam collocarunt, quique ita conservandum putarunt (stultissimum enim esset existimare omnia justissima esse, quae scita sunt in populorum institutis, aut legibus) ut nonnulla, quae erant propria illorum imperii, & apta temporibus, prudentia temperentur. Ex his vero omnibus, quae summatim tetigimus, facile intelliges ad perfectam juris civilis scientiam consequendam necesse esse, ut illa tria genera jurisconsultorum ita copulentur, ut unum quodammodo effi-

Digitized by Google

ciant. Nam quae esset illa juris prudentia, quae ignoraret mores, ritus, institutiones, doctrinam & linguam eorum, quorum leges interpretandas suscepit? Si quis vero nesciret quae leges sua vetustate consenuere, aut novis legibus fuerunt sublatae, neque cognosceret peritorum responsa in obscuris interpretandis, ac dubiis definiendis, non satis instructus ad forum posset accedere; ii vero in sua patria peregrini atque advenae esse viderentur, qui negarent opus esse jurisconsulto haec tenere, suaderentque studiosis adolescentibus ad quamcumque caussam definiendam melius quam a peritis, vel de libris depromi posse a jure naturae justi injustique regulam, quasi conditores legum Romanarum hujus auctoritate suas leges, suaque jura recta esse noluissent. Sit igitur jurisconsultus horum quoque facultate ornatus; verum nisi sibi comparaverit legum notitiam ex purissimis fontibus haustam, & prudentiorum consensu confirmatam, & in caussis obscurioribus nisi teneat quid definitum sit ab illustrioribus magistratibus, vereor ne satis perite in negotiis & foro versari possit. Fortasse non omnia haec inerant in iis jurisconsultis, quorum opera utebatur Academia, dum Ferdinandus II. accessit ad Etruriae gubernacula, tales quidem erant, ut iis merito gloriari potuisset, nec quisquam esset eorum, qui si jam sibi ediscendum esset aliquid, non maluisset illos, quam ceteros omnes audire. Quis Philippo Facchineo acutior? Unum in illo desiderasses, ut rebus suis & familiae magis consuluisset, neque bonum otium, & satis lautum patrimonium, quod ab Hieronymo Mercuriali acceperat (1) in aleae ludis consumpsisset. Quis diligentior & laboriosior Turno Pinoccio? Quis eruditior Nicolao Bonapartio, & Camillo Accarisio? Quis Georgio Pinellio tum in judicando, tum in respondendo peritior? Quis Antonio Curinio, &

(1) *Hujus hereditatis caussa, propter quam lites ferre debuit, anno 1639. coepit in albo Doctorum Hieronymus Mercurialis appellari.*

Sancte Ballerinio in memoriter retinendis iis , quae Romanis legibus sancita sunt , felicior ? Quis Attilio Corsio ingeniosior , & Antonio Merenda ad lacessendum atque ad cavendum paratior ? Quoniam de his omnibus , aliisque satis multa superiori in volumine diximus, reliquorum aetates & gradus nunc persequemur. Sed antequam ad rem propositam veniam, laudabo Ferdinandi II. sapientiam , qui ut consuleret iis, qui nobili genere Florentiae nati erant, quique paupertate impediebantur , ne ad Academiam accederent studiorum juris prudentiae caussa , M. usque annuos centusses ad alendos per quinquennium decem adolescentes assignavit, qui specimen jam ingenii probitatisque morum dederant , ut in subselliis sic habitarent, ne degenerasse a majoribus suis viderentur (1). Tali modo & nobilitati favere voluit, & multos incitare ad juvandam patriam consiliis & opera, cum nobilitas sit nihil aliud , quam cognita sapientia.

Inter multos , qui praefuerunt huic juris civilis scientiae , ampla & praeclara putabatur professio eorum , quibus commissa erat Pandectarum interpretatio , quamvis non deessent rudes leguli , qui in inutili exercitatione illos versari & dicerent & scriberent (2). At si quis

---

(1) Vuole S. A. che sopra la tassa dell' arme si fondino dieci luoghi di 200. scudi l' uno per i giovani nobili Fiorentini , e che il Segretario dello Studio per mezzo dell' Auditore riferisca della nobiltà, età, facoltà, capacità e probità de' pretendenti, che si confermino d' anno in anno, che sieno obbligati di addottorarsi, e non facendolo restituiscano il percepito , e che il Provveditore invigili sulla loro condotta e sulla osservanza delle loro obbligazioni.

Persio Falconcini 27. Settembre 1641.

(2) *His verbis scribebat Sommaja ad Principem*. La lettura delle Pandette , che si legge in Bologna, Padova , Perugia , Siena & Pavia , è bellissima lettura, ma difficile a trovare chi la legga bene , & anco è tenuta da cert' uni di poco utile.

unquam fuit, qui hujusmodi errori obviam iverit, fuit profecto Camillus Accarisius, qui reminiscens quantum a Bonapartio huic cathedrae splendoris atque ornamenti accessisset, nulli quidem labori pepercit, ut tanti viri gloriam aequaret. Cum is autem ex hac vita excessisset an. 1630. in ejusdem locum suffectus fuit Aurelius Galvanius Alexandri Ferrariensis nobilissimi jurisconsulti filius. Is sexennio antea (agebat tum tricesimum aetatis annum) venerat ad nos extraordinarius juris civilis interpres, quod non tam merito adolescentis, qui per septennium non solum docendo, sed etiam caussas defendendo & judicando juris prudentiam in patria exercuerat, quam Atestinorum Principum commendationi concessum fuit. Ajebat se quotidie considerare, nihil sibi esse committendum, quamobrem patris, quem saepe, & jure, & merito laudabat, non se similem praeberet, eaque propter multum vigilabat in studio, nec tam elaborare solebat, ut sibi multa discens prodesset, quam ut discipulis suis consuleret. Atqui per quadriennium Pandectas interpretanti multa ex interiori eruditione quaerenda fuerunt, quae ab usu forensi erant aliena, quaeque propterea pragmatici parum, aut nihil curabant. Rediit vero cum his in gratiam, cum ad circulos & disputationes forenses omnino rediisset, factus an. 1634. ordinarius & vespertinus, qui omnium honoratissimus locus esse putabatur, juris civilis magister. Biennio autem post caussam afferens infirmae valetudinis, & insalubritatis caeli Pisani Firmum concessit, ex cujus urbis Gymnasio an. 1639. ad nostrum remeavit iterum Pandectarum interpres. Anno quidem 1635. horum explicandorum onus impositum fuerat Laelio Mancinio Politiano, sed illud paullo post deposuit magnis allectus praemiis, quae sibi a Patavinis offerebantur. Nec D. centussium merces valuit ad diu retinendum Galvanium ipsum. Nam homo plus quam satis esset gloriae & pecuniae avidus, vix expleto suae conductionis biennio, tentari sivit a Patavini Gymnasii praefectis, a quibus, sicuti testatur Papadopolus, oblatus illi fuit honoratissi-

Digitized by Google

mus locus, & stipendium nongentorum & quinquaginta Florenorum, quod postea ad mille quadringentos & quinquaginta auxere. Iam si quaeris quid de eo senserint Academiae nostrae Praefecti, multa sane honorifica de illo invenies in Sommajae scriptis, cujus testimonio plurimum nos tribuere solemus (1). Thomasinius vero affirmare minime dubitavit (2) fuisse *virum integerrimum & studiosissimum*, *qui eruditissimi patris exemplo*, a cujus schola prodierat,

---

(1) *De eo cum referret ad Principem an.* 1632. *ait.* M. Aurelio Galvani Ferrarese Pandettista ha 15. anni di Dottorato 4. di lettura in Ferrara, e 8. in Pisa, che uno non venne per il contagio, stette però a Volterra con molto disagio e spesa in quell'anno. Fu condotto con 150. scudi e nel 1628. ne ebbe di aumento 30. Pretende ora la condotta finita, non ostante l'anno che non venne, e chiede aumento. Questo è bel lettore, legge e disputa bene, e per dire così è di una assai pulita letteratura. E' stato quest'anno in pratica stretta di andare a leggere a Fermo con scudi 500. e dicono per certo che sia rimasto da lui, che ne pretendeva 550. *Ad haec rescripsit Princeps*. Riconducasi con augumento di 50. scudi. *Alio in loco retulit Sommaja*. Marco Aurelio di Alessandro Galvani Ferrarese, che morì nel 1616. in Padova Ordinario civile della sera, e questo suo figlio stampò un tomo de' suoi Consulti. E' di anni 38. di mezzana statura, di buoni costumi, senza moglie. Non passa quanto a nobiltà, se non dl nome di cittadino: ma esso, come altri suoi parenti, sono persone honorate, e ce ne è uno Procuratore. Si dottorò l'an. 1617. Ha letto in Ferrara; in Pisa cominciò Estraordinario civile nel 1624. Ha letto 4. anni e legge tuttavia le Pandette. E' persona che ha del quieto, di bell'ingegno, buona dottrina, buonissima lingua latina, studia assai e legge con applauso degli Scolari, in maniera che credo saria benissimo collocato un Ordinario vacante nella persona sua. Egli domanda la metà della provvisione, che aveva il Ballerino, che saria 345. scudi. *Ad haec rescripsit Princeps* 1634. Promovesi a una lettura di Ordinario civile della sera con stipendio di 330. scudi, e con obbligo di servire 4. anni.

(2) Hist. Gymnas. lib. 2. c. 9. p. 251.

dicendi elegantiam cum antiquitatis notitia clarissimis ingenii monumentis conjunxit. Sunt autem Galvanii ingenii monumenta libri, quos vulgavit, seu ut vocitaut *Tractatus de usufructu*, *de jure naturali*, *de jure gentium & civili*, *de jure familiae*, *de jure testamentorum*, *de longi temporis praescriptionibus*, *de pactis nudis*, *de contractibus*, *de dotis substantia*, *de dominio*, *de possessione*, & hujusmodi alia, quae commemorat Borsettius (1), quibusque magna tribui solet auctoritas ab iis, qui caussas agunt in foro, & judicant celebriorum jurisconsultorum sententiis. Ob haec animique virtutes magnum illius nomen apud Patavinos fuit, in quorum sinu vitam amisit an. 1659. Ejus cadaver tumulatum fuit eodem illo in sepulcro, quod sibi fecerat Alexander Pater in SS. Apostolorum Simeonis & Judae templo. Cum testamento vero legasset bibliothecam suam, multorum sane nummorum, Theatinis Ferrariensibus, hi tanti beneficii memoriam, posita eidem statua cum inscriptione in Aede, prope quam incolunt, posteritati commendarunt. Miraberis fortasse post Galvanii discessum nullum apud nos fuisse Pandectarum interpretem, de quo nunc dicere debeamus. Centum fere post annos haec cathedra suum recuparavit praeceptorem, qui, si quis unquam alius, hac sede dignissimus fuit. Sed de eo alius erit dicendi locus (2).

Dum Academia nostra eos, de quibus supra mentionem fecimus, jactabat jurisconsultos, quorum nomen universae Italiae erat notissimum, an. 1624. comitem dedit Galvanio in extraordinaria juris civilis cathedra Nicolaum Simium Lucensem, qui sexennio ante ad il-

---

(1) Hist. Ferr. Gymn. Lib. III. Tom. II. p. 233.

(2) *Diximus jam de Leopoldo Andrea Guadagnio, cum Pisis an. 1786. vulgavissemus ejus opus posthumum ad Graeca Pandectarum, cui operi ejusdem viri vitam praemisimus. Haec etiam extat in volumine XIII. vitarum Italorum doctrina excellentium.*

Digitized by Google

Iam venerat Caesarearum Institutionum Magister. De eo testatur Sommaja non solum juris prudentia, sed & humanioribus litteris fuisse ornatum, acceptum vero adeo Lucensibus suis, ut nihil supra, eaque propter dignum illum putare majoribus praemiis, cum ex aerario Academiae LXXV. tantummodo centusses ipsi penderentur. Dixerat Pisis, emiseratque orationem de laudibus Cosmi I. ex qua cognosci potuit sic illum jus civile didicisse, ut non esset artifex unius ejusdam generis atque artis, sed ut satis instructus copia rerum atque verborum potuisset ad cathedram accedere. Saepe etiam veniebat ad litteratorum hominum coetus, qui tum plurimi erant Pisis, cum carminibus & varii generis dissertationibus, & cum declaratus fuisset Primarius, uti loquebantur, Institutista, sic domi exercebat discipulos suos, ut non solum noscerent leges, & peritorum hominum responsa, sed etiam ut in omni recto studio atque humanitate versarentur. Is cum in flore esset aetatis, & magna ab eo speraret Academia, quamvis in ejus remuneranda opera non multum liberalis fuerit, vitam an. 1631. amisit, successoremque habuit Franciscum Schipisium Pisanum (1) de quo nunquam mentio facta est nisi ho-

(1) Essendo morto il Dott. Simi, vaca un Institutista primario, lettura di grandissima importanza, perchè insegna i principj e fondamenti del jus civile, i quali non imparati, o appresi male sono di danno notabilissimo, e molti restano in quell' ignoranza sempre, altri s' inviluppano, confondano, e stancano, in somma dal non essere gl' Institutisti particolarmente i Primarj, quali dovriano, e quale fu il Simi, ne seguono infiniti inconvenienti. Ciò supposto, e non essendo gl' Institutisti, che oggi sono in Pisa, capaci di questa lettura, crederei che fosse bene levare lo Schipis dallo Straordinario civile, che legge con 100. scudi, e dargli 60. scudi d'aumento, e passarlo a questa lettura primaria, perchè gli corre il vigesimo anno di lettura, nella quale si è portato di maniera per ingegno, dottrina, vivacità e prontezza, che è giudicato degno di un ordinario civile, e sono più di 10. anni, che non ha avuto aumento. *Hac Sommaja*.

Digitized by Google

norificentissima. Nam ingenio, doctrina, diligentia par summis esse poterat magistris. Quando is apoplexi correptus vitam amisit (accidit id non. Januarii an. 1656.) primum tenebat locum inter matutinos ordinarios juris civilis praeceptores cum trecentorum centussium stipendio, quod non admodum amplum fuisse judicaveris, si hominis spectes merita singularia, & longum quadraginta quatuor annorum spatium, per quod operam tribuit diligentissimam atque utilissimam Academiae.

Dum in caussis, in negotiis, & in foro conterebatur Julius Farsettius Massensis, desiderium illum tenuit sedem cum uxore & liberis collocandi Pisis, & operam tribuendi suam Academiae. Gratissimus illius adventus fuit & Massae Ducis, qui eum ad multas res gravissimas adhibuerat, & multorum amicorum commendatione, & Sommajae & Curinii Equitis testimonio. Hi enim tantum illi tribuere, ut dignum putaverint, qui cum Accarisio certamen doctrinae & honoris habere posset. Sed brevis cursus gloriae fuit, cum an. 1630. triennio postquam ad nos venerat, vitam amisisset. Ex eadem urbe Massae paullo post quam obierat Farsettius, ad Academiam accessit Ferdinandus Cattaneus mediocris doctrinae, sed non mediocris fortunae homo, qui Farsettio ipsi levir erat. Ejus enim sororem duxerat in matrimonium, ex qua nullos suscepit liberos. Multis erat ornatus animi virtutibus, ac patrem habebat, cujus summa erat in administrandis rebus Ducatus Massensis potestas. Nihil amplius de hoc homine, qui per quadriennium extraordinariam juris civilis cathedram rexit cum C. centussium stipendio, comperi, & de eo nimium multa fortasse dixisse videbor.

Is competitorem habuit Jo. Baptistam Canossam Pontremulensem, cui pater fuit Antonius, patruus vero Laurentius ille, quem institutorem habuerat Ferdinandus II. Cum an. 1627. ad Institutionum Caesarearum cathedram vocatus fuisset, quid studia, quid artes, quibus a pueritia floruit, quid patrui voluntas, cui ante omnes

fuit carissimus (1) quid omnium expectatio, & gratia Magni Ducis a se flagitarent, diligentissime vidit. Talis quidem fuit, ut jure meritoque ab omnibus, qui de ingeniis poterant judicare, laudaretur. Mansit is in Academia ad annum usque 1638. quo ad judicia exercenda Senas vocatus fuit. Abfuit autem ab ipsa toto illo tempore, quo pestilentiae timor Pisas occupavit, & quotquot hac de caussa abfuerunt Doctores, nil aliud ab Academiae ipsius aerario obtinuerunt, nisi quod satis esset ad solvendam domorum, in quibus habitabant, pensionem. Mortem obivit Canossa Sextili mense an. 1659. & quae reliquit scripta satis probant de jure aliquid uberius quaesiisse, quam forensis usus desiderat (2). Minime erat indoctus, neque tardus ad respondendum, neque inelegans ad explicandum Bernardus Flaminghius origine Miniatensis, ortu Florentinus, qui tum juris civilis, tum Pontificii studiosis per XV. annos & amplius satisfecit (3). Sed erat talis, ut cum audires Bonapartium, Mancinium, Accarisium, qui tum praestabant, videretur esse inferior. Accarisio Senensi ad Pandectarum cathedram an. 1628. evecto successit illius civis Hieronymus Benvolientius, qui in patria Academia per plures annos jus civile professus fuerat. Laudatur illius ingenium & doctrina, bonitas etiam, cum ut honori Aristidis patris consuleret, omnibus fere se fortunae bonis spoliasset. Itaque orbus iis rebus, quibus & familiae nobilitas, & consuetudo illum assuefecerant, maluit calamitosum otium in patria,

---

(1) *Cum hic an. 1623. in Stephaniano ordine, ut loquuntur, Commendam instituisset, quadriennio post hanc a se transtulit in Jo. Baptistam.*

(2) *Anno 1636. vulgavit Pisis* Synopsim seu distributionem Imperialium Institutionum.

(3) Legge con buona maniera e con talento, & è in povera fortuna. *Haec Sommaja, cum a Principe an. 1632. petiisset, ut is declararetur Juris Pontificii Ordinarius Praeceptor, quod & obtinuit. Sed paullo post Flaminghius e vita cessit.*

quam alibi, cum uxore & liberis consumere, ibique extremum diem morte confecit. Testis est Ugurgerius multa ad juris prudentiam pertinentia ipsum reliquisse, ac cetera inter magnum volumen *commentariorum in L. Gallus*, quod tum apud Franciscum Roggerium extabat. De eo etiam pauca attigit Mazzuchellius, qui se ignorare ait, num illi sit tribuenda *Expositio in Sanctos Gallos*, quod opus se vidisse in Vaticana Bibliotheca testatur Montfauconius.

De Rodulpho Vuetto Jo. Baptistae Perusini filio, qui eodem illo anno 1629. quo acceperat doctrinae insignia, coepit in patrio Lyceo Caesareas institutiones interpretari, ita judicat Sommaja, ut ab eo nihil non expectari potuisset. Domesticis quidem exemplis abundabat (1), ut ad excolendam juris prudentiam eximium ingenium transferret. Sed paucos post menses quam ad Academiam venerat commendatione ejus avunculi Sanctis Ballerinii, ineunte an. 1635. vitam amisit, cum complesset nondum XXVII. aetatis annum. Et magna cum cura & diligentia providendum fuit, ne illustres deessent Jurisconsulti, & Academia pristinum splendorem recuperaret, ad quem imminuendum non parum valuerat pestilentiae timor, negataeque diu nimium stipendiorum auctiones, quae singulo quoque quadriennio fieri solebant.

Si vetera & haec recentiora tempora spectes, profecto existimabis nullibi magis quam Senis floruisse Juris prudentiae studia, & summos, qui ex ea urbe prodierunt, jurisconsultos tum patriae, tum Pisanae Academiae mirum in modum consuluisse (2). Inter eos ho-

(1) *Quatuor usque in Perusina Academia fuerunt saeculo XVII. juris civilis Professores e Vuettorum familia, quae anno 1707. extincta est. Rodulphus sepulcrum habuit in S. Torpetis Aede.*

(2) *Ceteros inter Jurisconsultos, qui ex Senarum urbe prodierunt, iis temporibus plurimum florebat Petrus Maria Salimbenius, quamvis caecus esset.*

minum admiratione & benevolentia in caelo fuit Virgilius Vecchius, qui antequam ad nos veniret (accidit id an. 1635.) Senis docuerat juris prudentiam, exercuerat etiam caussarum patronus tanto quidem successu, ut ejus nomen non modo illis, qui ejusdem opera utebantur, sed vulgo etiam esset gratissimum. Attigit & res publicas Secretarius, ut vocant, Legum factus, ac demum Florentiam accitus per totos XI. annos judex sedit eo in VI. virorum collegio, quod Rota nominatur. Sic leges, sic peritorum hominum responsa noverat, ut ejus in hac re industriam omnes agnoscerent: admirabantur vero summam ejus integritatem, & quam a natura factus esset ad recta & prava, justa & injusta tacito quodam sensu dijudicanda. Litteras quoque humaniores coluisse dicitur (1) quod non communi intelligentia potuit esse contentus. Quantum vero prodesset discipulis suis eos erudiens quid lex scripta, quid aequitas jubeant, quantum tribuendum sit interpretibus (non enim est difficile in eo jure, quo

---

Is saepe efflagitavit, ut sibi locus daretur in Academia Pisana, & cum de eo ad Principem an. 1624. referret Sommaja, haec scripsit. E' cieco, & è 35. anni che esercita la professione di Lettore con qualche grido, e ora è primo Lettore di Salerno. E' tenuto huomo acutissimo, e d'ingegno tanto sottile, che sia forse troppo, massime nella pratica. Desidera assai di rimpatriare, e son più anni che ne supplica V. A e pretende di stipendio sc. 600., e difficilmente per meno verrebbe per più ragioni, ma principalmente per non cedere al Pinocci, il quale ha la detta provvisione. *Is minime voti compos factus fuit.*

(1) *Sunt hujus rei testes Chimentellius, Jo. Baptista Ferrarius Jesuita, & Isidorus Ugurgerius, qui in III. parte, quae est inedita,* delle pompe Senesi, *ait:* Il detto Virgilio de' Vecchi fu versatissimo nelle lettere umane, nelle quali fu molto lodato per varj sperimenti fatti con diverse belle composizioni, particolarmente latine, in Siena e fuori. *Ugurgerius ipse refert testimonium Ferrarii, & epitaphium quoddam a Virgilio exaratum, quod positum est in Templo, quod Provenzani dicunt. Edidit quoque Senis an. 1608. orationem de laudibus Francisci Piccolominei.*

de ambigitur inter peritissimos, ejus partis, quam quis defenderit, auctorem aliquem invenire) plures testantur (1), ut inter juris prudentiae antistites illum numerare minime dubitemus. Ex Livia Accarisia plures suscepit liberos, atque in his Jo. Baptistam & Ludovicum Equitem, qui paternorum studiorum aemuli fuere, quibusque usa est Academia nostra. Successit enim Ludovicus Fratri natu majori an. 1650. in extraordinaria Juris civilis cathedra, quam tenuit ad annum usque 1657. quo in collegium XII. virorum, qui Stephaniani Ordinis negotia curabant, lectus est. Undecim vero post annos vitam amisit, cum & ceteris ornamentis, & existimatione maxime innocentiae semper floruisset. Socerum habuit Alexandrum Marsilium Academiae Praefectum, qui ob curam, quam suscepit moestissimae filiae, liberorumque, quos ab illa genuerat Ludovicus, ad plures menses ab Academia abfuit. Sed ad Virgilium redeo, de quo satis dixisse videbor, si hoc unum addam, magnum illi solatium aetatem attulisse, quod totos XXXXII. annos impenderit in tribuenda opera Principibus omnium beneficentissimis, a quibus singularibus honoribus affectus fuerat, quique jusserant pro stipendio pendi illi ab aerario Academiae DCC. usque annuos centusses. Mortem Pisis obivit III. Id. Februar. an. 1648. cum esset annorum LXIII. Nam Senis natus erat an. 1585. Carolo Patre, matre autem Lucretia Saracinia, nobilitate generis & virtute praestantibus.

Egerunt gratias Virgilio Praefecti Academiae, quod ejus commendatione ad illam venerit an. 1636. Hieronymus Burghesius Se-

(1) *Haec de eo retulit Curator*. E' molto versato nella sua professione, è indefesso nell'assistere i suoi scolari, è erudito, ha buona lingua latina, e tanto in cattedra, quanto ne' circoli spiega i suoi concetti con molta grazia e facilità. Legge con 700. scudi di provvisione, che tanti gliene furono assegnati quando si partì dalla Rota, & è applicatissimo al servizio.

Digitized by Google

nensis & ipse, qui cum virtutis disciplinam meliorem reperisset nullam, quam contemplationem atque imitationem Jo. Baptistae patris, qui mortem obierat Bononiae an. 1629. in illius urbis Lyceo primam juris prudentiae cathedram regens, vel ab ineunte adolescentia dignus habitus est, qui hanc ipsam facultatem in patrio Athenaeo publice interpretaretur. Quanquam nulla ipsius scripta proferre possimus, is tamen & in jurisconsultorum numero est habitus, & fuit multis rebus ornatus & elegans. Constans in suscepta vitae ratione doluit vehementer, quod inclementia caeli Pisani (erat enim in eo summa gracilitas & infirmitas corporis) coactus fuerit missionem a suo munere petere, postquam istud per XVIII. annos coluerat gloriosissime. Gratus fuit illius in patriam reditus Senensibus suis, quibus quantum sivere valetudinis vires, dum vitam retinuit, qua voce iterum e superiori loco docens, qua forensibus scriptis consulere adlaboravit. Vixit autem ad annum usque 1657. mortemque contempsit, quod homo integer, innocens, religiosus meliorem statum, quam qui est in vita, illam sibi allaturum sperabat. Plura de eo commemorant Ugurgerius ceterique rerum Senensium Scriptores, & hoc quoque ei laudi dant, quod Patris diligentia humanioribus litteris ita eruditus fuit, ut carmina Latina satis bella condere, & de scriptis veterum, quibus profecto juris prudentia maxime sustentatur, satis perite judicare potuerit.

Eodem illo anno, quo Burghesius declaratus est Extraordinarius juris civilis Praeceptor, eumdem locum, eodemque stipendio CC. centussium occupavit Bernardinus a Penna, sed hic non ultra annum 1642. tenuit. Natus is erat nobilissimo loco Perusiae parentibus Adriano Equite, & Virginia Montesperellia, & cum plurimum profecisset non in juris prudentia solum, sed etiam in humanioribus litteris, illa ornamenta, quae a patria sperare poterat (cooptatus enim fuit in nobile collegium, quod *Mercaturae* appellatur, & praefectus juris civilis cathedrae), cum adhuc esset in flore aetatis, facile obtinuit. Sed altissimus animus & gloriae cupidus majora etiam spectavit, nec sane ei mediocriter profuit ad famam magisterium, quod per sexen-

Digitized by Google

nium exercuit Pisis, & in aliis Italicis Academiis. Tandem redux in patriam saepe egit negotium publicum, saepissime amicorum, cum subsidium bellissimum existimaret esse senectuti plurimis opera & consiliis adesse. Neque ejus domus colebatur solum a litigiosis hominibus, sed etiam ab iis, qui in omni recto studio atque humanitate versabantur, cum & numeraretur in bonis poetis (1), & eruditione praestaret. Vitae cursum explevit XII. Kal. Aprilis an. 1665., laudatusque publice fuit in Aede S. Francisci ab Octavio Lancellotto, in cujus oratione imaginem optimi civis optimique patrisfamilias (uxorem enim duxerat Justinam Ramazzaniam, ex qua liberos suscepit) dixisses intueri.

Inter eos jurisconsultos, a quibus nihil quaeritur aliud nisi summa legum notitia, prudentia in disputando, consulendo & judicando, fides & integritas in agendo, excelluit sane Valentinus Farinola Bastiae in Corsica honestissimis parentibus natus. Dum studiis in Academia vacabat, Vicerectoris, & Extraordinarii Lectoris, ut vocant, muneribus laudabiliter functus est, neque multo post quam insignia doctrinae acceperat, una cum Michaele Piruccio an. 1630. vocatus est ad regendam Institutionum civilium cathedram. Quod paupertate Piruccius impediebatur, ne parvo contentus esset (merces enim solebat esse hujusmodi magistrorum XXXXV. centussium) an. 1632. deseruit Academiam Pisanam, & Patavinae operam suam locavit, in qua multum floruit doctrinae & ingenii laude. Farinola autem, qui fortunae bonis abundabat, & qui magna erat in gratia apud Mediceos Principes, tabernaculum vitae suae in Etruria collocare deliberavit. Is an. 1635. declaratus est Extraordinarius juris civilis Professor, quod munus coluit diligentissime per totos octo annos. Post

(1) *Extant bina illius epithalamia Perusiae typis impressa an. 1627. & extat etiam Italicum illius epigramma in Vol. II.* della Raccolta delle Rime de' Poeti Perugini pag. 145.

Digitized by Google

id tempus judicia exercere coepit; exercuit autem primum Senis, mox Florentiae iis in collegiis, quae Rotae appellantur. Hac in urbe majora etiam obtinuit factus an. 1647. ut vocant, *Auditor Partis*, & XI. post annos *Auditor Consultae*, cujus magistratus summa erat in re publica administranda auctoritas. Cum praemia illi tanta pro opinione doctrinae atque virtutis data fuissent, labores, per quos ea cepit, nunquam intermisit, & etiam atque etiam vidit, ne ulla inertiae, nulla superbiae, nulla inhumanitatis non dicam culpa, sed ne suspicio quidem in se resideret. Atque hujusce rei conjecturam ex eo facere potes, quod nunquam de eodem nisi honorificentissima mentio facta est, & quod non tam Principi & optimatibus, quam populo ejus opera esset gratissima. Is extremum diem morte confecit Florentiae, sepultusque fuit in claustro Coenobitarum Marcianorum cum hac inscriptione, in qua contexenda nimium satte saeculo indulsisse ejus frater videtur.

D. O. M.

VALENTINUS FARINOLA NATUS UNA CUM SEXTO DECIMO SAECULO AETATIS ANNO SUPRA OCTOGESIMUM SEPTIMO OBIIT FAMA SCILICET LONGE SUPERATURUS SAECULUM QUOD PROPE AEQUAVERAT TEMPORE A BASTIA METROPOLI CYRNI REGIA TYRRHENI MARIS INSULAE ET INCLYTA GUBERNATORUM SEDE UBI PAULUS PATER I. C. AUDITORATUM REGNI PROMERUIT PATRIAM HABUIT A GENERE INTER CYRNAEAS FAMILIAS PRAECLARO NOBILITATEM A NATURA INDOLEM AD MAXIMA QUAEQUE UNICE FACTAM A STUDIO SAPIENTIAE IN PISANO LYCAEO LAUREAM CATHEDRAM NOMEN A PRAESTANTIA MENTIS IN CONPELENDO, JUDICANDOQUE INNUMEROS ILLOS IN ETRUSCA CURIA HONORUM GRADUS QUIBUS PER ANNOS SEXAGENTA TRES A DUOBUS MAGNIS DUCIBUS FERDINANDO II. ET COSMO III. EST AMPLISSIME CUMULATUS NEC IMMERITO. AUDITOR ENIM ROTAE SENENSIS. AUDITOR ROTAE FLORENTINAE, AUDITOR CAPITANEORUM PARTIS GUELFAE, AUDITOR CONSULTORUM SUPER JUSTITIAE GRATIAEQUE

RESCRIPTIS, AUDITOR SUPREMUS CIVITATIS LIBURNI ALIARUMQUE ARCIUM ET MILITIARUM STATUS ET MAGNAE DUCALIS CAMERAE PERPETUUS FERE PRO-AUDITOR PERPETUO ETIAM USQUEDUM VIXIT TUM APUD PRINCIPEM TUM APUD SUBJECTOS PRINCIPI POPULOS BENE AUDIVIT UT POST OBITUM TANTUS AUDITOR BENE QUOQUE AUDIAT APUD POSTEROS IDCIRCO MONUMENTUM HOC ALEXANDER I. C. FRATER MOERENTISSIMUS FRATRI MERITISSMO POSUIT.

Nunc autem dicendum de Jurisconsulto, cujus nomen non modo ab nostris, sed etiam ab exteris hominibus plurimum celebratum fuit. Is est Bartholomaeus Chesius, quem Julianus Pisis ex concubina genuerat an. 1605. (1). Anno 1632. coepit Caesareas institutiones interpretari, a quarum cathedra sexennio post ad extraordinariam juris civilis transitum fecit, ac demum an. 1644. ordinariam obtinuit cum stipendio CCXXX. centussium, quod postea ad D. usque auctum est. Per totos enim XXXXVIII. annos operam tribuit utilissimam Academiae. Quod is e ludo Bonapartii prodierat, uberiora de jure quaesivit, quam quae forensis usus desiderat, & ad illam scholae operam, ad quam nunquam nisi paratus & meditatus accedebat, adjungebat singularem eruditionem, miram & verborum Latinorum elegantiam & copiam. Nemo vero ei par erat in illis disputationibus, quae vel refellendi, vel comprobandi, vel laudandi, vel vituperandi caussa (circulos appellabant) habebantur, & quod hae non me-

(1) *Testem hujus rei habemus Sommajam, qui his verbis de eo scripsit an.* 1632 Bartolommeo Chesi figlio naturale di quel Giuliano, che servì a V. A. molt' anni a Livorno. E' sette anni che è Dottore, studia assai, e se ne ha ottimo concetto da' Dottori e da chiunque lo conosce intrinsecamente, e levato il difetto de' natali, è tenuto superiore a tutti i suoi concorrenti, & da fare gran passata nello Studio. *Quod is vivido admodum erat ingenio minime se abstinuit a levitatibus puerilibus, ob quas an. 1627. in vincula conjectum fuisse scimus.*

dioecis contentionis erant ad memoriam, earum onere se exolvi petiit, obtinuitque an. 1662. quod raro, & meritissimis concedebatur (1). Verum is non solum arbitrabatur sic incitandos esse discipulos ad studium & laborem, ut non solum ediscerent qualis posset esse is, qui in foro habitaret, neque quicquam amplius afferret, quam quod caussarum necessitas postularet, sed majus quiddam viderent, cum censeret jurisconsultum in bene constituta republica nullius ornamenti expertem esse debere. Ut ille efferebatur laetitia, cum videret ad scholam accedere juvenes, qui subsidia sibi jam comparaverant ab humanioribus litteris, & per quos sperabat artem, quam profitebatur, non amplius fore indotatam atque incomitatam, iisque non auxilium modo, verum etiam praesidium pollicebatur! Quae verbis subtilius, quam satis est, disputari videbantur, illustrabat exemplis, excutiebat pragmaticorum ineptias, irridebatque Patronos illos, qui suorum dictorum fidem obtinere se posse putabant, non bene cognita legum vi ac potestate. Saepe is caussas defendit, sed forensibus concertationibus praetulit scholasticas disputationes, ex quibus judicari posse ajebat, *an in Doctorum communibus opinionibus conquirendis, vel in veterum Jurisconsultorum dictis examinandis tempus absumpsisset*. Qui ejus doctrinae testes, laudatoresque fuerunt, vehementer ab eo petierunt, ut excuderet aliquid. quod latebat in

(1) *Nulla sane praetermissa est occasio honorandi Chesium, atque an. 1669. cum jussisset Magnus Dux ejus augeri stipendium, in haec verba rescripsit*. Riflettendo S. A. S. alla lunga servitù fatta nello Studio di Pisa dal Dott. Bartolommeo Chesi Pisano, al presente Lettore Ordinario in Legge civile con tanto profitto di quella Università per la sua dottrina & applicazione, & all' ottima opinione e fama acquistata con le stampe da lui pubblicate, & all' aver egli medesimo con particolare modestia lasciato scorrere molto tempo senza chiedere alcuno aumento, vuole l' A. S. gratificare il merito di questo Soggetto coll' aumento di 100. scudi l' anno.

thesauris illius. Neque se diutius rogari passus est, cum emisisset an. 1650. *Juridicas Interpretationes* (1), & duodecim post annos aliud opus, quod inscripsit *de differentiis juris*. In his contexendis mira solertia & acumine fuisse Chesium affirmat Heineccius (2) illud & addens: *Ubique enim id servat institutum, ut propositis aliorum sententiis, statim ostendat quibus illae difficultatibus premantur; hinc speciem formet, ex eaque sensum legis, quo omnibus illis difficultatibus satisfieri possit, eliciat. Qui ordo admodum naturalis est, & permultum ad perspicuitatem facit*. Sane texuit opera haec luculentissime, & multorum errores emendavit, & in legum sententia interpretanda coarguit vitium eorum, qui accommodandi illas caussa ad suorum sensum, verba facile immutant, quanquam non desint loca, sed pauca admodum, in quibus immutanda esse videantur, & dum ubique spargit magnam lucem doctrinae, eruditionis, rectique judicii, facile judicabis ex maxime raro fuisse Chesium Jurisconsultorum numero, nisi forte malueris Bartoli, Baldi & Irenerii, aliorumque hujusmodi pragmaticorum, quam consultissimi viri sententiis acquiescere. *Quid est aliud*, ajebat ipse, *quod nos facere debeamus, nisi ut eos, qui haec minus probant, & qui omnem eruditionem omnemque elegantiam insectantur, repellamus?* Id quidem fortiter praestitit, non secus ac si cultior juris prudentia fidem suam, tanquam legitimi tutoris, implorasset, & quod nolebat a se extare, quod omni ex parte minime expolivisset, antequam moreretur, flammis mandari jussit quidquid chartis consignaverat, in quibus multa erant non solum ad jus civile, sed etiam ad humanio-

---

(1) *Quatuor usque brevi temporis intervallo typis impressae fuerunt, quod mirum videri debet, si tempora spectes. Nam pauci tum erant, qui cultiorem ornatioque Cujacianam prudentiam excolerent.*

(2) Praefat. ad Jus Rom. & Attic.

Digitized by Google

res litteras pertinentia. Bibliothecam suam coenobitis S. Antonii, bona vero sua legavit pauperibus puellis, quae Charitatis appellantur, a quibus monumentum habuit in Sepulcreto Pisano cum hac inscriptione:

D. O. M.
BARTHOLOMAEI CHESII
IN PATRIO PISANO LYCEO MAXIMI LEGUM INTERPRETIS
IMAGINEM HOC MARMORE
EXPRESSAM
CHARITATIS DOMUS HERES EX ASSE
EJUSQUE SEX-VIRI
POSTERITATI ET GLORIAE POSUERUNT.
OBIIT ANN. SAL. MDCLXXX.
AETATIS SUAE LXXV.

Atque utinam tam uberem segetem laudandi mihi praebuissent Jacobus Damianius & Josephus Lupius, qui Chesio patriae, muneris, & amicitiae vinculis conjungebantur. De Lupio alius erit dicendi locus, Damianius autem cum primum ad Academiam accessisset an. 1635. Institutista, ut ajunt, civilis, quadriennio post primum locum obtinuit inter hujus facultatis magistros, ferente testimonio ipsius Academiae Curatore de illius ingenio, doctrina atque diligentia (1). Idem naturae concessit Septembri mense an. 1649. postquam

(1) Ha finito il suo primo quadriennio (*sic ille*) con molta sua lode e fatica. E' di molto sapere, studia molto, & è applicatissimo al servitio. Domanda la stessa cattedra di primo Institutista il Dott. Cav. Cosimo Cellesi, stimato di bell' ingegno, che si tratta molto onorevolmente, che ha molta lettura, e talento non ordinario: ma è meno anziano del Damiani, nè ha letto 4. anni, come li Statuti prescrivono per chiedere la lettura di primo Institutista.

per sexennium extraordinariae juris civilis cathedrae satisfecerat, in qua Lupium successorem habuit.

Eodem anno, quo Damianius coepit institutiones Caesareas interpretari, eidem muneri praefuit Blasius Curinius Pontremulensis Stephanianus Eques. Novennio post declaratus est Extraordinarius magister, & an. 1651. ordinarius cum CCC. centussium stipendio, quod postea plurimum auctum fuit. Summa enim in gratia erant apud Mediceos Principes Curinii omnes, quod multi ex eorum familia prodierant juriscousulti optimi, ex quorum opera mirabiles universa Etruria perceperat utilitates. Ab hac perenni contestataque virtute parentum minime degeneravit Blasius Jacobi filius, qui quanquam cumulate satisfecerit muneribus suis & docens, & caussas agens, judicans etiam Assessor, ut loquebantur, Consulum Maris, & sedens in collegio XII. virorum, qui negotia Stephanianae militiae administrabant, sic velim tamen existimes ipsum Bonapartii, quem praeceptorem habuit, minime imitatum fuisse exemplum in Cujaciana, quae tum coeperat esse in honore, colenda juris prudentia. Is magisterium produxit ad annum usque 1664. quo obiit XI. Kal. Junias, ac sepulcri monumentum habuit in Aede S. Frigdiani. Huic filius erat Jacobus, qui patris vestigia secutus juris prudentiam coluit, & docuit etiam in nostra Academia, sed ad paucos annos. Nam scholae vacationem obtinuit an. 1689 post quod tempus in patria mansit, quamvis ab Academia mercedem C. centussium acciperet. Eo in loco, cum diu melancholiae vitio adeo vexatus fuisset, ut interdum mentis expertem dixisses, vitae cursum explevit mense Februario an. 1714.

Quaecumque in Jurisconsulto dignitas esse potest, ea in Bartholomaeo Vecchio Senensi semper habita est summa. Etenim in eo erat nobilitas generis, fides & integritas singularis, morum gravitas, doctrina autem, & prudentia tanta in consiliis dandis, & negotiis tractandis, ut ad omnes res aptus esse videretur. Sedulam adolescens humanioribus litteris in patria operam dedit, nec Lati-

nam modo & Graecam, sed & Hebraicam, Syriacam atque Chaldaicam linguam tenere voluit; in philosophia vero ita versatus est, ut nullus ferme auctor esset sive sacer, sive profanus, qui illi esset incognitus, quemque suum minime fecisset legendo, meditando, atque inter se plures comparando. Tali modo viam sibi stravit ad juris prudentiam comparandam, quae nisi locupletetur plurium & graviorum artium instrumento, mancam quodammodo atque imperfectam esse affirmabat. Hierophanta tandem legum rite ac solemniter factus, primitias quasdam & quasi libamenta doctrinae se patriae dedisse modeste dicebat, qua consulentibus respondendo, qua caussas in foro defendendo, qua e superiori loco in Academia docendo, tantis quidem plausibus, ut coeperit etiam absentibus notus esse. Quamobrem ab Rainuccio I. Farnesio Duce, postquam per decennium patriae ipsi servierat, accitus fuit, non modo ut jus civile interpretando Parmenses suos ad justitiam instrueret, sed etiam ut ejus consiliis in re publica administranda uteretur. Longum esset referre quantum gratia & auctoritate valuerit apud Principem, cujus mores ad humanitatis sensum si contorquere potuisset, magnam sane subjectis illi populis utilitatem attulisset. Porro nulli parcebat labori, quo huic suisque discipulis consuleret, & quo tempore abfuit ab Academia Franciscus Accarisius matutinis horis civilis juris interpres, Vecchius ante & post meridiem magna discipulorum frequentia Romanas leges interpretabatur. Inter haec accidit, ut in Florentinorum Judicum collegium (Auditores Rotae dicunt) cooptaretur, & extant ejus litterae, quibus Cosmo II. M. E. D. spopondit se Florentiam autumno an. 1614. accessurum, quod & praestitit. Sed vix in conspectum Cosmi ipsius venit, cum hic litteras accepit ab Rainuccio Duce, quibus eum vehementer etiam atque etiam rogat, ut pateretur ad se se redire hominem, cujus se aequo animo ferre non posse jacturam affirmabat (1).

---

(1) Non fu prima arrivato in Firenze (*haec de eo narrantur*) & presentatosi

Indulsit illi quidem Cosmus, quam ob caussam praemiis donatus fuit Bartholomaeus. Postquam vero Rainuccius ipse e vita cessit, abeundi Parma veniam obtinuit, ut operam suam, quam Ferrariensi denegaverat, tribueret Patavinae Academiae. De eo perpauca omnino pro suo more narravit Facciolatus. Ait enim: *MDCXXVI. IX. Kal. Mart. Bartholomaeus Vecchius Senensis magni per Italiam nominis famaeque Juris consultus ad Scholam hanc regendam ex Parmensi Gymnasio vocatus est florenis MCD. quibus praeterea duceni additi sunt anno MDCXXXII. Primus hic Veneti Juristarum Collegii Praeses fuit. Sed quinquennio post ad Pisanum Gymnasium deductus est a Principe suo Magno Etruriae Duce* (1). Testantur alii opinionem, quam omnes habebant de illius doctrina & prudentia, saepe comprobasse Senatum Venetum, cum ab eo magnis de rebus consilia petiisset, quare minime est mirandum si aegre ab se tantum virum dimiserit. Adventus ejus suavissimus, optatissimusque fuit Academiae Pisanae, quae orbata summis doctoribus lenire dolorem, & jacturam sarcire vehementer cupiebat. Assignavit illi stipendium MCC. centussium (2), ejusdemque honori mirum in modum fa-

---

al Serenissimo G. Duca, che arrivò corriere del Duca di Parma con significare al G. Duca, che il medesimo Bartol. de Vecchj s'era partito da quello Studio con suo disgusto, benchè gli avesse data licenza, che però desiderava che glielo rimandasse a finire la seconda condotta già cominciata, onde il Serenissimo Cosimo per compiacere al Serenissimo di Parma volle che ritornasse a servirlo, e così tornò in Parma più ben visto che mai, e quell' Altezza li donò una collana, e 300. ducati per ogni scapito che aveva fatto in quel viaggio.

(1) Fast. Gymn. Patav.

(2) *Rescriptum Principis, sane honorificentissimum, fuit hujusmodi*: S. A. informata del valore e sufficienza (di Bartolommeo de' Vecchj) accetta volentieri il suo servizio perchè legga nello Studio di Pisa Lezione ordinaria civile all'hora, che gli piacerà, con titolo di Primario senza concorrente & obligo di circolare per 6. anni con provvisione di Piastre

vit. Cave vero putes fuisse illo diligentiorem in exequendis iis rebus, quae sui muneris erant, patuitque semper ejus domus omnibus illis, qui consilia & praecepta ab eo exquirebant. Cum longe omnium in jure civili esse princeps putaretur, invitabatur a multis, ut in vulgus ederet illos thesauros Academicarum disputationum, qui latebant in scriniis illius. Sed testis est Valerius Chimentellius, qui e schola ipsius prodierat, quique funebri oratione eumdem laudavit, refugisse semper a prodeundo in publicum, ac dicere solitum, malle se similem esse Pythagorae & Socratis, qui nullam litteram reliquerant, quam multorum, qui impudentissime ac fallacissime venditabant prudentiam (1). Nihil sane in eo erat falsum & imitatione simula-

---

mille dugento l'anno da cominciare al Novembre 1638. & prima, se potrà, & con che gli siano pagate piastre dugento per suo viatico.

Ferdinando

Persio Falconcini 8. Ottobre 1637.

An. 1644. petiit & obtinuit novam conductionem ad sexennium.

(1) *Extat Chimentellii epistola ad Nicolaum Heinsium, in qua haec de Vecchio scribit.* Est in Gymnasio, si quisquam alius, Bartholomaeus Vecchius Senensis Primarius ac celeberrimus Antecessor, qui fugitivas sistere musas, labentemque eruditionem sustinere, fulcrum ac columen (si quid video) unus vere possit . . Consultissimus legum vir, quas tum in Patavino ac Parmensi Lyceo, tum hic Pisis ad XXX. & amplius annos summa cum laude interpretatus est: moribus quoque ac natalibus splendidus, aetate venerabilis, in quo tamen nihil antiquius studiis reperies. Veteres enim omnes cum Graecos, tum Latinos scriptores diligentissime excussit, Hebraicam linguam mirifice callet, nec in philosophia ceterisque scientiis peregrinatur. In tacito tamen sinu gaudet, majore animo laborum fructus conscientia, quam fama dimetiens, qui nullis adhuc precibus, nullis studiosorum votis adduci potuit ad nobilissimos sui ingenii foetus evulgandos. Dignus is certe est, cujus nomen ad te perveniat, & quamlibet dissito coelo doctissimorum hominum penetret aures, volitetque per ora,

tum, & quod, supra quam cuiquam credibile sit, modestus erat & cautus, verebatur ne oneraret Juris prudentiam parum utilibus scriptis. Quae tamen erit tam immemor posteritas, quae tam ingratae litterae reperientur, quae non prosequantur memoria immortalitatis memoriam hominis, qui maxime perspiciebat quid in quaque re verissimum esset, qui erat peracutus ad excogitandum quid in jure, aut bono consisteret, qui in explicanda aequitate erat copiosissimus, eruditissimusque, quique non solum doctrina, sed omni etiam virtute erat ornatissimus? Sancte & tranquille vitam septuagennario major finivit Pisis an. MDCL. & quantum ceteris vix datur spatii ad vivendum, tantum ille consumpsit constantia & diligentia prope incredibili in instituendis justitiae cultoribus, illam maxime mercedem laborum desiderans, quae ex communi utilitate percipitur.

Quas copias habuerit ad sustinendam magistri dignitatem Petrus Paullus Borromaeus Miniatensis, ex testimonio Academiae Curatoris intelliges (1). Is primum ad nos venit an. 1643. Caesarearum Institutionum interpres, & quia semper animadvertit studiose, quid suae famae, & discipulorum utilitati conduceret, hoc gradu ad primariam usque juris civilis cathedram ascendit, quam tenuit ad annum usque 1685. quo vitae cursum Octobri mense explevit, cum ageret aetatis annum LXXII. Caruit tum Academia doctissimis magistris, quos aut mors, aut mortis timor eripuit (2). Et dedit quidem operam Magnus

(1) E' il Decano (*sic ille scribebat an.* 1683.) di tutta l'Università, ha scudi 440. di provvisione, è Conservatore della Nazione Ebrea, è vecchio di 70. anni, ed ha credito universale di ottimo leggista.

(2) Furono i passati mesi (*sic Academiae Curator*) così frequenti in Pisa le malattie e la mortalità, che nell'aprirsi dello Studio facendo apparire i funesti effetti di sì luttuosi accidenti, confermarono non solo, ma accrebbero la fama sinistra dell'aria nociva di quella Città e contorni, onde restò molto ritardato e diminuito il concorso degli Scolari.

Digitized by Google

Dux, ut terra marique conquirerentur, sed antequam ad haec tempora veniamus, de iis dicendum est, qui aetate antecessere, inter quos e nostratibus primas egisse videtur Franciscus Maria Ceffinius, Petri Mariae Florentini & Laurae Cresciae filius; de quo Chimentellius affirmat, *scientiam juris aequissimis moribus probasse, & amoenioris litteraturae cultu affatim exornasse* (1). Ex oculis & vultu, & ex multis praeterea signis ejus vividum ingenium novisses, & quod cupiebat, ita calide agebat, ut nunquam susceptae rei eum poenituerit. Ac jam tum erat adolescentulus, quando ad Academiam venit (accidit id an. 1647.) Justinianearum Institutionum magister, ac statim in eo elaboravit, ut aliquid de iisdem Institutionibus politius conficeret, quam quod tradere solebant ceteri Interpretes (2). Et ea quidem facultas ornandi, quae docere consueverat, in eo summa erat, quod & multis litteris, magnaque & dicendi & scribendi exercitatione consecutus fuerat. Cum coepit vero eam partem juris civilis, quae ab exquisitiori quadam doctrina & ratione proficiscitur, attingere, non tam ea persequebatur, quae ab aliis magnis viris percipere poterant discipuli, sed illa etiam, quae ipse ingenio studioque singulari pepererat, dum legum originem inquirebat, multasque inter se comparabat. Et ne ullum sibi subsidium deesset ad exornandam juris prudentiam magnam optimorum librorum copiam sibi comparaverat, quae non tam ejus domui, quam ipsi urbi erat ornamento. Quae vero egerit, cum esset a cognitionibus Maris Consulibus (Assessorem dicebant) & cum cooptatus fuisset in XII. virorum collegium, qui Stephanianae militiae, cui nomen dederat Ceffinius an. 1653. negotia summa cum potestate procurabant, non est hujus loci com-

---

(1) De honore Bisellii p. 24.

(2) *Extant Ceffinii commentaria* in IV. libros Institutionum *in Magliabechiana Bibliotheca* Clas. XXIX. n. IX.

memorare. Illud innuisse sufficiat hoc maxime curasse Cessinium, ut quam plurimis se utilem praeberet, utque exempla daret charitatis, quae cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus, tum civibus, ac demum totius complexu gentis humanae continetur. Quod fuerit ejus studium erga Pisanos declararunt hi, cum an. 1659. honorificentissimo decreto ipsum, Bencivennum & Jo. Baptistam fratres (erant hi quidem eodem patre, sed non eadem matre geniti) eorumque liberos in civitatem adscivissent. Et filios quidem genuit Franciscus Maria ex Francisca Sassettia Pisana, quam in matrimonium duxit an. 1676. orbatus Eleonora Baroncinia, cum qua conjunctissime vixerat, cuique monumentum cum inscriptione posuit in S. Frigdiani Aede. Ex his liberis Aloysius Maria Eques diligentia patris optime institutus & Pontificias & Caesareas Institutiones & jus civile extra ordinem per totos XXIII. annos apud nos docuit (obiit enim ineunte an. 1723.) & si ab eo aliquid commissum fuit adversus Casparem Guazzesium Aretinum competitorem suum, quamobrem ferre debuit Praefectorum Academiae reprehensiones, hoc non crimini, sed invidiae assignandum, cum inter hos viros illa fuerit vitiosa aemulatio, quae rivalitati similis est. Sed ad Franciscum Mariam redeo, cujus in Academiam, a qua mercedem D. fere centussium exigebat, merita singularia ex eo satis apparent, quod nunquam de eo nisi honorificentissima mentio facta est. Extremum diem morte confecit postr. id. Decembris an. 1685. (1) & in Aede S. Frigdiano sacra sepulcrum habuit.

(1) *Multa de Francisco Maria & Cessiniorum familia sane nobilissima narravit Eugenius Gamurinius*: Istor. Genealog. delle famiglie nobili Toscane & Umbre Tom. V. *In epistolis Marquardi Gudii editis Ultrajecti an. 1697. extat illius epistola data Florentiae an. 1662. ad Gudium ipsum; in commentariis vero Jo. Rhodii in Scribonium Largum extat epistola ejusdem de hypocausto Pisano, quam pluribus laudat Norisius*, Dissert. III. in Cenotaphia Pisana.

Friderici quoque Antinorii nobilissima inter Florentinas familia nati sedulitatem & operam laudare possemus, sed brevis cursus fuit gloriae illius, cum obiisset in aetatis flore an. 1646. octo scilicet post annos quam ad Academiam venerat. Cum vero plura habeam, quae narrem de Innocentio Massinio Perusino, quo nec melior quisquam vir fuit, nec clarior, sive publicis, sive privatis, sive forensibus, sive domesticis in rebus, de eo sic dicam, ut majus quiddam, quam quod memoriae proditum erit, suspicari possis. Pauca etiam de eo attigimus superiori in volumine, eoque in loco, quo de ejus patre Philippo juris consultissimo viro sermonem habuimus. Susceperat illum ex Virginia Narduccia castissima femina, instituendum autem dederat in humanioribus litteris Bonciario, in philosophia autem & in juris prudentia ceteris magistris, qui tum patrium Gymnasium doctrinae fama exornabant. Cum doctrinae insignibus an. 1625. decoratus fuisset, non multos post menses in Jurisconsultorum collegium, & in Perusinam Academiam Caesarearum Institutionum magister lectus est, atque judicia jam exercuerat pro bono patriae, quando an. 1635. vocatus est ad Firmanum Lyceum. Profecto nihil honorificentius scribi potuit testimoniis iis, quibus illius cives Firmum proficiscentem comitati sunt, quibusque Firmani ipsi, postquam per septennium ejus opera optima in exponendis Romanis legibus usi fuerant, in suscepto munere ipsum confirmarunt. Expleto mandato, aegre ab se dimiserunt, neque diu in patria fuit, cum eodem illo anno, quo ad ipsam redierat, munus Judicis Appellationum in Florentina Rota a Ferdinando II. obtinuisset, quod se concessisse dixit & singularibus Innocentii meritis, & memoriae Philippi patris, a quo tot in Academiam Pisanam venerant ornamenta. Eximium & singulare illius studium fuit in omni genere officii, quod ad aequitatem, honestatem & gloriam suam spectavit, in quo etsi plures cum ipso contenderint, omnes tamen facile superavit. Quoad etiam fieri potuit, suo labore minuit praesentiae suae desiderium in civibus suis, quibus opera, consilio, auctoritate, gra-

tia sic praesto fuit, ut nulli libentius publica & privata negotia committere viderentur. Atque ex hoc conjicies quanta expectatio fuerit reditus illius. Sed abstraxit illum iterum a complexu suorum Ferdinandus II., cui nihil negare se posse putabat Massinius propter singularia in se beneficia, cum anno 1656. illi ipsi primum inter ordinarios & matutinos juris civilis magistros locum, & DCC. usque centussium stipendium assignasset. Per totos XII. annos Pisis fuit Massinius; ut vero ab Academia discederet, quod bona cum Magni Ducis venia fuit, effecerunt cohortationes Alphonsi Borellii, qui a Messinensibus suis obtinuit, ut is ad illius urbis Lyceum vocaretur cum M. centussium stipendio. Liberalissime quoque invitatus fuit a Ticinensis Gymnasii praefectis, ut ex litteris Vidonii Cardinalis ad illum Roma datis ineunte an. 1669. conjici potest, sed vix datam Messinensibus fidem liberavit, cum cepit consilium prudentiae plenum sibi & Deo unice vivendi. Secessit itaque in sodalitium, quod Romae est, ministrorum templi illius, quod dicitur S. Joannis Florentinorum, in quo non est credibile quantis in religionis & pietatis officiis se exercuerit. Demum apoplexi correptus VII. Id. Januarii 1676. sanctissimae vitae cursum explevit, cum complevisset aetatis annum LXXIV. Scimus multa illum reliquisse scripta ad juris prudentiam pertinentia, sed quem habuerint exitum plane ignoramus. Uxorem vel ab anno 1631. duxerat Hieronymam Massiniam, ex qua feminas quatuor, quae omnes Deo se se voverunt, & totidem masculini generis liberos, qui castra sunt secuti, suscepit. Nemo de eo mentionem, nisi honorificentissimam fecit, & vir sanctitate & doctrina clarus Fridericus Borromaeus Cardinalis tanti faciebat Massinium, ut ad eum saepe litteras benevolentiae plenissimas daret.

De Gabriele Antonio Rau nobilissimo loco Pisis nato, qui obiit an. 1662. postquam per decennium operam tribuerat Academiae, & de Ludovico Guilichinio Francisci Aretini filio, & Stephaniano

Equite, qui naturae cessit an. 1686., cum complesset aetatis annum LX., pauca omnino habemus, quae commemoremus. Quae enim docuerunt prudentiae fuit mediocris. Eodem tempore habitus est in bonis juris civilis magistris Petrinus Ballantes, in optimis vero Crescentius Burghesius, uterque Senis nobili loco nati. Non ita abundabat ingenio Ballantes, ut primas tenere potuerit; tenuit Burghesius, qui cum anno 1682. ob continuas corporis infirmitates missionem ab Academia petere coactus fuisset, postquam in ea manserat per totos XXVIII. annos, non sine praeconio atque praemio praeteritorum laborum id obtinuit (1). Successit tum in illius locum ordinarii juris civilis praeceptoris Josephus Brondius cum stipendio CCCXL. centussium, quod postea auctum est ad D. usque, cum operam tribuisset Academiae per XXXXVI. & amplius annos. Obiit enim an. 1708. veneratque ad illam an. 1662., postquam in Patavino Lyceo in juris prudentiae studiis plurimum se exercuerat, in eoque an. 1655. doctrinae insignia obtinuerat. Quae de eo commemorat Petrus Vandenbroekius satis quidem declarant fuisse hominem summae doctrinae (2), cujus orationi consonant, quae de eo retulerunt Academiae Praefecti. Diligenter etiam atque etiam exequebatur, quae sui muneris erant, & postquam scholae satisfecerat, civilium controversiarum patrocinium suscipiebat, optimusque justitiae patronus habebatur. Erat illi patria Sergianum, & cum eo nobilis Brondiorum familia extincta est. Vidit enim unici filii Odoardi obitum, in quo omnes spes suas collocaverat, quemque consecraverat

---

(1) Atteso, *in haec verba rescripsit Magnus Dux*, il suo lungo & honorato servigio se gli concede la domandata licenza con una pensione annua di sc. 80.

(2) *Syderi matutino illum comparat, quod ejus nomen tota jam in Italia sparsum erat*. Epist. dat. Pisis prid. id. Octob. 1664.

Digitized by Google

Academiae, cum summis precibus obtinuisset a Magno Duce, ut is an. 1683. declararetur civilium institutionum magister (1).

Paucis me expediam de Andrea Garzonio Lucensi & Raphaele Serratio Florentino dicturus, quod in mediocritate ingenii non admodum laude processere. Multi Serratium caussarum patronum sibi adscivere, in Academia vero (2) non civile solum jus, sed etiam pontificium publice & privatim docuit, & in ea fuit ab anno 1666. ad annum usque 1711. quo X. Kal. Junias e vita migravit. Sexennio ante venerat ad eam Garzonius, sed XV. post annos ab ipsa discessit, ejusque in locum extraordinarii juris civilis magistri suffectus fuit Andreas Tavola Pisanus, qui antea per totos XIV. annos in Institutionum cathedra constiterat. Honoratiores deinde locos occupavit, & si dignitas est frequentari a discipulis, & multis in rebus adhiberi, is quidem dignitatem obtinuit. Vitam amisit Februario mense an. 1700., ac liberos reliquit, quibus etsi gratificari concupierit Magnus Dux, minime tamen digni habiti sunt, qui patri succederent. Quod de Francisco Maria Sergrifio, quo loco egimus de Academiae Curatoribus, satis multa diximus, de eo nunc reticendum videtur. Unum illud addam testimonio Benedicti Averanii fuisse hominem non tam doctum, quam lenem & perhumanum, & in eum

---

(1) *De eo testatus est Academiae Curator*, ch' era giovine di valore, e di ottima indole. *Nihilo tamen minus de patris stipendio aliquid minutum est, ut illi merces persolveretur c. centussium.*

(2) *Florentiae quoque jussu Magni Ducis Caesoreas Institutiones per quadriennium interpretatus est, & tum quoque locum suum tenuit in Acodemia Pisano, ad quam rediit an. 1679. De eo, ut & de Horatio Marchetto Equite affirmore minime dubitavit Academiae Curator*, ch' erann in concetto di poca abilità, e che servivann quasi di scherzo ai Dottori, & alla scolaresca. *Marchettus ad Pistorienses suos rediit an. 1680. nescio quo munere decoratus, eo tempore, quo apud nos erat primarius, ut loquebantur, Institutista. Is obiit mense Martio an. 1705.*

convenire elogium , quo Graeci bonos viros decorabant , illos απραγμονας appellantes.

Porro, ut est ipsius Averanii judicium, habere videbatur ista res iniquitatem, quod Florentini magis exteris faverent, nec suos diligerent, ut in eos Pindari illud convenire diceret:

Εϛι δε φυλον εν αν-
θρωποισι ματαιοτατον,
οϛις αισχυνων επιχω-
ρια παπταινει τα πορσω.

Et saepe quidem evenisse vidimus, ut quos magnis praemiis ad Academiam vocarunt, non plane expectationi, quam de se commoverant, responderint. Nihilo tamen minus gratiam habendam Lusitaniae arbitramur, quod ea nobis suppeditaverit homines doctrina claros, e quibus etsi nonnulli fuerint, quorum mores omnem ingenii commendationem everterint, alii tamen plures extiterunt, per quos aucta ipsius Academiae dignitas & gloria fuisse videtur. Nihil sane honorificentius fieri potuit litteris illis, quibus Cosmus III. ad se se invitavit Diegum Lopesium (1) qui si assequi illud potuit, quod de se

---

(1) Sig. Dottore. Ho sentito dal P. Vierra le qualità, e le virtù che adornano il suo spirito, e che gli hanno dato impulso d'invitarla a mio nome per venire ad esercitare i suoi talenti in una cattedra legale di questa mia Università di Pisa, dove ella sarà da me, e da tutti ben veduta, & onorata a misura del suo merito, di cui posso fare argomento anche dalla maniera gentile e compita, colla quale ella mi fa vedere nelle espressioni della penna i dettami del suo buon cuore, che saranno sempre ricambiati da quelli del mio affetto, nel quale non mi lascerò certamente vincer da lei in dar mano alle sue convenienze e soddisfazioni. Con che resto augurandole dal Cielo ogni bene, e pregandole intera prosperità di viaggio e di salute.

Suo Affezionatissimo C. il Gran Duca di Toscana.

Firenze 22. Agosto 1679.

promisit, nescio; illud video nullum illi praemium, nullumque honorem defuisse. Quo majus suum beneficium faceret Magnus Dux, assignavit illi ex suo aerario CC. centusses, cum duplum ferme ex aerario Academiae exigeret. Ad id Stephanianae militiae adscriptus, an. 1685. Commendam primum, deinde Prioratum, ut loquuntur, in ea instituit, resque illius in XII. virorum collegio administravit. Sic cum gratia, auctoritate & gloria floreret, omnes vias persequebatur, quibus fortunae bona augeret, atque sibi, familiaeque suae (uxorem enim duxerat Silviam Mariam Daddiam) consuleret. Et sperare quidem poterat omnia optime, quamvis (neque id tacendum esse videtur) negligentior fuerit in obeundis Magistri muniis, postquam liberum lectulum deseruit. Quae ingenio studioque collegerat ad illustrandam juris prudentiam, non magni momenti, quamvis acutissima, fuisse arbitraberis, si cum iis conferes, quae tum homines eruditissimi tradere solebant. Is vitam Pisis amisit IV. Id. Martii an. 1714. sepultusque fuit in S. Sixti templo.

Nemo sane extitit, qui non mirabiliter & loqueretur & sentiret de Antonio Maria & Jacobo Rilliis fratribus, origine Pupiensibus, ortu Florentinis, quos inter cultioris juris prudentiae antistites jure meritoque numeraveris (1). Haec apud nos coepit esse in honore per Nicolaum Bonapartium, plurimum, ut diximus, illius discipulus Bartholomaeus Chesius eamdem provexit, & qui ex hujus schola prodierunt Rillii fratres in dignitatis possessione confirmarunt. Cum intueor haec decora & ornamenta Academiae, quibus addere libet Josephum Averanium, de quo mox dicemus, continere me non possum, quin gratuler Etruriae, quod ab ea ad ceteras Italiae regiones,

---

(1) *Cum scriberet Redius ad Rossettium, litteris datis Pisis prid. Kal. Febr. an. 1655. ait Jacobum Rillium & Josephum Averanium*, essere due giovani dottissimi, e che hanno ognun di loro ſatto un ingresso con una orazione superbissima, latinissima ed arcieloquentissima.

ut & ceterarum nobiliorum facultatum & artium, sic cultioris juris prudentiae studia dimanarunt. Sed illuc, unde discessi, revertor. Par illud fratrum nobilissimorum aetatem anteverterunt in doctrina omnique sapientiae genere consequendo, & eo tempore magna discipulorum frequentia docere coeperunt, quo alii audire & discere consueverunt. Uterque non solum Pisis Caesareas institutiones e superiori loco explicarunt, sed etiam Florentiae, cum tum esset in more positum, ut hoc munus obirent, qui Pisanae Academiae erant addicti. Specimen extat quanto rerum & verborum delectu id praestiterit Jacobus, cum an. 1683. Florentiae in vulgus edidisset *Elementa Juris civilis nova quadam methodo studiosae juventuti proposita*; *Pars prior* (1), multa vero extant monumenta, quae declarant quanta legum notitia, prudentia integritateque in judiciis forensibusque certaminibus uterque sint versati. Eorum quidem & virtus, & pietas, & humanitas singularis, & assidua, & perpetua cura quotidie proficiendi aliquid in iis studiis, quae prima specie nihil rei habere videntur cum juris prudentia (nam humaniores litteras perfecte tenebant, philosophiam tum veterem, tum recentiorem callebant, eaque propter subsidia sibi comparaverant mathematicarum disciplinarum, plurimum etiam se exercuerant in morum & divinarum rerum scientia) efficiebant, ut ab omnibus colerentur, & consulerentur, cum eodem tempore & discentibus, & consulentibus satisfacerent. Mens erat Antonio opus forense vulgare *de Herede cum beneficio legis & inventarii*, sed absolvere illud minime potuit, nec sivit emitti, quae in litteratorum hominum coetibus dixerat, carmina & orationes tum Latina, tum Etrusca, quamvis a cuncto consessu plausus illis multiplex datus fuisset (2). Homines sanctissimi & modestissimi

(1) *Pars hujus operis posterior extat inedita in Bibliotheca Florentina, quae SS. Annuntiationis dicitur.*

(2) *Apud amicissimum virum, qui mihi instar omnium est, Orlandum Beni-*

nec lucrum, nec plausum quaerebant, & quasi divinarent exiguum sibi assignatum fuisse vitae curriculum, caduca semper & mobilia haec esse duxerunt. Vix compleverat aetatis annum XXXVII. cum naturae cessit Antonius; Jacobus autem natu minor frater diutius vixit (mortem enim obiit Romae V. Kal. Decemb. 1727.) & ingrata in illum fuisse videtur Academia Florentina, cujus Consulatum gessit, quod cum ipse historiae monumentis mandasset facta illustria hominum, qui in illa floruerunt (1) nullus inventus sit, qui ejusdem

---

nium Comitem extant Orationes Antonii Rillii, quarum tituli sunt; Apologia juris civilis solemniter acta in Pisano Gymnasio die XI. mensis Novembris *1670*. Orationes binae, cum inaugurarctur in Pisana Universitate Comes Thomas Gherardeschius Can. Flor. & Jo. Franciscus Rillius. *Neque tacendum videtur praeceptorem in Graeca lingua habuisse Antonium Mariam Salvinium, dum uterque litteris in Academia Pisana operam dabant.*

(1) Notizie letterarie ed istosiche intornu agli uomini illustri dell' Accademia Fiorentina: Firenze 1700. in 4. *Hoc in libro plura ipse commemoravit de Antonio Fratre, & partem orationis exscripsit, quam de eo habuit Pitis Petrus Alexander Ginorius, nec non inscriptiones, quas tumulo in Florentino Templo S. Josepho sacro posuit Antonius Maria Salvinius, & Ecclesiae S. Frigdiani Benedictus Averanius, dum Pisis moerentes amici illi parentarunt. Salvinianus autem titulus, a ceteris male exscriptus, est hujusmodi*. D. O. M. Antonio Rillio Juris & eloquentiae consulto Pisis Florentiae Antecessori laudatissimo Philologiae Philosophiae Matheseos Theologiae studiis ornato, qui ob pietatem doctrinam justitiam morum suavitatem magnum sui apud omnes desiderium reliquit Raphael Pater Patritius Rumanus I. V. C. Florentinus moestissimus optimo Filiu converso rerum ordine superstes & sibi posterisque suis posuit. Obiit Anno Sal. MDCLXXXVII. IX. Kal. Januarias. Vixit annus XXXVII. M. I. D. V. *Extat etiam Josephi Averanii Latina elegia, sane elegantissima, in obitu Antonii. Quod ad Jacobum vero pertiuet, inter illius scripta edita numerari quoque posse videtur opus legale, quod inscribitur*: Frattes de Rillis, pro Domu sua. Tractatus de Perpe-

vitam declararet. Multi vero extitere, qui de eo & fratre honorificentissimam mentionem fecerunt, & qui de illorum immatura morte sic flevere, quasi in vita nihil vidissent melius. Haec sunt fere, quae tibi nota esse volui de Rilliis fratribus, quanquam mihi propositum sit hoc loco de iis tantummodo Magistris dicere, qui honoratiores cathedras conscenderunt. Et ii quidem conscendissent, si postquam Institutionum Caesarearum studiosis prospexere, maluissent Pisis, quam Florentiae manere.

Fuit quoque juris civilis in primis peritus Jo. Bonaventura Nerius in Castro Florentino (hoc oppido nomen) natus, qui elementa juris civilis tradere coepit an. 1683. (1). Cum doctrinae insignibus

---

tuarii, sive de supremorum Principum concessionibus: Et ad specialem materiam plurium Literarum Apostolicarum concedentium, aut confirmantium Portam Flaminiam, & Praefecturam murorum, & antiquorum aedificiorum Urbis Alexandro de Crescentiis, ejusque in perpetuum successoribus extraneis, quales sunt ex Persona Fabritii Ursini sui Auctoris, & consanguinei, ipsi Fratres de Rilliis. Hujus praecipuae materiae occasione plura attinguntur de donationibus, Feudis, Emphyteusi, Officiis, Fideicommissis, & Beneficiis Ecclesiasticis. Opus quidem majori mole compositum ab Annibale Rillio Patritio Romano & Florentino, & in Romana Curia non obscuri nominis Advocato. Quod in compendium redegit, & pluribus additis, demptis, & pro re nata immutatis, omnibusque contractis evulgat Jacobus Dionysius Rillius de Ursinis, olim in Pisano Lyceo, postea Florentino Juris Civilis publicus Interpres Ordinarius, ibique Advocatus, & Illustrissimi Magistratus Novemviralis, Conservatorum Jurisdictionis, & Dominii Florentini Assessor, & Auctoris Germanus Frater. Lucae 1721. Typis Leonardi Venturini in fol.

(1) *Extant litterae Francisci Redii ad Donatum Rossettum datae Pisis an. 1685. in quibus haec de Nerio sane honorificentissima scribit.* Il fratello del nostro Dot. Gio. Neri, che ancor esso ha una lettura d' Instituta, si porta bravamente, ed a mio credere è il più bravo Institutista di tutti. *Nobilis & clarus Medicus erat Joannes, qui ex ipsius Redii schola prodierat.*

Digitized by Google

decoraret ejus filium Pompejum Josephus Averanius, debitum Patri praeconium tribuisse judicabis, cum de eo in haec verba dixisset. *Natus est optimo patre atque doctissimo, qui singularem juris scientiam cum clarissimis animi virtutibus, continentia, justitia, fide, integritate conjunxit. Singularem dico; neque enim illam, ut solent plerique omnes, ex colluvione legulejorum, coenoque opinionum inter se dissidentium, & plerumque cum antiqui juris integritate, cum ratione, cum ipsa veritate pugnantium collegit, sed e purissimis legum fontibus hausit, germanamque juris prudentiam non opinionum perversitate depravatam, & forensium rabularum sordibus inquinatam semper est consectatus. Etenim cum in celeberrima hac Academia multis annis jus civile publice esset interpretatus, & firmissima jecisset fundamenta juris prudentiae, ad dirimendas civium controversias accitus, censuit legum praeceptis, & aequi bonique ratione justitiam contineri, non auctoritate semidoctorum hominum, qui insulsis ac discordibus opinionibus juris prudentiam vexarunt, perdiderunt, funditus everterunt. Quamobrem cum juris prudentiam pristinae dignitati restituerit, ipsa patronum ac propugnatorem suum plenum doctrinae, plenum consilii, plenum gloriae ad altissimum gradum dignitatis evexit*. Evexit autem primum ad Judicis, ut vocant, Ordinarii in Senarum urbe munus (accidit id. an. 1689.) deinde ad Rotae Auditorem, quod ipsum onus postea sustinuit in Florentino Collegio, ac demum a supremis, ut loquebantur, consiliis gratiae & justitiae fuit Magnis Ducibus Etruriae Cosmo III. & Joanni Gastoni hujus nominis primo. His regnantibus, nil magni momenti accidit, de quo consulendus esset vir legum, & publicorum negotiorum gnarus & prudens, quin Nerii sententia exquireretur. Is quoque defendendas suscepit caussas, sane gravissimas, de hereditate Margaritae Aloysiae Aurelianensis Cosmi III. conjugis, & de dote Annae Mariae Mediceae Electori Palatino nuptae. Quae vero pronuntiavit in controversiis forensibus judicia, tantum habere ponderis putantur, ut iis nunc etiam lites definiantur, adeo boni &

Digitized by Google

aequi, & omnis legalis prudentiae sunt plena (1). Omnino de ingenio & de studiis optimis Nerii, & de prudentia & dexteritate in rebus tractandis sic judicabis, ut neminem illi anteponas, compares paucos. Is uxorem duxit Camillam Venturiam Senis nobili loco natam, ex qua plures suscepit liberos paternorum studiorum imitatores eximios. De Pompejo autem, qui ceteros honoribus superavit (omnia enim, quae voluit, & sua virtute profecto, & summo erga illum patris studio (2) consecutus est) alius erit dicendi locus. Extre-

---

(1) Joannis Bonaventurae Nerii Badia Regiae Celsitudinis Magni Ducis Etruriae in signatura libellorum supplicum gratiae & justitiae consiliarii decisiones & responsa juris Tomus I. continens decisiones Rotae Senensis & Florentinae; Florentiae 1769. ex typographia Josephi Allegrini. Tom: II. continens ejusdem responsa, quibus accedunt Pompeii filii decisiones, responsa & discursus legales; Florentiae 1776.

(1) Considerando S. A. R. il lungo e fedele ed attento servizio prestato alla sua Real Casa ed al pubblico dall' Auditor Giovanni Bonaventura Neri Badia nelle cariche da esso di tempo in tempo esercitate con aver sempre dimostrato e fatto conoscere il suo zelo, integrità e gran prudenza e dottrina non meno nelle risoluzioni legali, che in tutte le incombenze addossategli dalla R. A. S. per vantaggio del pubblico stesso. E presentendo che il Dottor Pompeo suo figlio oltre le sue distinte qualità non dissimili da quelle del Padre abbia applicato ed applichi seriamente agli studj, per il che possa aversi anche di esso qualunque ottima espettativa. E desiderando la R. A. S. che il detto Dott. Pompeo abbia sempre più maggiori impulsi ed occasioni d' avanzarsi nelle scienze, ed impiegare a benefizio pubblico il talento concessogli dalla divina Clemenza; conferisce però la prefata S. A. R. al detto Dott. Pompeo Neri Badia una lettura de Jure publico nell' Università di Pisa per dover godere da questo giorno tutte le preminenze, onori e privilegj e prerogative concesse a tutti gli altri Lettori, e principiare a leggere quando parrà proprio al detto Auditore Gio. Bonaventura suo Padre con quella provvisione e graduazione che sarà allora destinata dalla R. A. S. e tutto di suo motu proprio &c.

Il G. Duca di Toscana.

C. Gio. Panciatichi 6. Novembre 1716.

Digitized by Google

mum diem morte confecit Joannes Florentiae an. 1742. sepultusque fuit cum funeris pompa in Aede S. Josepho sacra, in quo ad prodendam posteris tanti viri memoriam statuam cum inscriptione ponere ejus filii aliquando cogitarunt, quod tamen, quamvis omnia prompta essent, minime perfecere.

Dicturo mihi de Josepho Averanio dabis profecto hanc veniam, ut ea hoc loco repetam, quae alibi de ipso multis verbis narravi. Non enim vereor, ne velificatus illi judicer; illud potius verendum, ne aliquid, quod de tanto viro referret seire, reticuisse reprehendar. Iisdem parentibus, quibus Benedictus natus Florentiae XIII. Kal. Apriles an. 1662., tum illius, tum Nicolai fratrum gloriae sic respondit, ut eos fama doctrinaque superasse videretur. Vel a prima aetate spem attulit summi ingenii, & non vulgaris virtutis; grandiorque factus, cum ad Vincentium Glariam hominem S. J., qui Florentiae publice rhetoricam docebat, ductus fuisset, clarius explenduit, quam generosi condiscipuli eum assequi se posse sperarent. Adjumenta quoque habuit ad litteras Graecas percipiendas ab Antonio Maria Salvinio; & brevi eo pervenit, ut sive Italice, sive Latine, sive Graece scriberet, ejus oratio colorata ac roborata appareret continua veterum scriptorum lectione. Nec solum in oratoria se exercuit, sed etiam in poetica, maximeque Latina, ad quam eum natura formaverat Cum jam, quantum satis esse videbatur, in hac mitiorum litterarum aquula feliciter navigasset Josephus, cursum ad graviores disciplinas direxit, ac primo ad Peripateticam philosophiam penetravit, monstrante viam Joanne Francisco Vannio S. J. Ne vero apud eam diutius moraretur, fecit libertatis ac veritatis amor, cui nihil tam esse infensum atque inimicum vidit, quam omnia ponere in unius hominis auctoritate. Retinuit tamen quasdam sententias Aristotelis, quas vero similiores esse putavit; semperque probavit, in Juris prudentia praesertim, usum Aristoteliae disputandi rationis, dolens hanc corruptam fuisse Scholasticorum captionibus, ineptissimisque argutiis. Aristoteli longe superiorem ponebat ejus magistrum Platonem, quem unum to-

tius Graeciae doctissimum, & quasi quemdam Deum philosophorum fuisse dicebat. Itaque ejus libros assidue pervolutabat, neque iis contentus, quaecumque extant veterum philosophorum scripta penitus voluit cognoscere. Memoriter etiam tenebat Epictetum & Arianum, cum plurimum tribueret Stoicis in ea parte philosophiae, quae versatur in virtute & moribus. Post autem, auctore Vincentio Viviano, duce vero Josepho de Papa, ad mathematicas disciplinas & recentiorem philosophiam venit; quibus in studiis, quanquam esset in alia distractus, tantos processus paucis annis effecit, ut tota vita in illa incubuisse videretur. Sed ita sunt maxima ingenia; quamcumque se in partem dederint, in ea ita excellunt, ut si nihil unquam aliud egerint. Sic cum Pisas se contulisset ad Juris prudentiam perdiscendam, tam longe in hac facultate progressus est, ut ipsi doctores Ceffinius, Borromaeus, & Rillius eum in hoc maxime admirarentur, ponerentque principem studiosorum. Habebat is quidem ad adipiscendam justi injustique scientiam plurima instrumenta, antiquitatis notitiam, philosophiae ac praesertim moralis cognitionem, perfectam eruditionem Graecarum & Latinarum litterarum, & judicium acre ac certum ad unamquamque rem examinandam, momentisque suis ponderandam. Quam vero esset vigilans & industrius, nullum afferre majus testimonium possum, quam quod primo anno, quo Pisis fuit, subsecivis horis Archimedem & commentaria Eutocii Ascalonitae in eumdem scriptorem e Graeco in Latinum converterit. Dignum opus hoc studiis eorum, qui litteris delectantur, existimavit, quod Commandinius, qui in interpretando Archimede elaboraverat, rem non absolvisset, quodque Rivaltus, qui eamdem confecerat, multa peccasset, & Eutocium minime attigisset. Porro, ut est gravissimum Antonii Mariae Salvinii judicium, nihil fieri perfectius potuit interpretatione Averanii, qui etiam multa addidit atque attulit de suo ad explanandos illustrandosque libros, qui sunt *de sphaera & cylindro*, *de spiralibus*, *de sphaeroidibus & conoidibus*, *& de quadratura parabolae*. Illa quidem declarant praestantem Auctoris scientiam in mathematicis facultatibus;

Digitized by Google

nec minorem oſtendunt, quae ipſe non poſt multo ſcripſit de *momentis corporum gravium in planis inclinatis*, ut Galilaeum defenderet ab oppugnationibus Vannii, quem habuiſſe praeceptorem ſupra retulimus. Scriptum profecto edidiſſet Joſephus pro ſuo ſingulari ſtudio in illum Philoſophum, niſi Aegidius Franciſcus Gottignesius eum in hac defenſione antevertiſſet. Exaravit etiam neſcio quaedam de Apollonio Pergaeo, credo, ut ſuis luminibus obſcura multa illius mathematici illuminaret. Nimis vero longus eſſem, ſi ſingula enarrare vellem, quae in tractanda phyſica & fecit & ſcripſit. Nullum enim ferme diem abire ſinebat, quin aliquid temporis concederet conſiderationi contemplationique naturae, in quo illius animus, praeſertim ſi aliquid occurreret, quod antea non bene cognitum, ac vero ſimile videretur, ſuaviſſima complebatur voluptate. Obſervata & notata a ſe communicabat cum ſummis viris Laurentio Bellinio & Joſepho de Papa, quorum doctrinae ſplendor omnibus quidem lucebat, ſed praeſertim Joſepho, quem in oculis ferebant. Idem ſaepe etiam a terra in caelum aſcendebat, ut curſus converſioneſque ſtellarum, reliquaque caeleſtia noſceret: neque illud ſatis mirari queo, ipſum, nullo duce, per ſe aſſequi potuiſſe Ptolemaeum inter ſidera ſpatiantem & abditiſſima naturae arcana permeantem. Nemo enim ignorat quanta in obſcuritate rerum & verborum illius Almageſtus verſetur. Haec aliaque ſtudia minime retardabant mirificos progreſſus, quos Joſephus in Juris prudentia faciebat, neque ejus voluntatem ab illa facultate vel minimum alienabant, quin immo magis magiſque accendebant, cum ei eſſet perſuaſum, Juriſconſultum, qui divinarum humanarumque rerum notitiam profitetur, maximis diſciplinis inſtructum, & omnibus prope doctrinis eruditum eſſe debere. Et ſane qui reputat graviſſimum teſtimonium, quod Benedictus frater Joſepho impertivit, dum illum anno 1684. laurea inſigniret, facile intelligit ipſum in aetatis flore ad eam laudem perveniſſe, ut ferme dici potuerit ἐγκυκλοπαιδικός. In hoc litterarum curſu comitem ſe praebuit Joſepho Nicolaus frater, de cujus hominis ingenio atque induſtria multa mi-

hi videbor praedicasse, si hoc unum dicam, nunquam haesisse in fratris vestigiis persequendis. Postquam in patriam rediit Josephus, oblata est ei conditio per Vivianium (huic enim mandata res erat) tradendi mathematicas disciplinas in Bononiensi Archigymnasio. Non dubitabat quidem is, quin cumulatissime Josephus expleturus esset mirificam expectationem, quam in recipiendo mandato commoverat. Verum ab ipso minime impetrare potuit, ut conditionem, honorificentissimam licet, acciperet. Haec recusatio pergrata fuit Cosmo III. qui retinendum in Etruria putabat adolescentem, de cujus praestanti doctrina multa audierat a Laurentio Magalottio, Francisco Redio, aliisque doctis viris, quemque omnes ajebant in aetatis flore non modo usum, sed habitum etiam virtutis consecutum fuisse. Itaque eodem ferme tempore munus ei detulit publice tradendi in Pisana Academia Institutiones Juris civilis. Extant litterae ejusdem Redii ad Donatum Rossettum datae Pisis prid. Kal. Febr. an. 1685. quibus ei nuntiat Josephum in ineundo novo munere eam habuisse orationem, in qua excellens & plane admirabilis triumphavit eloquentia. Dolendum sane neque hanc, neque alias, quas in illo Sapientiae domicilio habuit orationes, si unam excipias *de Jurisprudentia*, *Medicina*, *Theologia per sua principia addiscendis*, ad nos pervenisse. Dubito an ponam in orationum numero, quas in tradendis laureis laudationes fecit, quarumque vidi ego, septuaginta novem apud humanissimum amplissimumque virum Gabrielem Riccardium. Illud sine ulla dubitatione statuo ac judico fuisse in Averanio vim illam divinam, virtutemque ornate, copiose, varieque dicendi; talemque ejus extitisse orationem, qualis, ut de L. Crasso dixit Tullius, in bono aedificio firmus paries, & satis splendens. Quidquid vero docebat, mirum, quam sine ullis salebris, sine ulla asperitate influeret in aures animosque discentium, eisque se non adscita, fucisque ac pigmentis quaesita, sed naturali pulchritudine ac suavitate commendaret. Neque solum legum cognitione pectus auditorum suorum Josephus implebat, sed per omnem antiquitatem, omnemque philosophiam gra-

diens, ipsos ad fontes ducebat, unde manarunt amplissima juris civilis flumina, per quae toto orbe sparsa atque diffusa multos summo homines ingenio, sed praesertim Cujacium, Duarenum, Gothofredos, Donellum, Antonium Fabrum, Bynkershoekium, & Noodtium strenue prospereque navigasse dicebat. Horum in numerum poterat & se ipsum referre, nisi sua sibi obstitisset modestia. Retulit certe Heineccius, cujus judicium nemo ignorat quanti faciendum sit, dum viros enumerat, e quorum scriptis adjumenta habuit ad suas Antiquitates Romanas conficiendas. Erant enim tum in manibus hominum libri duo *Interpretationum Juris*, cujus operis vulgandi haec Averanio data est occasio. Cum Florentiae commoraretur Henricus Brenkmanus Batavus, ut ope Florentini codicis Pandectas verae lectioni restitueret, saepe ad Josephum veniebat, ex cujus congressu doctissimisque sermonibus se capere fructum maximum dicebat. Accidit aliquando, ut legeret selecta quaedam capita ejusdem operis, in quibus admiratus limatum judicium, reconditamque doctrinam atque eruditionem, ab Auctore impetravit, ut sibi liceret specimen aliquod mittere ad Cornelium Bynkershoekium & Gerardum Noodtium, aliosque juris consultissimos viros cives suos. His illud probatissimum fuisse hoc erit indicio, quod non solum suaserunt, sed etiam rogarunt, ut integrum opus in vulgus ederetur, maximo affirmantes istud usui fore Juris prudentiae studiosis. Facile annuit Josephus, quod approbatio a tanta auctoritate proficiscebatur. Itaque autographum Brenkmano concessit, hic vero ad Noodtium misit, cujus consilio Lugduni Batavorum a Petro Vanderio an. 1716. typis impressum est. Summus plausus, quo duo priores *Interpretationum* libri excepti a doctis viris fuerunt, stimulavit Josephum, ut iis tres alios adjungeret, in quibus componendis expoliendisque plurimos evigilavit annos. Cumque vita excessisset, priusquam eos typis committeret, hujus rei conficiendae, si placuisset, negotium dedit amico & discipulo carissimo Antonio Nicolinio. Omnia hic studiosissime diligentissimeque curavit. Nam iisdem Vanderianis typis an. 1746. opus sic excusum est, ut nihil

fieri potuerit elegantius. De quo toto opere cum aliquando judicium exquisiissem Leopoldi Andreae Guadagnii, viri in principibus hujus saeculi Jurisconsultis profecto numerandi, hoc ab eo responsum tuli. *Praeclaro Interpretationum juris opere quantum Josephus Averanius praestantissimus Jurisconsultus Romanam Juris prudentiam illustraverit, ornaverit, auxerit, animo percipere is facile poterit, qui animadvertat, eum in propositis quaestionibus dissolvendis omnia accurate praestitisse, quae ad profligandos errores, ad Juris origines atque progressus investigandos, & in lucem proferendos, ad certam demum constabiliendam sententiam pertineant. Non tam quod alii Interpretes dixerint, quam quod Romani prudentes excogitaverint, summo ingenii acumine deligit, summoque judicio perpendit. Ubi saepe alii, si quid minus adsequi possunt, obelis configere, nodos non solvere, sed secare solent, hic noster optimis rationibus aperte declarat, haud temere a' majoribus probatum id esse, quod habent vulgati codices. Quae supersunt in Justinianeis libris fragmenta non modo invicem, sed & cum classicis & assiduis tum Graecis, tum Latinis scriptoribus, quasi Cujacius alter, ita confert, ut aliis alii mutuam praeferre facem voluisse videantur. Cognitione antiquitatis, ac victrici, ut mos est Geometrarum, ratiocinandi vi luculentissime id ostendit, quod post ingentes tot doctissimorum hominum in promovenda Juris prudentia labores caeca adhuc erat caligine circumfusum. Neque, ut cultiores nonnulli Interpretes faciunt, sola ferme alicujus vocabuli, aut solemnioris ritus explicatione tota ejus disputatio circumscribitur, sed & ea, quae ad obscuram sive contrahentium, sive testatorum voluntatem interpretandam conducunt, ac forenses dirimunt disceptationes, fuse, docteque prosequitur. Jam vero quanta verborum proprietas, quanta sententiarum perspicuitas in singulis operis hujusce capitibus enitet! In quamlibet certe ejus partem oculos verteris, non tam elegantissimum scriptorem, quam eximii prorsus ingenii acerrimique judicii virum suspexeris.* Haec Guadagnius, qui nihil profecto amori in A-

veranium, cujus in disciplina fuit, concessit. Pleraque autem, quae sunt in his *Interpretationum* libris, explicavit Josephus auditoribus suis (1), tamque lautam supellectilem ad ea magis magisque illustranda conferebat, ut facile convinceret, neminem sine graviorum artium & doctrinarum instrumento ad Juris prudentiam posse accedere. Hinc saepe dicere solebat, illos turpiter errare, qui putant jus civile summatim percipi sine doctrina posse; nam cum haec facultas latissime pateat, eo firmiora doctrinarum fundamenta, & altiores radices habere necesse esse: tanquam perniciem reipublicae fugiendam, insectandamque illam Juris prudentiam conflatam ex colluvione legu-

(1) *Supersunt adhuc alia multa ejus scripta, quibus usus est ad erudiendos discipulos suos. Extant haec apud Migliorettum Maccionium, de quo supra mentionem feci. Sunt autem haec:*

De Origine & Progressu Juris Civilis Romanorum.
An Magistratus habeant Merum Imperium, an ejus exercitium.
An pro re mutua solvi possit ejus aestimatio.
An Remedium L. 2. C. de Resc. Vendit. competat etiam venditori, qui non ignorabat pretium rei venditae.
Quomodo liberetur Mutuatarius, si pendente obligatione valor nummorum deminutus vel auctus fuit.
De Interpretatione obscurae vel incertae Dispositionis.
De Concursu plurium actionum Rei Persecutoriarum, & an invicem consumantur.
De Pignoribus & Hypothecis.
Enarrationes ad Tit. Decretal. de Testam. & ult. volunt.
ad Tit. Cod. de Edend.
ad Tit. C. Qui admitt. ad Bon. Posses.
ad Tit. Pand. de Rebus Credit.
ad Tit. Pand. de Off. Ejus cui mand. est Jurisd.
Institutiones Juris Canonici.
Institutiones Juris Civilis.

lejorum, coenoque opinionum inter se dissidentium, & plerumque cum antiqui juris integritate, cum ratione, cum ipsa veritate pugnantium; qui hanc sequuntur omnia sordido quaestu, non scientia, doctrina & dignitate metiri. Haec aliaque monita crebro inculcata studiosis, erant industriae quidam ac laboris stimuli ad veram concipiendam sapientiam, elucebantque veluti signa itineris, quod ab iisdem erat conficiendum. Quo in itinere ut facilius progrederentur, omnibus patere voluit domum suam, tanquam officinam omnium magnarum facultatum; neque recusavit etiam habere domesticos convictores adolescentes, in quibus praeclara esset ingenii virtutisque indoles. Possem plurimos illustres honoribus & fama nominatim referre, qui ex ejus schola prodierunt. Sed vereor, ne aut quemquam aliis praeferre videar, aut si quos praeteream incautus, offendam. Itaque satis mihi videbor dixisse, cum nominavero Joannem Gastonem Mediceum, quem ejus pater Cosmus III. consilio Henrici Norisii an. 1688. Averanio tradidit erudiendum in disciplina juris. Exercuit Averanius juventutis principem diligentissime non solum in Juris prudentia, ejusque ministra & famula Graeca Romanaque eruditione, sed etiam in contemplatione naturae. Cumque anno 1696. & eo, qui consecutus est, sociis & adjutoribus Cypriano Targionio aliisque doctis viris, plurima in ipsis Mediceis aedibus habuisset experimenta de vi radiorum solis in vitris collectorum, videbatur renovasse nobilissimam illam Academiam, cui nomen erat *del Cimento*, adversantibus licet iis, qui cognitionem veritatis innocentiae labem aliquam, aut ruinam fore putabant. His experimentis perspectum habemus, vi radiorum solis gemmas, ceterosque vel durissimos lapides, si unum excipias adamantem, qui sensim absumitur & evanescit; amiantum, talcum, multoque magis ligna, herbas, poma, caseum hisque similia brevissimo tempore liquefieri, & in crystallum converti; liquida vero corpora, sales, plumbum, hydrargyrum abire in fumum; res ab aqua, vel in aqua genitas in calcem redigi; aurum, argentum, atque aes minime mutari, sed pristinam conservare naturam; vitrio-

Digitized by Google

lum cypri, aliaque metallica corpora verum, pulcherrimumque in metallum verti, sic vero versa haud amplius immutari. Haec eadem experimenta accuratissime eleganterque Etrusco sermone descripsit Josephus, qui nos quoque illud scire voluit, lunae radios nunquam vim tantam habere, ut calefaciant. Quod quia nullo modo sine summa cura ac diligentia deprehendi per experimenta potest, hinc factum puto, ut multi, quamvis insignes Philosophi, in contrariam iverint sententiam. Idem Pisis cum esset, summa felicitate renovavit ante oculos discipulorum suorum, quae Hawksbaeus habuerat experimenta de luce, & electricitate corporum; & dum tractaret Boyelanam machinam, vidit nova & incognita quaedam de pondere & elasticitate aeris, atque haec & alia hujusmodi multa, de quibus in Tillii vita mentionem fecimus, litteris mandavit. Plura quoque investigavit de odorum proprietate; & in iis componendis, quoad vixit, valde delectatus est. Sed praesertim in id incubuit, ut tempus constitueret, quo sonus propagatur, utque cognosceret, num ejus velocitas adversis ventis retardetur, secundis augeatur. Haec aliaque experimenta de sono fecit Averanius rogatu Laurentii Magalottii, qui eadem concessit postulationi Regiae Societatis Londinensis. Haec vero volens Averanii operam remunerari, illum honorifico decreto suum in collegium cooptavit. Nec minus excellebat Averanius in fabricandis telescopiis aliisque mathematicis instrumentis; omninoque videbatur ad physicas & mathematicas facultates natus, per quas, non secus ac per Juris prudentiam, potuisset sempiternae gloriae commendari, si famae cupidior fuisset. Illam laudem unice videbatur quaerere, ut aliorum utilitati serviret, quod quidem se consecuturum putavit, si Pisis Academiam institueret, in qua industrii adolescentes in omni re physica exercerentur. Huic Academiae *Oppressorum* nomen dedit, legesque, quibus illa teneretur, Latine descripsit, verbis & sono subrustico imitatus antiquitatem. Nec minori Juris studiosorum commodo multos praefuit annos illi Academiae, quae dicta est *Umbrosorum*, quaeque ad excolendam Juris prudentiam fuerat condita. Continue e-

Digitized by Google

nim adolescentes in thesibus modo ad philosophorum morem tenuiter disserendi, modo ad copiam rhetorum in utramque partem exercebat; interdum etiam illos jubebat afferre orationes, in quibus aliisque rebus conficiendis, si quis ope sua indiguisset, hanc nemini deesse patiebatur. Extant theses quaedam de jure belli & pacis, quae laudem non mediocrem pepererunt tum Averanio, qui eas scripsit, tum Germano cuidam adolescenti, qui easdem publice propugnavit. Profecto nunquam conquiescebat, nisi cumulatissime satisfecisset discipulis suis. Non paucos quoque liberalitate sua devinxerat, quibus rebus fiebat, ut quotiescumque in publicum prodiret, multi eum subsequerentur, & nemo ei par in civitate poneretur. Triennium ferme ipse in explicandis Iustiniani Institutionibus laboravit, post quod tempus an. scilicet 1687. ad extraordinariam juris civilis cathedram, atque an. 1700. ad ordinariam, cum antea in hac per triennium vices gessisset Brondii, vocatus fuit. Accidit aliquando, ut Pisas adveniret Fridericus Augustus Regius Saxoniae Princeps. Is motus praeclara fama, quae de Averanio erat, voluit eum e superiori loco docentem audire. Rem gratam fore juveni Principi putavit Josephus, si argumentum e publico Jure depromptum tractasset; fuditque pene ex tempore dissertationem illam *de Represaliis*, quae est in manibus, & ex qua facile intelligi potest quanta in eo esset doctrinae copia (non tamen est celandum ipsum non aeque perfecte Juris publici, ut civilis, leges & instituta cognovisse) & quam plenus esset, uber atque elegans ad Latine dicendum. Inter haec Josephus Benedictum fratrem amisit, quem casum pro mutua conjunctione, benevolentia, quotidianaque consuetudine vehementer doluit. Quaesivit ipse levamentum doloris in canendis mortui laudibus flebili ac molli carmine, illiusque vita Latine describenda, quae quidem praestitit suo more elegantissime: & hoc quoque se debere fratri dulcissimo putavit, ut ejus scripta Praefatione vindicaret ab illis, qui ea incondita, inordinata, multa quidem eruditione referta, sed non satis ornata, & sanguine ferme carentia dicebant. Ca-

Digitized by Google

vit quidem semper Josephus, ne imitaretur exemplum illorum, quibus unice est propositum, ut multa proferant, non delectum, non modum, non ordinem spectantes, sed acri, quo pollebat, judicio ex thesauris suis tantum expromebat optime convenientia, eaque non vulgaria, sed recondita; omnia vero distincte, & ordinate disponebat illustrabatque mira orationis elegantia. Fecit hoc in iis Italicis dissertationibus, quas dixit in nobilissima Florentina Academia Etrusci sermonis moderatrice atque custode, quarumque tria extant volumina ab Antonio Francisco Gorio annos aliquot post mortem Auctoris edita. Primum abundat doctrina veterum philosophorum, ac praesertim Platonicorum de Deo, ejusque natura. Plurima quoque habet ex intima Christiana theologia, & ex SS. Patribus, praecipue Graecis deprompta. Sunt & in eodem volumine, quae de acerbissimis cruciatibus, indignissimoque Servatoris nostri supplicio Josephus disseruerat, & Urbini an. 1738. mendose quidem typis impressa fuerant. Porro haec hominem in lectione SS. Patrum celebriorumque Theologorum exercitatissimum ostendunt, quorum sententias de generibus poenarum, quas Christus sublit, ad leges consuetudinesque veterum Romanorum eruditissime perpendit. Hac enim via, quod verisimilius esset, in magna opinionum varietate statui posse putavit. Non incommode quaedam persequitur de coronis veterum: deinceps pluribus explicat, qua ratione in morte Christi deficere sol universae quidem terrae, exstinguique visus est; & pauca quaedam docet de Hebraeorum, Romanorumque magistratuum potestate, judiciorumque forma, ad levandam aliqua ex parte Pilati culpam in acerbissima injustissimaque Christi damnatione. Claudunt demum volumen disputationes duae de mundi fine, quibus Averanius suadere nititur, illum tum fore, quando cuncta astra ad idem, unde semel profecta sunt, redierint, quod temporis spatium annus magnus appellari solet, in quo, vix dicere audent astronomi, quam multa saecula teneantur. Secundum volumen plurima habet physica, quae mirabiliter explicant igneam solis naturam & summam lucis subtilitatem ve-

Digitized by Google

locitatemque. Explicant etiam quae de corporum gravitate, hujusque legibus docuerunt philosophi, praesertim recentiores, rationemque reddunt, quare vis gravitatis minuatur, si corpus per aquam descendat. Vidit hoc primus omnium Leibnitius: multa vero prompsit ex se Averanius ad illud ipsum confirmandum. Quod autem putaverit Leibnitius, illa observatione explicari facile posse caussam ascensus & descensus hydrargyri in barometro, hoc neutiquam probat Averanius. Sunt etiam in eodem volumine (non commemoranda hic esse duco experimenta habita a Josepho cum ignario speculo & quaedam alia de sono, quia illa supra retulimus) erudita multa. Talia sunt, quae comprobant haud incognita fuisse veteribus non solum ignaria specula, sed etiam ea, quae formas aut augent aut minuunt; nec non illa, quae originem & progressionem naviculariae apud veteres persequuntur; & quae demum ostendunt nunquam fuisse in Liguria Apuam urbem, quamvis a Tito Livio Ligures Apuani nominentur. Postremo ad ornamentum voluminis accedunt binae funebres orationes, quibus Josephus laudes celebravit Philippi Corsinii & Laurentii Magalottii; & quae idem praefatus est de conjungendis praeclaris artibus & disciplinis cum Juris prudentia, dum in lucem an. 1704. Florentiae emisit lyrica quaedam Ansaldi Ansaldii, viri utriusque juris consultissimi. Tertium volumen magna ex parte conficiunt erudita & curiosa multa de conviviis veterum. Haud pauci quidem, e recentioribus praesertim, tractarant istud argumentum, quos omnes cum diligenter pervolutasset Josephus, undique flosculos in rem suam carpsit ac delibavit. Sed majora sunt, quae ipse per se investigavit, quaeque retrusa antea atque abdita in media antiquitate protulit in lucem, ut videatur voluisse omnes superare doctrina, eruditione, subtilitate atque elegantia. Epularia sequuntur pauca quaedam physica, metaphysica & juridica. Ostendunt priora, qui fieri potuerit, ut multi sine cibo diu vitam sustentaverint; commendant altera dulcem & altam non jam corporis, sed mentis quietem ad explicandum illum Homericum versum:

versantur postrema in ea quaestione, utrum significatio Italici verbi *mobili* eo trahi possit, ut annonam comprehendat. Tribus his voluminibus quartum adjunctum est, in quo sunt Latinae dissertationes duae, & oratio *de Juris prudentia, Medicina, Theologia per sua principia addiscendis*, de qua supra commemoravimus. Agit prior dissertatio *de Lampadum ludo*, eaque probatur illum non fuisse in usu apud Romanos, ſuisse vero apud Graecos pervulgatum, qui Panathenaeis, Vulcanalibus, & Prometheis ipsum celebrare solebant in Ceramico. Probatur etiam eos, qui hoc ludo certabant, minime lampadem in orbem circumtulisse, sed a primo ad secundum, a secundo ad tertium, atque ita deinceps ad postremum usque eam traduxisse. *Ludos in genere* prosequitur secunda dissertatio, ostenditque a Lydis ludos ad fallendam famem in magna aunonae caritate inventos fuisse, ab iisque nomen accepisse; non tamen omnia ludorum genera nos ipsis debere, certe non ludum calculorum, seu quod idem est, latrunculorum, cujus inventorem fuisse putat Palamedem Graecorum sapientissimum. De hoc autem ludo calculorum; de variis illo ludendi modis tum apud Graecos, tum apud Romanos; de ejus differentia cum ludis tesserarum & talorum; de vocibus ad omnia haec ludorum genera pertinentibus, in quibus interpretandis doctissimi etiam viri saepenumero errarunt; &, ut alia praeteream, de ludo quodam Aegyptiorum a Theute invento, in quo motus astrorum repraesentabatur, tam scite ac litterate disserit, ut facile existimari possit, illum fuisse antiquitatis peritissimum. Ejus vero bonitatem declarant quae extrema dissertationis parte posuit ad penitus removendos homines ab aleae ludo, in quo sola dominatur fortuna, cujusmodi erant ludi talorum & tesserarum: si cupiunt animum relaxare, posteaquam gravibus seriisque rebus satisfecerunt, ludant latrunculis, in quo omnia sunt artis & ingenii; vel saltem, quodam

retento modo, iis utantur lusionibus, in quibus cum fortuna certat ingenium, & sortis iniquitas solertia artis corrigitur, qualis erat ludus tesserarum cum calculis, cui Plato vitam humanam comparabat, & de quo Terentius in Adelphis act. IV. s. VII.

Ita vita hominum, quasi cum ludas tesseris.
Si illud, quod maxume opus est jactu, non cadit.
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Cum his posthumis Latinis monumentis Averanii optandum erat, ut ederentur quoque ejus laudationes, quas in tradendis doctrinae insignibus fecit (lucent enim in iis maxima eloquentiae & praeceptorum ornamenta) nec non libellus Latinorum carminum, quem Petrus Burmannus captus eorum nitore atque splendore olim edere meditatus est. Nam studia poetica, ut initio narravimus, in adolescentia Josephus fovit; & ex quo tempore juvenilis alacritas deferbuit, quanquam nunquam accesserit ad poeticas scriptiones, temperare tamen sibi non potuit, quin excellentiores poetas quotidie fere in manus sumeret, eorumque lectione, quasi condimento amoenitatis, graviorum studiorum asperitatem molliret. Mirum! quam multa ipse memoriter, praesertim ex Plauto, Catullo, Virgilio, Horatio & Juvenali recitaret, videbaturque nihil esse in iis non solum, sed etiam in aliis antiquitatis scriptoribus, quod illi esset incognitum. Quod vero munus afferre patriae suae majus meliusve potuit, quam si libello probasset, Rempublicam Florentinam omnino liberam, nullique obnoxiam fuisse, antequam Medicei Principes illius imperium tenerent, hoc autem obtento, neque potuisse, neque voluisse Carolum V. Caesarem jura illa intervertere, quae ad se Etruriae Duces transtulerunt quaeque populi concessu suo sanxerunt? Sunt qui tradunt materiem hujus operis Bonaventurae Nerio, scriptionem vero Averanio deberi, quod quia nobis non bene compertum est, in medio

relinquimus. Satis de scriptis Averanii dictum erit (1), si hoc unum addam, non pauca ejusdem judicialia & forensia extare. Nullo non enim tempore consulentibus de jure respondit; & interdum etiam ad caussarum defensionem advocatus venit, cum quidquam non

(1) En *Editorum indicem*.

Esperienze fatte collo specchio ustorio di Firenze sopra le gemme, e le pietre dure. *Harum rerum specimen prodiit primum in Parte V. Tom. VI.* della Galleria di Minerva: *mox eadem experimenta prodiere in Tom. VIII. art. IX.* del Giornale de' Letterati d' Italia.

Disputatio de jure belli & pacis. Floren. 1703.

Prefazione alle Poesie Toscane di Monsignor Ansaldo Ansaldi impresse in Firenze nell'an. 1704.

Vita Benedicti Averanii, & Praefatio ejus operibus. *Extant in primo volumine eorumdem operum, quae edita sunt Florentiae tribus voluminibus in folio an. 1717.* Elegia *in mortem ejusdem Benedicti extat in tertio volumine.*

Dissertatio de Repressaliis habita Pisis an. 1713. *Edidit hanc primus Lazzarus Benedictus Miglioruccius an. 1732. Tom. IV. suarum* Institutionum Juris Canonici p. 75

Interpretationum Juris libri duo. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander Aa, 1716. in 8.

— Libri tres posteriores, Pars I. & II. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander Aa, 1746. in 8.

De libertate Civitatis Florentiae ejusque dominii: Pisis 1721. in 4.

Oratio de Juris prudentia, Medicina, Theologia per sua principia addiscendis, Pisis habita an. 1723. in solemni instauratione studiorum a V. Clariss. Josepho Averanio Pisano Antecessore, nunc primum edita sub auspiciis Illustrissimi & amplissimi viri Bonaventurae Nerii Badiae magno Etruriae Duci a consiliis. Veronae, in 8. *Edidit hanc orationem Draunerus Cibanctus, sub quo ficto nomine occultari voluit Bernardus Tanuccius, qui Averanii disciplinae alumnus fuit.*

Digitized by Google

cuperet magis, quam exemplo suo ostendere, omnibus vivendum esse, fugiendamque oscitantem & dormitantem sapientiam. Romae apud XII.viros litibus judicandis adfuit Antonio Mariae Duci Salviato, quocum vinculis beneficiorum & magni amoris erat conjunctus. Atque in ea defensione illud animadversum est, hominem, qui quidquid deferebat, multa commentatione & meditatione elaborandum esse putabat, ut mereri posset elogium, quod Hierocles philosophus Socrati tribuisse fertur, illius sermones tesseris esse similes, cum starent semper erecti quacumque caderent, iniquo tulisse animo morem, qui est in eo collegio, scripto respondendi adversariorum argumentis paucarum horarum spatio. Romae dum fuit, in admirationem benevolentiamque sui multos adduxit, ac praesertim Ansaldum Ansaldium & Ferdinandum de Valentibus: hic vero non uno in loco suorum forensium operum praeclara testimonia dedit Averanii doctrinae. Iidem quoque ipsi XII.viri litibus judicandis, quod raro homini viventi contigit, non semel in suis *Decisionibus* Josephi nomen auctoritatemque laudarunt. Quam vero longe lateque ejus fama vagaretur, declarant quae de eodem scripserunt Schultingius, Barbeiracius, Heineccius, Van-de-Water, Brenckmanus, Clericus,

---

Lezioni sopra la Passione di Nostro Signor G. C. Urbino 1738.

Dissertatio de Calculorum seu Latrunculorum ludo. Venetiis 1742. in Tom. VII. della Miscellanea di varj opuscoli.

Lezioni Toscane dell'Avvocato Giuseppe Averani Accademico della Crusca Tom. I. in Firenze nella Stamperia di Gaetano Albizzini 1744. in 4.

.... Tom. II. presso il medesimo 1746.

.... Tom. III. presso il medesimo 1761.

Monumenta Latina Posthuma Josephi Averanii Florentini in Pisano Athenaeo Antecessoris nunc primum edita. Florentiae 1768. ex typographia Albizziniana.

Consultationes & responsa juridica varia seorsim edita.

Digitized by Google

Menckeuius, Noodtius, & Bynckershoekius; qui duo postremi ipsum quoque per litteras consuluerunt de controversia inter eos orta, quonam cessaverit tempore paternum jus occidendi exponendique liberos. Noodtius enim primos istud crudele jus delevisse Valentinianum, Valentem, & Gratianum existimabat; citius legibus illud ipsum vetitum fuisse contendebat Bynckershoekius, cujus sententiam confirmavit Josephus, usus praesertim testimonio Tertulliani *lib. I. cap. XV. ad Nationes*, qui locus rem conficere videtur. Haec quoque non mediocris laus fuit ejus praestantis doctrinae, quod Victorius Amedeus Sardiniae Rex magnis praemiis ipsum invitavit ad docendam juris prudentiam in Taurinensi Lyceo. Quae omnia respiciens Cosmus III., voluit aliquando eum in Florentinum Collegium VI.virorum litibus judicandis cooptare, quod gloriosissimum erat Josepho non solum propter muneris amplitudinem, sed etiam quia tum veteri instituto, minime ad illud admittebantur, nisi qui essent alienae civitatis. Verum is noluit Pisanam Academiam deserere, a qua nulla unquam res potuit ipsum divellere, nisi corporis infirmitas. Nam qui gracilis semper fuerat, & in graves mortiferosque non semel morbos inciderat, cum ad LXII. aetatis annum pervenisset, coepit assiduis doloribus (humores enim, qui corpus interfluunt, acor corruperat) assiduaque febricula vexari. Postquam vero cum spe valetudinis recuperandae spem quoque amisit Pisas redeundi ad suum munus, hoc se abdicare cogitavit, cum vir castissimus assignatum muneri stipendium sine praesentia atque opera accipere se non posse putasset. Non tulit hoc Joannes Gasto Mediceus, qui eo tempore ad Etruriae clavum sedebat, ac bono illum animo esse jussit, & illud curare unice, ut diu vitam produceret. Cessit Josephus Principis voluntati: ut vero ex animo omnem sibi scrupulum evelleret, totum illud tempus, quo sibi dabatur aliqua incommodorum levatio, in absolvendis *Interpretationum Juris* libris consumebat. Sic enim, quod voce non poterat, ut Juris prudentiae studiosos erudiret, hoc idem monumentis litterarum assequi curabat. Consumpsit in his ma-

Digitized by Google

lis XIV. annos ea fortitudine, ut ne vel minimum a patientissimi hominis statu discesserit. Dixisses scopulum, quem non jam umbra quaedam sapientiae, sed summa sanctitas atque religio adversus omnes humanae vitae fluctus immotum fecerant. Cumque ad ceteras miserias postremo, quo vixit, anno accessisset apoplexis, nunquam vim tantam habuit proximae mortis aspectus, ut non plus haberet Christianus homo, fretus conscientia optimae mentis futurorumque bonorum spe, quod gauderet, quam quod aut angeretur, aut perturbaretur. Et quotidie pascens animum sacrorum librorum lectione, & saepe instruens se caelesti Viatico, omnibus demum, quae ad religionem pertinent, sancte peractis, vitae cursum confecit mane IX. Kal. Septembris an. 1738. Funus ei satis honorificum factum est in S. Marci, ibidemque, sicuti jusserat, sepultus, ut is locus, quem religionis ergo vivus frequentaverat, & in quem singulari fuerat studio, mortuum reconderet ac custodiret. Neque multo post in peristylio, quod Templo adhaeret, prope sepulcrum majorum meorum, Antonius Nicolinius praeceptori benevolentissimo marmoreum monumentum faciendum locavit, in quo haec inscripsit:

JOSEPHO AVERANIO

CIVI FLORENTINO BENEDICTI ET

NICOLAI FRATRI

IN PISANA ACADEMIA LIII. ANNOS

LEGUM INTERPRETI

JURIS CONSULTORUM SUI

TEMPORIS MAXIMO

PHILOSOPHIA GEOMETRIA ASTRONOMIA

GRAECIS LATINIS LITTERIS

Digitized by Google

POESI ELOQUENTIA

ROMANAE HISTORIAE COGNITIONE

CLARISSIMO

RELIGIONE MORIBUS SPECTATISSIMO

PRAECEPTORI OPTIMO

QUI VIXIT ANN. LXXV. MENS. V. D. IV.

OBIIT IX. KAL. SEPT. ANNO A

CHRISTO NATO

M D C C X X X V I I.

ANTONIUS NICOLINIUS

EX MARCHIONIBUS PONTIS SACCI

ET CASTRI CAMULIANI

H. M. D. S. P. F. C.

Testamentum fecit, in quo scripsit heredes aegrotós valetudinarii Religiosorum, quos vocant Hospitalitatis. Legavit etiam partem bonorum ad dotandas pauperes honestasque puellas. Postremo volens commodo utilitatique studiosorum servire, bibliothecam suam Academiae Pisanae reliquit. Haec quoque declarant Averanii pietatem in Deum, quam sic coluit tota vita, ut imaginem antiquitatis in eo dixisses intueri. Intentus erat animus ad omnia religionis munia obeunda; summa custodia sensuum; statis quotidie temporibus divinis precibus vacabat; nihil majoris momenti aggrediebatur, nisi consulto & propitiato Deo; neque unquam in suggestum ascendebat, quin prius templum aliquod ingrederetur ad divinam opem implorandam. Illum natura formaverat ad iracundiam propensum, sed hanc sic compressit, ut esset in eo, quasi cos fortitudinis, quemadmodum illam

veteres Academici dixerunt, non peccandi occasio. Ex quo factum est, ut multorum sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam, nemiuemque, etsi lacessitus, laeserit. Si quando vero cogebat eum veritas, quam nulli disciplinae addictus unice semper amavit, aliorum opiniones convellere, nunquam eos nominabat, videbatque sedulo, ut confutatio, quod & in monitionibus observavit, omni acerbitate careret. Vix tamen ferebat, ut a discipulis suis sibi contradiceretur; nec defuit aliquando eorum unus ingenio, libertate dicendi, aliisque multis nominibus insignis, qui audacter in ipsum jaceret Cujacianum illud: *Si verum amamus, sumus invicem magistri, & discipuli*. De reliquo impense eos diligebat Josephus, & ab iis quoque dilectus est; cujus rei non mediocre argumentum est aeneum numisma, quod eidem dedicarunt. Ex una parte istud repraesentat effigiem Averanii, ex altera Parrhasium montem, templum & simulacrum Deae Themidis cum hanc inscriptione: THEMIS PARNASSIA; quae insculpta sunt ad indicandas praestantes, multiplicesque artes atque doctrinas, quas Josephus cum perfecta Juris cognitione copulabat. Id ipsum suspiciens Laurentius Bellinius, in nobilissimo illo suo *de Buccheris* poemate dubitare se dixit (danda quaedam est licentia Poetae) an plures in Averanio essent animae. Quam laudem multiplicis eruditionis magnifice quoque extulit Nicolinius, cum Josephum laudandum suscepisset apud Academicos Etruscae linguae custodes conservatoresque, ut omnia, quae amantissimi erant discipuli, officia & vivo & mortuo praestaret. Nimis vero longus essem, si singulos recensere vellem, qui summa de Averanio praedicarunt. Nihil enim ei invidia detraxit, semperque aequissimis usus est hominum judiciis. Itaque minime est mirandum, si sic Pisis fuerit, ut delata ei omnium consensu Academiae Dictatura videretur. Nec minoris erat ejus auctoritas apud cives suos. Multorum controversias tanquam honorarius arbiter judicavit, multis consilio praesto fuit; quod cum faciebat non quaestu & lucro, sed hominum caritate se duci palam ostendebat. Cum vero solitus fuisset

iis

Digitized by Google

iis temporibus, quibus Florentiae, propter vacationem a publico docendi munere, commorabatur, frequentare Academiam patriae linguae moderatricem, ita in ea praestabat, ut omnia illius nutu geri viderentur. Quod tum maxime apparuit, quando ejus hortatu immensum opus susceptum est iterum conficiendi Etrusci Lexici. Una enim vox Averanii, unum consilium incredibilem rei magnitudinem ac difficultatem vicit. Quod vero in tanta existimatione tantaque fama modestiam servaverit, neque unquam elati inflatique animi signum dederit, hoc magnum & mirabile debet judicari. Optime novit, & in se expressit difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate, quae res plurimum valuit ad conciliandam ei apud homines auctoritatem & gratiam. Cultor, siquis unquam alius, castitatis & virginitatis, amicis adhortantibus se ad uxorem ducendam respondebat, nihil esse libero lectulo jucundius. Et qui voluptatem virtuti inimicam semper odit ac fugit, tam parce, continenter, sobrieque vixit, ut illam vocem Socratis ad nundinas Athenis celebrari solitas egressi usurpare potuerit: *heu quot non egeo*! At quantum commodo, voluptatique detrahebat, tantum liberalitati assignabat, & ne differendo videretur negare, semper habebat secum, quod statim daret opis ejus indigenti. Nulli vero amicorum fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Sic se gerendo minime mirum esse debet, si ejus vita omnibus fuit carissima, & mors peracerba.

Vellem equidem, ut tam lautam materiem laudandi mihi suppeditarent Pisani Doctores Michael Angelus Montius, Vincentius Frosinius, & Rainerius Casapierius, qui omnes Stephanianae militiae erant adscripti. Per totos XXXII. annos Montius, qui ineunte anno 1718. e vivis excessit, operam praestitit Academiae, diutius etiam Frosinius patre satis bono causidico genitus, qui cum ad illam venisset an. 1686. e vita cessit IV. Kal. Junias 1741; ad non tam longum tempus Casapierius, cum mortem obiisset XII. Kal. Apriles an. 1726. XXXXII. scilicet post annos, quam ad illam accesserat Caesarearum Institutionum interpres. In mediocritate doctrinae (de

consultiori, minime autem de forensi loquor) hanc saltem laudem consecuti sunt, ut constanter & diligenter in suis obeundis muneribus se se gessisse judicati fuerint. Sejunximus ab iis Pisanum alium Vincentium Aullam, Equitem & ipsum, qui per totos XXXIV. annos (extinctus enim est an. 1732.) per omnes gradus ad primam usque juris civilis cathedram ascendit. Caussa autem sejungendi fuit, quod ejus doctrina nota est multis Benedicti Averanii testimoniis, qui gloriari videbatur, hunc unum esse, quocum seria, quocum joca egerit. Ex illius epistolis scimus Vincentium geometriae, & Latinis Graecisque litteris operam dedisse, & juris prudentiam cum iis artibus conjunxisse, quae illam ornant ac ditant, & cum primum animum ad illam applicuit, aegre tulisse, quod amoenissimis disciplinis praetermissis, & abstractus a Rhetorum spatiis, & mollissimis recessibus poetarum in jurisconsultorum salebras ac dumeta compulsus fuisset. Tanta autem constantia in his perseveravit, ut ipsius Averanii carminibus celebratus dies fuerit, quo illius facultatis insignia accepit. Habeatur sane jurisconsultus, sed de minoribus, quia ex eo studio, quod adolescens in litteris posuit, postquam uxorem duxit, & negotiis familiaribus impeditus fuit, non parum remisit. Vides me metiri doctrinam dignitate Academiae, non opinione quorumdam, quibus satis est ad gloriam, si quis afferat ad scholam, quod a vulgari & communi prudentia paullulum distet.

Hunc aetate & magisterio antecessit Paullus Franciscus Molinellius, de quo dictum est fuisse magni ingenii hominem, magnaeque opinionis apud eos, qui juri studebant. Cum ad Academiam venisset an. 1686. nactus est competitorem Iosephum Averanium, & cum hoc certare sane illi gloriosum fuit. Certavit autem ad annum usque 1705. quo Sextili mense naturae concessit, cum in flore adhuc esset aetatis. Hoc semper dignitati suae, aequitatisque opinioni expedire putavit, ut tanquam procurator ageret res discipulorum suorum, ac praesertim Genuensium, qui tum plurimi ad Academiam veniebant. Fuit enim fide & diligentia singulari. Anno post quo Molinellius,

Digitized by Google

locum in Academia obtinuit Stephanus Campana Eques, Seravetiae ea familia ortus, quae quondam magna in gratia fuit apud Cosmum I. Non tam gratiosus ille fuisse videtur, quia licet magna cum laude in stadium juris prudentiae ingressus fuerit (1), & hanc per solidos annos XXXVI. sic docuerit (obiit enim an. 1723.) ut si non primas, secundas tamen partes illi omnes deferrent, non plus tamen CCLX. annuis centussibus ab Academiae ipsius aerario exigebat.

Nunc in medium afferam hominem in Norvegia natum nomine Joannem Hoppener, cujus caussa nova instituta cathedra fuisse videtur, quae dicta est *eruditionum legalium*. Magna erat opinio illius doctrinae, quamvis homo, cujus vita ambitionis labore distracta semper fuerat, nunquam id consilii ceperit, ut juris prudentiam profiteretur (2). Et munera sane honorificentissima in patria gessit, quibus catholicae religionis studio se orbari facile passus est. Quibus vero auspiciis fores Academiae ingressus sit, intelligi potest ex litteris, quas ad Sergrifium dedit famulus quidam ipsius Academiae. Ait enim orationem habuisse, in qua major erat elegantia & doctrinae copia, quam ut ab homine Norvego postulandum esset. Multa praeclara in illo viro erant, sed ex curatione, quam sibi ipsi fecit, & ex qua obiit secundo anno postquam ad nos venerat, conjicies aliquid inusitati in illo fuisse (3). Sepultus est in S. Nicolai, comi-

(1) *De eo retulit Academiae Curator an.* 1693., ch' era giovine bravo, d' ingegno, e che si faceva grande onore.

(2) *Sic de se scripsit*. Non ho mai professato, nè mi sono addottorato in nessuna facoltà, stante che non ne avevo bisogno per essere avanzato a cariche onorevoli. *Nihilo tamen minus legi in juris Doctorum collegium petiit, & obtinuit*.

(3) Lunedì prossimo scaduto è passato all'altra vita il Dot. Gio. Hoppener, e la causa della di lui morte è stata per aver preso quattro volte l'anti-

tante illius funus universo Doctorum collegio. Haud erat sane, quod requireretur eruditionum legalium cathedra, cum essent Pisis plurimi cultioris juris prudentiae doctores eximii, in quorum numero ponere minime dubitabo Jo. Baptistam Maures Florentinum Averanii auditorem. Is venit ad Academiam an. 1692. & dum jus civile docuit (docuit autem ad annum usque 1716., quo vices gerere Cancellarii, ut vocant, Stephanianae militiae jussus est) exornare illud eruditionis copia studuit. Post illud tempus praefuit Feudorum cathedrae, quae minus laboriosa esse, & magis convenire homini in aliis rebus occupato putabatur. E vita autem cessit an. 1722., & inventus est nemo, qui lacrymis illius funus decoraret, quod litium magis, quam benevolentiae jura didicisse visus fuerit. Extremo tempore frigide etiam egit, quod concupierat, usque eo, ut parum diligens in instituendis discipulis judicaretur. Principibus quidem Mediceis summae semper curae fuit, ut & magistri & discipuli diligenter & tranquille officiis satisfacerent, quod ut facilius obtinerent, hoc tempore aliquid de pristinis laboribus minutum est. Videri enim poterat majores

---

monio, e non bastandoli per la quinta volta volle pigliare il Greco stato in infusione in una ciottola d' antimonio per 24. ore, e così da per se si è voluto medicare per nettarsi, diceva lui, di certa bile e pituita, che aveva. Otto volte si è cavato sangue dal braccio destro, dalla lingua, dagli orecchj, dalla collottola, dal braccio sinistro, dalle ginocchia, dal piede destro, e dalle moroide: Medici non ne ha voluto intorno con dire che non sanno niente, e così è morto. Tutti gli collegj de' lettori l' accompagnarono con torcia a S. Niccola, e tutti della città dicevano, che per essere forestiere gli hanno fatto un bell' onore.

A Monsig. Sergrifi

Pisa 18. Giugno 1692.
Leonardo Cedelli Bidello.

nostros paullo longius protulisse officiorum fines, quam horum temporum conditio ferret, & quod singulari Principis indulgentia totum fere Doctoris munus LXX. annuis publicis acroasibus circumscriptum fuerit (1) sperari quidem poterat huic sic responsuros tum Doctores ipsos, tum Discipulos, ut nullum amplius querimoniae locum darent. Sed ut sunt hominum ingenia ad infringendam legum vim, & ad officia, quamvis levia, deserenda propensa, aliter saepe evenisse novimus, cui sane malo non video qui consuli possit, nisi poenarum severitate. Nunquam vero satis laudare possum diligentiam multorum, qui & publice, & privatim docentes toti sunt in assignato sibi munere explendo: nam, ut ait Cicero, in officio colendo sita vitae est honestas omnis, & in negligendo turpitudo. Sed ad magistros redeamus.

Quanquam multos haberemus, qui mirifici erant impulsores & hortatores optimorum studiorum, minime tamen in horum numero ponemus Antonium Oliverium, & Bernardum Ceccarellium (2) Floren-

---

(1) Volendo (*ita decrevit an 1693. Magnus Dux*) provvedere al disordine che l' A. S. ha sentito essere in detta Università per i pochi giorni, ne' quali pacificamente si legge da Professori, ordina e comanda, che si leggano universalmente in detto Studio trenta lezioni nella prima terzeria, venti nella seconda, e venti nella terza, e se alcuno de' detti giorni non si sarà letto pacificamente, si ritenga ogni volta a ciascun Professore respettivamente tanta rata della sua provvisione, quanta importi la lezione di quel giorno, in cui non si sarà letto: e se in detti giorni destinati per le lezioni si leggesse pacificamente la mattina e non il giorno, o per lo contrario, si detragga la rata della provvisione a que' Professori, che dovevano leggere la mattina o il giorno, in cui non si sarà letto, & il medesimo si osservi anche nella mancanza de' circoli da farsi secondo l' ordine stampato.

(2) *Hic ad Academiam venit an. 1705. & mortem obivit an. 1721 Eodem illo anno 1705. quo Oliverius coepit Institutiones Caesareas exponere, Collegium,*

tinos, qui nihil aliud attulerunt ad scholam, quam indotatam legum cognitionem. Magis ingenio & eruditione praestabat Illorum civis & collega Aloysius Maria Ceſſinius Eques, de quo supra mentionem fecimus, quique e Francisci Mariae patris schola talis evaserat, ut ad omnes res aptus videretur. Hic. qui in collegio erat XII.virorum, quibus rerum Stephanianae militiae administratio commissa erat, non solum sperare, sed etiam confidere poterat sui rationem habiturum Magnum Ducem in amplioribus mandandis magistratibus, sed omnes spes illius apoplexi correpti ineunte anno 1723. una eripuit hora, & illud quoque accidit incommodum, quod ejus uxori Ubaldeschae Rosinioliae vix superfuit ex viri hereditate, quo vitam sustentaret.

Neque opera, neque consilio, neque labore defuit Academiae Julius Parasacchius Caesaris Pontremulensis filius. Qui Cujacianam juris prudentiam se discipulis exhibiturum professus fuerat, vereor sane ne suscepto oneri plane satisfecerit. Jus feudale postea docuit, quod leve onus putabatur, ut facile sustineri potuerit ab iis, qui aliis distinebantur curis. Nec sane mediocrem operam tribuit Stephanianae militiae, cum anno 1722. suffectus fuisset in locum Jo. Baptistae Maures Pro-Cancellarii, cui & successerat sexennio antea in extraordinaria juris civilis cathedra. Vixit ad Octobrem usque an. 1751. nec morte ejus memoria plane extincta est.

Iisdem temporibus juris civilis cathedris praefuerunt Franciscus Ferdinandus Benascia Liburnensis, qui postquam per XXXXIII. & amplius annos operam tribuerat Academiae, an. 1753. vacationem a schola, cujus dignitati nullius consilii, & mediocris doctrinae homo non

---

ut vocant, Ferdinandum rexit, quod tenuit munus ad annum usque 1744. qua vitam finivit. Narravit mihi homo, qui in illius disciplina fuit, bene ipsum novisse quae sunt in Romanarum legum libris, neque prorsus Latinae elegantiae expertem fuisse.

Digitized by Google

admodum proſpexerat, obtinuit, Antonius Joseph Branchius a Castro Florentino, qui utriusque juris studiosis satis laudabiliter consuluit, & vitam amisit III. Non. Sext. an. 1752. cum trienuio ante rude donatus fuisset, Joachim Cepparellius Geminianensis, qui & Ducale Collegium rexit, & vitam finivit X. Kal. Decembres an. 1742. aetatis annum agens LVIII. quorum viginti octo in deserviendo Academiae consumpsit. His adde Blasium Curinium Equitem, qui in Jacobi patris locum an. 1710. suffectus fuit, & per omnes gradus ad ordinariam juris civilis cathedram an. 1727. ascendit. Tenuit hanc ad annum usque 1748. quo liberatus onere docendi fuit, & septennio post XVII. Kal. Decembris naturae concessit. Vereor sane, ne hos jurisconsultos vix dignos judices, quorum a nobis mentio fieri debuerit. Eadem dicito de Dominico Santuccio Pisano, qui serius iis ad Academiam accessit, & in qua fuit per totos XVII. & amplius annos, cum mortem obiisset an. 1739. Quid referam quantus interdum esset error in eligendis magistris, qui non admodum convenire videbantur dignitati Academiae & discipulorum utilitati? Postquam mos invaluit vocandi eos, qui aliorum Lyceorum testimoniis & fama minime commendabantur, praeferendi nostrates alienigenis, retinendique vel ad longum tempus, vel dum vivebant, (nam plerumque qui stabilem suam fortunam esse arbitrantur, multum de labore, quem in litteras adolescentes impenderunt, remittunt) plurimum sane de splendore Academiae minutum fuisse videtur. Quaeri & illud solet a nonnullis, num melior fuerit conditio illorum temporum, quibus omnia ad unius potestatem minime revocata erant, quibusque penes discipulos ipsos quodammodo jus erat suos sibi eligendi, retinendique magistros. Sunt porro qui putant, Atheniensium studia intercidisse, cum eorum electio & probatio, qui in Athenaeo docebant, ad publicam auctoritatem traducta est. Theophrastus enim, qui discipulos bis mille habuisse fertur, cum id scitum audisset, statim abiit, nec nisi abrogata lege, mulctatoque Sophocle, qui illius auctor fuerat, redire voluit. Sed ibi quoque alia temporibus

aliis e republica fuere. Senatus quidem Venetus an. 1560. omnem prorsus eligendi potestatem scholaribus ademit, quam tempus inutilem Gymnasio Patavino fecerat, turbisque ac dissidiis excitandis dumtaxat idoneam. Sed ad propositum, unde digressi sumus, revertamur.

Virum profecto egregium, sed nequaquam parem summis jurisconsultis, qui minime deerant Academiae, dixisses Stephanum Fabbruccium Florentiae an. 1690. honestissima familia natum. Audivit praesertim Pisis Josephum Averanium, cujus domus & schola tanquam Themidis oraculum celebrabatur. Sed ab eo minime didicit scribendi elegantiam, & reconditiores illas litteras, quae ornant & ditant juris prudentiam. Pontificiam satis feliciter excoluisse videtur, & quas, dum discipulus festorum dierum, ut vocant, Lectoris munere fungebatur, vulgavit theses, Cosmi III. patrocinio & nomine dignae habitae fuerunt. Neque id sine praemio fuit. Nam anno 1714. declaratus est Justinianearum Institutionum interpres, quarum in cathedra cum XII. annos constitisset, factus est extraordinarius, ac septennio post ordinarius juris civilis magister. Hoc autem tenuit munus, cum plurimum frequentaretur a discipulis propter opinionem legalis doctrinae. ad annum usque 1755. quo ob ingravescentem aetatem, ob valetudinis incommoda, & ob magna in Academiam merita scholae vacationem impetravit. Magna sane ei laus debetur, quod ejusdem Academiae historiam primus scribendam susceperit, quam tamen minime absolvit, cum ad Cosmi I. usque tempora, & paullo ultra produxisset. Illa ipsa, quae de hac edidit in opusculis Calogerianis, sylvam potius, quam historiam dixeris: nihilo tamen minus multa & diligentia & industria in iis comparet. Postquam diu paralysi afflictatus fuit, mortem Pisis obivit VIII. Kal. Martias an. 1762. Vir gravis, & honestus fuit, & moribus plane antiquis, & quod amicos observantia, & rem parsimonia retinuerit, nihil ei ad beate vivendum defuisse videtur.

De

De Bernardo Tanuccio Juliani & Lucretiae Thommasiae filio, qui Stiae (hoc Clusentinae Provinciae oppido nomen) parantiqua sane familia (1) natus est x. Kal. Martias an. 1698. a Christi Incarnatione, nescio equidem quemadmodum exponam. Namque cum is summam auctoritatem in administrandis Neapolitani regni rebus obtinuisset, (huic enim uni confidere videbatur Carolus Rex) infinitus essem si vel capitulatim dicere vellem, quae pro bono reipublicae ipse gessit, quot praeteritorum temporum incommodis consuluerit, in quo erraverit, quantis oneribus susceptarum rerum premeretur, & quot, hoc consiliario, ipse Carolus Rex fecerit, vel dum ad Hispaniarum gubernacula sedebat. Quanquam haec omnia, & hujusmodi alia plurima ad illius vitam pertinere videantur, silentio tamen praetereunda esse arbitror, ne de eo historiam scribere velle judicer, & ea tantummodo recensebo, quae cum nostrae Academiae laude ipse conjuncta habuit. Adolescens illustri ingenio & industria animum & mentem cogitatione ipsa hominum excellentium conformabat, cumque se Latinis Graecisque litteris expolitum in disciplinam praesertim tradidisset Josephi Averanii, hunc ferme ad pugnam disserens de Romanis legibus provocabat, & illud acrioris ingenii, & fere dicacis dictum putaveris, de quo mentionem fecimus in ipsius Averanii vita: *si verum amamus, sumus invicem magistri & discipuli*. Dixit aliquando confidentissime minime in Romanarum legum libris mentionem fieri *vacuae possessionis*, nec minori confidentia affirmabat nunquam caussa cecidisse clientes illos, quorum patrocinium susceperat. Quae commemoranda putavi, ut quale illius ingenium fuerit cognoscas. Cum coepisset an. 1719. Caesareas institutiones interpreta-

(1) *Hujus rei monumenta vide apud Dominicum Mariam Mannium*: Sigilli antichi Tom. XXII. p. 17.

ri, postquam degens in Ducali Collegio sub patrui disciplina Andreae Tanuccii per annum scholam rexerat, quae meritissimis adolescentibus dari solet (1), singularis consensio discipulorum in illo audiendo extitit, & quae docebat, cum non Romanorum solum, sed etiam naturae & gentium jura teneret, & eruditione praestaret, latius patere videbantur, quam quae a ceteris hujus facultatis magistris tradi consueverant. Septennio post transiit ad extraordinariam juris civilis cathedram, neque obscura esse poterant, quae tribuebat officia discipulis suis, addam etiam Pisanis, quorum erga se studium multis in rebus cognoverat. Non tam pro eorum, quam pro sui gloria se laborare dicebat, cum adversus Guidonem Grandium probandum suscepisset Pisanos ipsos, victis & depopulatis Amalphitanis, secum ex illorum urbe adsportasse Pandectarum codicem, quae disputatio hinc & illinc plures peperit libros, qui tibi amariores videbuntur, si in iis legendis operam ponere volueris. Ponas per me licet; nam in iis sunt erudita multa, quae juris prudentiae historiam mirum in modum illustrant. Quoniam vero de tota hac controversia pluribus

(1) *Quoniam a nobis saepe mentio facta est Lectorum, qui dierum festorum dicuntur, haec narranda videntur. Vel ab antiquissimis temporibus scholae utriusque juris, medicinae & philosophiae scholaribus ipsis fuerunt assignatae non sine mercede, exigua tamen, ea conditione, at per annos quinque, vel saltem quatuor operam dedissent vel in Pisana, vel in alia illustri Academia illi disciplinae, quam tradere aliis volebant. Annuae erant hae scholae: expleto autem munere, quod unico Tractatu continebatur, publicam disputationem habebant. Decreto Principis hoc ipso anno 1794. hae disputationes sublatae fuerunt, relictaeque orationes, quibus declarant, quid docturi sint festis diebus, & a quibus docendi primordia capiunt. Electiones hujusmodi doctorum singulo quoque anno nunc a Principe fiunt, ferente suffragium Collegio de iis, qui subjici examini petierunt. Fiebant antea a Rectore, Curatore & Consiliariis Academiae, & nemo rite electus censebatur, nisi ex tribus suffragiorum partibus duas saltem tulisset.*

Digitized by Google

dicendum mihi erit in Grandii vita, ex ea assumes, quae ad hunc locum pertinent. Inter haec ab Hispanis militibus, qui plurimi Pisis erant, cum esset aliquid commissum, quamobrem jure in eos animadverteretur, cui animadversioni impedimento esse putabatur, quod illi in sacrum asylum confugerant, hanc rem sic egit Tanuccius, ut non prudentiori patrono committi potuisse judicaverit Carolus Borbonius. Hinc orta in illo cupiditas secum habendi militarium caussarum judicem, nec mediocriter sane valuerunt testimonia Jo. Baptistae Caracciolii, qui tum philosophiam apud nos profitebatur, & Dominicani hominis, qui Florentiae Hispaniarum Regis negotia procurabat, ad confirmandam illius erga Tanuccium voluntatem. Vidit ille statim nihil esse, quod hujus prudentiae, fidei integritatique committi non posset, quare ex eo tempore is princeps ad omnia consilia capienda fuisse videtur. Dum vero Carolus ipse ad Neapolitani regni clavum sedit, summos potentiae, dignitatis & honorum gradus obtinuit, quos quia se debere putavit Academiae Pisanae, vincula conjunctionis, quae cum illa habuerat, servari vehementer concupivit (1).

(1) *Ejus votia sic respondit Gasto Magnus Dux*. Volendo noi in considerazione dell' attual servizio, che il Dot. Bernardo Tanucci rende alla Maestà del Re delle due Sicilie nel riguardavol impiego di suo Segretario di Giustizia, e di quello altresì che con tutto il credito ed attenzione ha reso lungamente alla nostra Università di Pisa, dove negli ultimi anni fu promosso alla cattedra di Straordinario civile, e secondare benignamente le istanze da esso avanzatocene, perciò a riflesso delle cause sopradette, e di altre giuste e rilevanti, che muovano l' animo nostro, in vigore di questo motuproprio, di certa scienza e deliberata volontà, derogando coll' autorità nostra suprema a quanto facesse in contrario, accordiamo al detto Dott. Tanucci la giubbilazione dalla detta Lettura col riservo nulla di meno al medesimo dell' istessa provvisione di Scudi 225. l' anno, che gode presentemente; comandando al Senat. Cav. Pier Francesco de' Ricci

Et in Etruriam licet nunquam postea redierit, de re tamen nulla libentius loqui videbatur quam de iis, quos aut magistros, aut discipulos, aut collegas habuerat. Homo juris civilis in primis peritus, si quid in judiciis, quae aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum caussa fieri Neapoli solebant, invenisset, quod minus aequum & rectum esset, prospexit id, quod providendum fuit; sed in eo fortasse peccavit, quod multa ad arbitrium & judicium suum revocavit. Cum minime ignoraret quot mala ab juribus Feudorum reipublicae afferrentur, illa si non tollere prorsus potuit, multum quidem imminuit, cavitque semper ne extincta renovarentur. Quae vero Regis jura sunt, sarta & tecta esse voluit, & pro iis fortiter pugnavit (1). Atque in his rebus omnibus non solum fautores laudum illius, sed etiam invidi multum illius prudentiae tribuebant. Non aeque feliciter providisse atque administrasse visus est, quae sublatis e medio vinculis, populorum animos excitare atque inflammare debebant ad augendam florentissimi regni fortunam, & in eo peccavit, quod in iis, quae ipse ignorabat, consultorum minime exquirebat judicium atque consilium. Vir omnino integer & continens, propositi tenax, nulli obnoxius, & diligentissimus omnium in promeren-

---

Auditor dello Studio, che dia gli ordini necessarj per il total adempimento della nostra volontà; e tutto non ostante &c. dato in Firenze questo dì 24. Ottobre 1735.

Il G. Duca di Toscana.

Gio. Panciatichi Segretario.

(1) *Hac de caussa multa scripsit, & nonnulla etiam typis mandavit, cujusmodi sunt libelli, qui inscribuntur*: Dritto del Re delle due Sicilie sul Ducato di Castro e Roncilione, *&* Dritto della Corona di Napoli sopra Piombino.

Digitized by Google

do, ut in sua fide & studio Carolus Rex conquiesceret, multa glorioſa geſſit, & vel levatus onere adminiſtrandae reipublicae liberaliſſime atque honorificentiſſime tractatus eſt. Dum Horatianum illud repetebat:

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non ſecus ac bonis,

facile poterat ſe ipſum ſolari conſcientia recte factorum, nec immerito dixeris ſtare nunc etiam Neapolitanum regnum multis ejus inſtitutis ſervandis. E vita ceſſit Neapoli VIII. Kal. Majas an. 1783. unica ex Ricciarda Catanzia nobili Piſana ſuſcepta filia, quae patri minime ſuperſtes fuit. Neque moriens immemor fuiſſe videtur Academiae Piſanae, cum magnam librorum ſuorum partem legaſſet Migliorotto Maccionio, qui in ea jus civile interpretatur, & exornat etiam ſcriptis doctis & laborioſis. Et ipſe minime mentiebatur in gloriando de ſe, non ad pompam, oſtentationemque, ſed ad ingenii cultum comparaſſe ſibi bibliothecam, cum omni fere doctrina fuiſſet eruditiſſimus. Helluonem librorum dixiſſes, & cultiores Europae linguas noverat, ut ſe externis quoque ditaret divitiis. Facultas vero illa animi, per quam repetimus ea, quae vidimus, audivimus & legimus, ſumma erat in eo, neque ſenectute imminuta eſt. Atque haec de homine, quo ſane plurimum Academia noſtra, & ipſa Piſarum urbs, quae eum civitate donavit, vel antequam ab illa diſcederet, gloriari debent, dixiſſe ſufficiat.

Non valuit iiſdem rebus, quibus Tanuccius, ingenii praeſtantia, ſcribendi elegantia, eruditione in explanandis Romanis legibus, at valuit aſſiduitate, valuit cognitione earum rerum, quae ſunt pragmaticorum propriae, Salvator Olmeta Baſtiae in Corſica natus, qui anno 1717. venit ad nos Inſtitutionum Juſtinianearum Magiſter, & qui per quinquennium tenuit ordinariam juris civilis cathedram, quo in munere dum erat occupatus, an. 1748. ſcholae vacationem impetravit.

Solitus interdum exempla legum petere ab ipsis discipulis, durius hos increpabat, & duritas, & rusticitas quaedam tum in ore, tum in oratione, tum in moribus ipsius apparebat. Apoplexi correptus naturae cessit Pisis anno 1757.

Ex his, quae huc usque narravimus, intelliges mihi propositum minime fuisse de Institutionum civilium magistris separatim dicere. Plurimos tamen nominavimus, quod omnes fere, qui ad honoratiores cathedras ascenderunt, ex hac docendi initium ceperunt. Quanquam minime ascenderint, dum Etruriae imperabant Medicei Principes, quorum regno narratae hoc volumine res continentur, Julius Oricellarius, & Leopoldus Andreas Guadagnius, quod ab iis tamen homines ingenio praestantes, mihique amicitia conjunctissimi Academiae fuerunt addicti, dabis nobis hanc veniam, ut hoc loco exponamus quot in iis luxerint ornamenta virtutis et industriae, utque illorum meritis etsi nequaquam parem, at pro nostro tamen studio debitam gratiam referamus. Facile obtinuit Oricellarius, ut sui ratio an. 1727. haberetur, quod nobilissimo genere Florentiae natus erat, & quod multis jam rebus cognitum erat, sic in patria humanioribus litteris, in Pisana autem Academia gravioribus disciplinis, ac praesertim juris prudentiae illum operam dedisse, ut inter omnes condiscipulos enituerit. Usque eo se tenuit Pisis, quoad adjutor datus est Philippo Bonarrotio (accidit id an. 1730.) Ecclesiasticis negotiis pro Principe Praefecto. Hoc autem mortuo an. 1734. munus illius occupavit, & in Florentinum Senatum cooptatus est (1). Sane benevolentiori succedere haud potuit, & cum hunc funebri oratione laudasset, declaravit quot doctrinae & prudentiae praesidiis instructus ille esse debe-

(1) *Principis rescripto stipendium Gymnasticum & locum in albo Doctorum retinuit ad annum usque 1750.*

bat, qui huic difficillimo amplissimoque muneri praeerat. Nil quidem praetermisit Oricellarius, quo illo se dignum ostenderet; & quamvis saepe reprehenderetur & subaccusaretur, quod in defendendis Principis juribus finem & modum interdum transiret, aequitati tamen sic semper consuluit, ut in statuenda illa difficillima concordia inter Sacerdotium, ut ajunt, & Imperium, minime recusasses illius stare judicio. Liberius loquebatur, quam agebat, & gloriari videbatur, quod dum Principi serviebat, Romanis judicibus justam sui querendi caussam minime daret. Vel ii, qui in illius summis laudibus unam excipiebant iracundiam, si constanter & libere se gessissent, illam facile cohibuissent. Ex una enim hac re maximam laudem capere studebat, si aequitate & fide rem Principis gessisset; & poterat facile, cum insitas in animo haberet veri & falsi notiones, & optime teneret quae legibus tum civilibus, tum Pontificiis fuere sancita. Videbat res acute, quae sunt vitae communis vincula, quid perverso, quid recto more fiat, quid sit majorum institutis tribuendum noverat, & si iracundius interdum respuebat ineptias hominum, sive ingenuo liberoque fastidio, sive morose, ut putabatur, hoc minime vitio illi dandum puto. Ex iis, quae praefatus est, cum vulgasset Adissonii comoediam quamdam (1) a se versibus hendecasyllabis Italicam factam, intelliges qui fuerint ejus sensus de legibus, de moribus, & de omni eo, quod ad inflammandos homines, informandos, & corrumpendos conducere posse videtur. Et quod tantum tribuebat comoediae, ut eam diceret speculum consuetudinis, imaginem veritatis, hujus generis poematis auctor & ipse voluit esse, & satis feliciter mores expressit (2) adolescentis doctrina superbi, cujus vanitatem casus, non ratio, non ob-

---

(1) Il Tamburo: In Firenze appresso Andrea Bonducci in 8.

(2) Il Misantropo a caso maritato, o sia l'orgoglio punito: In Bologna nella Stamperia di Lelio della Volpe 1748. in 8.

sequium erga patrem emendavit. Nullam haec fabula censurae dedit caussam; dedit illa altera, quia ab ipsa minime aberat genus ridiculi subimpudens, quodque in iis, quae praefatus est Interpres, novas de amore inserere opiniones, evellere catholicae religioni consentaneas voluisse videtur (1). Verborum & sententiarum non egeus pompam adhibuit cum de nuptiis dixisset Josephi Austriaci, ac Isabellae Borboniae, & hanc mortuam laudasset (2). Porro segetem amplam laudationis habuit, cum femina illa sanctissima & omnium optima fuerit, & in oratoris mente eloquentiae & virtutum species & forma insideret. Qui omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta habuit, qui ingenio pollebat, atque ab omni fere liberali doctrina satis instructus erat, beatius vixisset, si in se uno sua posuisset omnia, & firmitate & constantia tristitiam temporum mitigare didicisset. Vixit ad summam senectutem: nam cum lucem adspexisset Florentiae III. Id. Maii an. 1702. patre Paullo Benedicto Oricellario, matre autem Cynthia Tantuccia Senensi mortem christiane obivit IV. Non. Februarii an. 1778. sepultusque fuit in monumento majorum, quod est in Aede S. Pancratio sacra.

Reliquum est, ut de Leopoldo Andrea Guadagnio Petri Aegidii, &

(1) *Vide* Novelle Letterarie pubblicate in Firenze l' an. 1748. col. 446. *quo in loco Lamius dum poema M. Merlini Coccai quoddam se notare finxit, notavit dicta Oricellarii.*

(2) Discorso per le augustissime nozze delle Serenissime Reali Altezze Giuseppe Arciduca d' Austria e Donna Isabella Infanta di Spagna detto nell' Accademia della Crusca: Firenze 1761. in fol. Esequie dell' A. R. la Serenissima Isabella di Borbone . . . celebrate in Firenze nella Imperial Basilica di S. Lorenzo il dì 11. Feb. 1764. ed Orazione funerale del Senatore Cavaliere Giulio Ruccellai Segretario del Regio Dritto in Toscana: Firenze 1764. in 4.

& Annae Mariae Palmar filio, quemadmodum supra promisi, dicam. Majores illius sedem Aretii habuerunt, ex qua urbe Marcianum primum (hoc oppido nomen) deinde Florentiam concessere, ubi ipse natus est XI. Kal. Decembres an. 1705. Cum haberet domestica exempla virtutis, hac superavit aetatem, nec superasse minus doctrina videbatur, cum Florentiae & Pisis operam litteris dedisset. Ne paternum, ut saepe fuit, sequeretur exemplum in danda opera Chirurgiae & Medicinae fecit hebitudo oculorum, quare sie juris prudentiae vacavit, usus praesertim praeceptore Josepho Averanio, ut per se quoque nobilissima facultas illustraretur: nam cum ea conjunxit notitiam antiquitatis, omnemque eruditionem, quae litteris Graecis & Latinis continetur, & in qua ducem praesertim habuit Antonium Mariam Salvinium. Jacobi Facciolati secutus consilium libellum edidit de legibus Censoriis, sperans per hunc aditum sibi fore in Academiam Patavinam. Disputabant jurisconsultorum eruditissimi, num Censores potestatem habuissent cogendi comitia, rogandi populum, ferendique leges. Quanquam eorum dignitas ad tantam amplitudinem pervenerit, ut morum disciplinaeque non solum ad civitatis, sed etiam ad Senatus & Equestris ordinis decus conservandum moderatores essent, publicorum privatorumque locorum jus, & vectigalia P. R. ab eorumdem nutu atque arbitrio penderent, probat tamen Guadagnius adversus Heineccium aliosque multos, Censores, concionem etsi aliquando habuerint ad populum, hunc tamen convocare, & cum eodem agere de ferendis legibus minime potuisse; potuisse quidem edicta proponere, quae improprie leges appellata fuere: *Lex* enim, ut ait Capito apud Gellium, *est generale jussum populi, aut plebis, rogante magistratu*. Cum vero Censoribus liceret publicos agros vendere & locare, locare & vectigalia atque opera publica cum quibusdam pactis, seu conditionibus, quae leges appellari solent, hinc etiam factum docet Guadagnius quare eorum edicta leges nominarentur. Quae monumenta ad nos pervenerint hujusmodi legum, quae in iis continentur, quae fuerint Censoriae tabulae, aliaque hujusmodi ita copiose, eleganter

atque erudite explicat Guadagnius, ut esse jam ejus artis, quam profiteri coeperat, antistes videretur. Quibus editis, Facciolatus non minus prolixe Guadagnio de voluntate Triumvirum Gymnasii Patavini promisit, quam erat solitus de sua polliceri; quod cum ad aures pervenisset illorum, qui Academiae Pisanae praeerant, retinendum in Etruria hominem putarunt, de quo non solum bene sperare, sed explorate etiam judicare poterant. Itaque non invitarunt modo, sed pene etiam ipsum coegerunt, ut onus publice Pisis docendi Institutiones Juris Civilis susciperet, quod accidit aestate anni MDCCXXXI. Quam tum dixit Latina oratio, qua veluti Academiae fores aperiuntur, magnam commendationem habuit, quod esset sapientissimis sententiis, gravibusque verbis ornata & perpolita. Quod cum ad augendam opinionem, quam omnes habebant doctrinae illius, plurimum valuisset, ejus schola juventutis flore frequentabatur. Multa ei obversabantur animo, in quibus optabat vim doctrinae suae consumere. Videbat tamen, ne quid privatis studiis de opera publica detraheret. Saepe etiam consulentibus respondebat, & quod plurimi illum sibi aut arbitrum, aut judicem, aut patronum deligerent, quodque Lucensium, Genuensium, Epidauriorum Respublicae aliique Principes de rebus gravissimis illius consilium exquisierint, id magno argumento est, non aliqua simulatione, aut artificio, sed fide & prudentia celebritatem sermonis hominum illum consecutum fuisse. Non me latet eumdem a nonnuliis culpatum fuisse, quod nimium temporis foro tribuerit. Sed si dum publico fungi debebat munere, operam suam nunquam a discipulis removebat, injuste profecto reprehenditur otium illius, qui non modo in eo hebescere & languere noluit, sed etiam plurimis ut prodesset enixus est. Gloriam vero non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, qui ad illustres laudes has etiam minus notas, minusque pervulgatas adjungunt. Ad excusandum etiam Guadagnium illa valent, quod cum non esset abundans (nam eo tempore, quo inter Doctores Academiae Pisanae relatus est, ejus stipendium fuit C. centussium, quanquam istud po-

stea ad DCLX. & amplius auctum fuerit) vindemiolas suas eo reservabat, ut libros emeret, fratres sublevaret, & miseris succurreret. Qui exigere videbantur a Guadagnio, ut scriptis suis Academiae gloriae consuleret, admodum gavisi sunt, cum audierunt ejusmodi illum suscepisse opus, in quo Institutiones juris civilis clare eleganterque expositae copiosis adeo illustrarentur commentariis, ut in iis principia juris naturae & gentium, civilis origines, rationes, progressus, Graeca Latinaque veterum Scriptorum loca, quae his omnibus lucem afferunt, & quae demum in usu forensi sunt, possemus agnoscere. Etsi quamplures hactenus prodierint in Imperiales Instituriones commentarii, ut ipsos *vel freto Danico sternendo sufficere posse* affirmaverit Leibnitius, in quibus alii leges cum legibus, minime vero has cum forma Reipublicae atque Imperii, cum moribus Romanorum, & cum Scriptoribus, quos Classicos dicimus, contulerunt, alii artem criticam & elegantiores disciplinas cum juris prudentia conjungentes, mentem a contemplatione rerum ad forensem usum nunquam traduxerunt, alii demum nil nisi forum cogitantes, quod adhuc retinetur in judiciis, atque propterea quod postremum esse debebat, id primum atque unicum, neglectis fontibus, proposuerunt, nihilo tamen minus nulli extitisse videntur, qui omnes has partes, & quod singulis defuit, expleverint. Id propositum Guadagnio fuit; & cum is haberet in promptu omnem antiquitatem, omnesque notos & tractatos juris prudentiae locos, & explanationes, quas celebriores jurisconsulti adhibuerant in obscuris & ambiguis interpretandis, tale confecit, seu potius instituit opus, ut ei licuerit in hoc quodammodo gloriari, se pulcherrima juris prudentiae ornamenta, & vel ipsas Graecae & Latinae grammaticae divitias ad usum forensem transtulisse. Bina, quae Pisis an. MCCLVIII. prodierunt volumina, ad I. Institutionum librum tantummodo pertinent. Tertium volumen nil nisi titulum primum secundi libri, qui est de rerum divisione, & acquirendo earum dominio complectitur, nec tam studiosorum utilitati, quam posteritatis otio consulere voluisse videtur Auctor, adeo mul-

Digitized by Google

ta, sane egregia, in eo collegit, quae explicant quid a natura, quid a legibus praescriptum, quidque assensione, aut auctoritate, aut judicio aliquorum comprobatum fuerit de variis privati dominii acquirendi modis. Omne id, quod pertinet ad jus tum *in re*, ut loquuntur, tum *ad rem*, ita persequi sibi proposuerat Auctor, ut totus II. liber cum tredecim titulis libri III. in priori jure explicando, reliqui cum quinque titulis libri IV. in altero jure exponendo versarentur. Sed quot ei opus fuisset voluminibus, si viam, quam ingressus fuerat, tenere voluisset? Quis ferre potuisset se iuvitari ad Institutiones juris civilis addiscendas immensa rerum copia, quae vel patientissimos laboris deterruisset? Auctor ipse cum praevidere nequiret quatenus hic suus labor progressurus esset, cum quotidie stimularetur a typographo, ut materiem ad inchoatum opus perficiendum suppeditaret, quam paratam minime habebat, cumque dolenter sane audiret ita judicari de universo opere, quasi inutile illud futurum esset juris prudentiae elementorum studiosis, quanquam illud omni eruditione atque doctrina abundaret, constitit omnis ejus cura, minimeque, quod pollicitus erat, stimulos licet addentibus Academiae Curatoribus, exitu praestitit. Quapropter cum reprehenderetur a multis, excusatione aut aetatis, aut laboris, aut impensae minime utebatur, sed se non desperare, minus fortasse sincere, ajebat, fore aliquando, ut promissa esset exsoluturus. Sed haec quamvis non effecit, mirum tamen erat ejus ingenium, mira prudentia ac diligentia in erudiendis adolescentibus, qui ei in disciplinam se se tradebant. Pene silere videbantur ceteri Institutionum juris civilis Doctores, ipso Guadagnio docente, nec minor fiebat ad eum audiendi caussa concursus, cum domi tantummodo easdem Institutiones explicaret. Nam an. 1742. declaratus est Pandectarum interpres; & ne amplius haberet scholas privatas Institutionum, factum est XVI. post annos Principis jussu ad sedandos, credo, collegarum questus. Saepe enim evenit, ut discipuli insignia doctrinae ab iis postulent, a quibus Institutionibus juris eruditi fuere. Sed hoc ipsum fuit honorabile: nam actum cum ipso est large

liberaliterque, ne quid de laborum fructu dignitateque muneris diminutum videretur. Jam vero Pandectas interpretans quantam consecutus sit gloriam Guadagnius nihil attinet dicere. Videbatur prae se ferre veterum jurisconsultorum majestatem dignitatemque, dum eorum dicta atque sententias e superiori loco exponebat, nec dubito quin si reviviscerent, Guadagnio suae linguae subtilitatem elegantiamque essent concessuri. Nil tam dolebat, quam si valetudinis incommodis, ne ad Lyceum veniret, impediretur, & vel dum erat summa senectute perditaque valetudine, domi excipiebat discipulos suos, ut illos omni doctrina juris instrueret. Opprimi illum malle onere officii, quam discipulis suis deesse dixisses. Nam praeter quam quod a natura comparatus erat ad diligentiam, caritatem & patientiam, ei persuasum erat in officio colendo sitam vitae esse honestatem omnem, ut in negligendo turpitudinem. Qui tot annos doctrinam suam Academiae Pisanae promptam expositamque praebuit, non admodum ejus gloriae consuluit scriptis edendis. Levia sunt, si ejus sapientiae vim spectes, quae de Pandectis in vulgus emisit. Horum celeberrimum codicem, qui Pisis olim, nunc Florentiae asservatur, diligenter suo more aestate an. 1732. examinavit, & multa ad eum pertinentia in adversaria retulit. Id ut rescivit Ferrantes Capponius, cui sane plurimum tribuebat Guadagnius, ipsum ad aliquid de eo scribendum invitavit. *Quin tu*, modeste respondit Leopoldus, *me post Homerum Iliadem scribere, aut post Roscium comoediam agere hortaris? An ignoras quam erudita hac ipsa de re Henricus Brencmannus in lucem hominum protulit?* Cum tamen opus instituisset, statim intellexit e segete ad spicilegium relictam fuisse stipulam. Libellum itaque exaravit, qui ab Antonio Gorio in Volumen IV. Decadis II. *Symbolarum letterariarum* relatus fuit, in quo multa eruditio & critice comparet. Propositum autem Scriptori praesertim fuit duo haec conficere, primo Florentinum exemplar, contra ac putaverant Politianus, Hotomannus, Broeus, Perezius aliique, Imperatoris Justiniani, seu Triboniani prototypum non esse, sed ex alio apographo,

sint forte ex pluribus, ex quibus menda quaedam in illud irrepserunt, VI. vel VII. saeculo descriptum, neque adeo semper & ubique fidem eidem praestandam, ut nulla ratio, auctoritas nulla a Florentina lectione dimovere nos possit: secundo, quoniam ex insigni hoc MS. ceteri omnes, quos huc usque superesse novimus, Digestorum libri profluxerunt, Florentinam lectionem, nisi summa & evidens vetet ratio, esse ceteris praeferendam. Ex hac quidem dissertatione conjicere licet fuisse Guadagnium jurisconsultorum suae aetatis elegantissimum atque eruditissimum; nec dubito, quin si collegisset omnia ea, quae ad interpretandas obscuriores Pandectarum leges scripto mandaverat, clarius etiam illius doctrina apparuisset. Verum nec prece, nec praemio, nec gratia, ut aliquid ejusmodi ederet, adduci potuit, solitus excusare scholae & fori occupationes. Aegre ab illo impetravi librum, quem in vulgus emisi, quemque extrema aetate composuit. Poterat enim hoc, quod Salvius Julianus jurisconsultorum sui temporis facile princeps, gloriari: *Nam ego discendi cupiditate, quam solam vivendi rationem in octavum & septuagesimum aetatis annum duxi, memor sum ejus sententiae, qui dixisse fertur:* και τον ετερον ποδα εν τη σορω εχων προσμαθην τι βουλοιμην (1). Qui hunc librum legerit, & eruditionem & voluntatem Auctoris laudaverit, qui de adolescentium institutione optime meritus sit, cui ut magis magisque serviret, vel minima interdum, quae puerorum elementa videri possunt, sequi non dubitavit. Sed id illi erat persuasum, non esse jurisconsulti credere aliquid esse minimum, objiciebatque iis, qui haec vel arroganter, vel inepte nimis fastidire solent, Cujacii dictum (2): *nil est inutile in jure, & si mihi creditis, omnia vobis perscrutanda, pertentanda sunt, si non velitis es-*

---

(1) Apud Pomponium l. 29. de fideic. libertat.

(2) De rat. doc. juris.

se jurisconsulti de populo. Quoniam hoc propositum Guadagnio fuit, ut Graeca Pandectarum explicaret, facile judicabis illum in suo regno versatum fuisse, & vehementer concupivisse, ut juris prudentiae studiosi omnes imitarentur Modestinum, Papinianum, Scaevolam, ceterosque, e quorum libris Digesta composita fuerunt, qui adeo amabant callebantque Graecas litteras, ut veriti minime fuerint, ne irriderentur, quod saepe verba Graeca inculcaverint. Exposuit Auctor in principio operis quid esset dicturus: ait enim. *I. Animadvertendum esse duco, Graeca quaedam in Pandectis vulgo esse omissa, aut mutata, aut mendose & imperfecte scripta, aut inutiliter addita; II. Romanos, etsi quondam solicitam habuerint curam servandi sartam tectamque Latinam linguam, ejusque usum longe lateque proferendi, sub Imperatoribus tamen a vetere illo instituto descivisse; III. Disserendum videtur de Romanorum studio ac peritia Graeci sermonis, qua illi quondam jurisconsultis nostris praeiverunt; IV Ostendendum erit jurisconsultos, e quorum libris fragmenta in Pandectis exstant, non sine caussa verba Graeca Graecasque sententias immiscuisse Latinis; V. Agam de iis, quae Graece scripta Pandectis praemitti in editionibus quibusdam solent, & vere etiam in ceteris omnibus praemitti debebant; VI. Graeca, quae in Pandectis ipsis habentur, ad quasdam veluti classes referre juvabit; VII. Perutile erit de Graecorum, quae in Pandectis occurrunt, verborum, sententiarumque in Latinum translationibus dicere; & denique VIII. De aliquibus jurisconsultorum hellenismis*. Haec omnia suppeditarunt ei satis copiosam materiem ad amplificandum exornandumque opus, quod quia totum versatur in Graecis rebus, proprium ex iis habuit titulum: inscribitur enim *ad Graeca Pandectarum*. Maximas vero gratias & agere & habere debemus Guadagnio, quod quinquaginta & amplius annos, quibus Doctoris munus in Academia Pisana sustinuit, qua voce, qua scriptis cultlorem juris prudentiam provehere maxime studuit, in qua quod princeps & signifer fuerat Cujacius, tantum huic tribuebat, ut tanquam numinis alicujus oraculo omnia illius di-

cta habere videretur. Proinde siqui sunt artifices ad corrumpendam juventutem, qui quod multitudo litium, varietas caussarum, turba & barbaria forensis dat locum & quaestum vel impolitissimis jurisconsultis, clamare solent supervacaneam esse, & usum non habere in juris prudentia Graecam & Latinam eruditionem, notitiam antiquitatis, doctrinam philosophiae & naturalis juris, rogemus ut sileant, postquam aetas nostra jam ad ea patienda, quae veteribus scholis perplacuere, exolevit, nosque sinant amplecti atque exornare, quae nobis summi viri omnibus bonis artibus politi & ad juris prudentiae gloriam nati tradiderunt. Sed ad Guadagnium revertamur, qui cum instituisset multa, quae politius limare & perficere optabat, oblectamenta senectutis sibi parasse dicebat. Sed hae fuerunt inanes cogitationes, quamvis in Academia, ad quam flos juventutis concurrit, plures studiorum suorum adjutores invenire potuisset. Semper tamen ejus mens alebatur discendo, volutandisque Graecis & Latinis scriptoribus. Alexandram tenebricosissimi Lycophronis magna ex parte in Italicum vertit, & alia hujusmodi inchoata reliquit. Quod vero magna esset opinio de illius in Latine scribendo elegantia, saepe rogabatur, ut inscriptiones, titulos, elogia mortuorum, epigrammata, ceteraque hujus generis conderet, quae libentissime concedebat. Quidquid profecto scriberet, antiquitatem redolebat: sed nunquam clarius apparuit quam concinnus & elegans esset Latinus scriptor, quam in iis, quas Academiae jussu dixit, orationibus, quaeque sunt in manibus hominum. Altera est *de laudibus Josephi II.* cum Romanorum Rex creatus fuit, altera *de periculis ex copia subsidiorum in litterarum studio cavendis*. Quae tam ingratae fuissent litterae, quae conticescerent felici adeo faustoque tempore, quo multum jactata Austriacae domus fortuna praesidia stabilitatis suae adepta fuisse videbatur? Academia Pisana singularibus a Francisco Caesare aucta beneficiis officium gratulationis lubens meritoque persolvit, ac vehementer gavisa est, cum intellexit se prudentem in judicio & gratam in munere habitam fuisse, quod mandasset Guadagnio, ut

ora-

orationem diceret, editamque in vulgus ipsi Caesari nuncuparet. Usus est quidem in ea sententiarum gravitate, verborumque ponderibus, sed cum ei deesset flumen illud ingenii, illa vis, ille sensus, quibus legentes audientesque rapimur, inflammamur, commovemur, laudamus magis, quam admiramur Guadagnii eloquentiam, ad quam enervandam valebat etiam frequens alienorum dictorum factorumque commemoratio. Qui jurisconsultorum mos magis etiam apparet in ea, quam secundo loco, sed praepostere, supra nominavimus, oratione. Verendum sane erat, ne subsidiorum copia, quae ad comparandas bonas artes hac aetate plurima suppetunt, retardarent magis, quam inflammarent adolescentium industriam. Nihil enim est tam sapienter inventum, nihil tam utile, quod vel ignavia perdere, vel stultitia in perniciem convertere non audeat. Dolens itaque Guadagnius esse multos, qui abutentes librorum copia, & iis praesertim, qui facilem, & quasi compendiariam ad sapientiam se viam monstraturos promittunt, ne malum latius manaret atque inveterasceret, eos couvincendos suscepit, minime qui multa, sed qui utilia legerit sapientis nomine esse censendum; tardi ingenii esse rivulos consectari, fontes rerum non videre; aemulandam majorum nostrorum diligentiam atque industriam, qui in litteris Graecis atque Latinis addiscendis, qui in noscendis, perscrutandis, pervolutandis gravissimis auctoribus & magistris intelligendi atque dicendi, quique in jaciendis stabiliendisque disciplinarum fundamentis omnem aetatem contrivere. Illi, qui epitomas, qui versiones, qui dictionaria, ut loquuntur, amant, questi sunt cum Guadagnio, quod extorquere e manibus hominum conatus esset utilissima instrumenta, quae, licet per ea minime assequamur quae sunt recondita & abstrusa in litteris, efficiunt tamen ne harum plane rudes simus & ignari, & ne facile decipiamur ab iis, qui fallacissime venditant ingenium atque doctrinam. Horum voces haud omnino contemnendas esse putavit Guadagnius; quare ut cum iisdem in gratiam rediret, alteram dixit orationem, qua non Carneadeo more, quod in priori probaverat, oppugnavit, sed hujus severitatem mitigavit, ut vel

eorum assensionem captaverit, qui diuturnum laborem reformidantes nil curare videntur, nisi ut leviter tincti sint litteris. Sed haec oratio minime in vulgus est edita, cum vereretur fortasse Auctor, ut quod dixit non perinde intelligeretur a doctioribus, atque ipse senserat. Nec sane verisimile erat, hominem, qui, quoad vita suppeditavit, egit acerrime, ut non solum juris prudentiae, sed & interiorum litterarum penetralia sibi paterent, blandiri voluisse discipulorum timiditati atque ignaviae. Quod in se ipso esset expertus quantum ad percipiendam colendamque virtutem adjuvare possunt litterae, saepe & libenter carpebat nonnullorum malitiam, qui iis ita abutuntur, ut teneros animos avocent a religione, eorumque dolos, machinas, fallacias, praestigias dum patefaciebat, se nihil tam studuisse ostendebat, quam ut secum semper adessent pietas in Deum, in homines caritas, reliquaeque virtutes, in quibus perfecti Christiani laus continetur. Minime miraberis hominem gravitati deditum frequentasse theatra. Mirifice enim delectabatur musica, neque indignum sapiente existimabat paulliper relaxare animum, & dare se jucunditati. Adde, quod cum lumen lucernae diu ferre non possent ejus oculi, nec aliud haberet, quo senectutem suam oblectaret, aurium sensui aliquid se posse dare arbitrabatur. Verum, ut ut haec judicentur, cavit semper Guadagnius, ne quid ageret, aut diceret, quod dedecere prudentioribus videretur. Omnino si quicquam est decorum, nihil est profecto magis quam aequabilitas universae vitae, singularumque actionum, quodque ita vixerit Guadagnius ad LXXXI. usque annum, ut ejus vel primum aetatis tempus palam fuerit ad castimoniae, integritatis atque innocentiae exemplum divulgatum, semperque in rebus optimis constans virtutum laude creverit, non tam praeconio, quam admiratione dignum existimamus. Aliorum gloriae ac laudi tam aberat, ut invideret, ut illi vitio verteretur, quod effusius favere videretur vel iis, qui mediocriter docti erant. Cum animum gereret apertum & simplicem, simulationem dissimulationemque ex omni vita tolli optasset. Verum, quoniam non vivitur cum perfectis hominibus,

is, qui ceteris cavere didicerat, non satis sibi, ne deciperetur, cavit. Parsimonia & diligentia delectabatur, quarum fructus aut pauperes, aut propinquitatibus affinitatibusque conjuncti percipiebant. Ad omnem humanitatem facilitatemque proclivis facile sibi parabat amicos, retinebatque fide & caritate singulari. Vel desertus ab nonnullorum officiis, quorum famae parco, dum illos non nomino, in sua erga ipsos voluntate permansit. Sic se gerendo bonam famam bonorum, quae sola vere gloria nominatur, consecutus est, tantumque ei tribuebatur, ut in ejus consilio antiquae residere virtutis memoria videretur. Robur ejus animi nec senectute, nec valetudinis incommodis fractum aut imminutum est. Sancte ac placide, uti vixerat, mortem obivit: cenotaphium autem habuit in Sepulcreto Pisanorum cum hac inscriptione.

LEOPOLDO . ANDR. GVADAGNIO
CIVI . FLOR.
JOSEPHI . AVERANII . IVRIS . CAESAREI
ET . ANTONII . MARIAE . SALVINII
GRAECAR. LITTER. ANTECESSORVM
AVDITORI . SOLERTISSIMO
IVRIS . PRVDENTIAM
ET . PANDECTARVM . INTERPRETATIONEM
IN . PISANO . ARCHIGYMNASIO
LIII. ANNOS . PVBLICE . PROFESSO
LITTERARVM . OMNIVM . MAGIS
RECONDITARVM . PERITISSIMO
DOCILI . PROBO . MITI . PIO . LXXXI. AN. NATO
CAROLVS . ALFONSVS . GVADAGNIVS
IN . EADEM . ACADEMIA
EXPERIM. PHYSICES . PROFESSOR
FRATRI . AMANTISSIMO
PRID. NON. MART. AN. AERAE . CHRIST.
MDCCLXXXV. DEMORTVO M. P.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Juris Criminalis, Feudalis & Publici Magistris.

POstquam Jacobus Vannellius Carrarienſis, de quo alibi diximus, an. 1624. e vivis exceſſit, diu orba magiſtro fuit juris Criminalis cathedra. Ad eam tandem vocatus fuit an. 1640. Joſephus Lupius filius Juliani Piſani, qui Cancellarii, ut vocant, munus in Academia exercebat, quemadmodum exercuerat hujus pater, & alii poſtea ex hac ipſa familia exercuerunt. Sed non diu illam tènuit, cum an. 1642. maluiſſet ad Inſtitutionum cathedram, a qua diſceſſerat, redire. Ab hac ad nobiliores juris civilis poſtea tranſitum fecit, in iiſque permanſit, dum in vita fuit: fuit autem ad annum uſque 1661. Succeſſit Lupio Piſanus alter Auguſtinus Zucchettus, qui per totos viginti annos (obiit enim an. 1662.) ſuum munus conſtanter & ſollerter coluit. Triennio poſt in illius locum ſuffectus eſt Bartholomaeus a Vecchiano, ipſe quoque Piſis nobili loco natus, & Stephanianus Eques, homo in rogando minime moleſtus, quamvis tenuiſſimum eſſet ſtipendium, quod illi pendebatur. Is vitam & magiſterium produxit ad annum uſque 1674. Quadriennio autem poſt conſultum fuit criminalis juris ſtudioſis per Joſephum Dominicum Andreonium Lucenſem, de quo pluribus ſupra diximus, cujus locum an. 1681. occupavit cum mercede CL. centuſſium Alexander Brogiottus Florentinus, bonus ſane juriſconſultus, qui diu fuerat Romae cauſſarum pa-

Digitized by Google

tronus. Hoc autem Sextili mense an. 1684. extincto, in illius locum venit Franciscus Columbinius Senensis. Is nobili genere natus erat an. 1648., docuerat in patrio Lyceo per biennium tum theologiam, in qua lauream acceperat an. 1670. tum Caesareas Institutiones, Romae etiam se exercuerat in omnis juris scientia, & cum in patriam rediisset defenderat caussas, quae ad criminum & bonorum vindicationem pertinent. Memor demum quot ab Academia Pisana acceperant ornamenta & beneficia ejus majores Leonardus, & Pamphilus, nil magis concupivisse videtur, quam ut in ea sibi quoque locus daretur, quod obtinuit cum stipendio CLX. centussium. Porro non amplam mercedem dixisses pro docti viri meritis: sed aliis praemiis affectus fuit, cum Magnus Dux eum legisset in collegium XII. virorum, quibus commissa erat rerum Stephanianae militiae procuratio. Vir natura peracutus & prudens, quique multarum rerum memoria, & usu complurium negotiorum valebat, neque carebat bonitate morum, omnium existimationi satisfecit, suique desiderium reliquit, cum mortem obiisset id. Junii 1702. Hoc eodem anno Martius Venturinius Pontremulensis Francisci jurisconsulti filius, & Stephanius Eques, postquam per duodecim annos Caesareas institutiones explicaverat, & biennio ante extraordinariam juris civilis cathedram conscenderat, relictum a Columbinio locum occupavit. Tenuit hunc ad annum usque 1733. quo cedere Academia, sine detrimento tamen emolumentorum, & Pisarum urbe coactus est ad redimendam culpam, quam susceperat caussa vilissimae feminae a se in matrimonium ductae. Valebat sane legali doctrina; frustra tamen ab eo, ut & a ceteris, quos nominavimus, hujus facultatis magistris quaesiisses illam philosophiae copiam, qua recentiores jus criminale ditandum atque ornandum putant, saepe dolentes de acerbitate atrocitateque illa poenarum, quae in veteres leges irrepsit, quasi tyrannicis privilegiis irrogatae fuerint. Faciunt illi quidem humane, sed nisi summa severitas summa cum humanitate jungatur, actum erit de reipublicae felicitate, quae duabus rebus, ut est sapiens Solonis dictum, continetur, poena videli-

cet & praemio. Summi sane ingenii homo erat Jo. Augustinus Padronius Liburnensis, qui per sexennium rexerat Institutionum civilium cathedram, antequam in Venturinii locum sufficeretur. Non leges modo, sed etiam earum originem & caussam noverat, & quod majores nostri aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt (quod enim civile, non idem continuo gentium, quod autem gentium, idem & civile esse debet) qua ratione haec aliaque jura inter se jungi copularique possent, quidque conduceret ad omnem juris prudentiam perfecte tenendam, scripto declaravit, in quo majoris operis formam, & ex ea, quale aedificium futurum esset, omnes cognoscere possent (1). Etsi, quod in animo habebat, minime ad exitum perduxerit, nemo tamen dubitavit, quin in instrumento & supellectili Padronii illa omnia essent, quae ad opus magnum conficiendum necessaria videbantur. Non minus grata erat hominibus illius prudentia, quam lingua. Diserte copioseque dicebat, philosophabatur acute, de poeticis scriptis verissime judicabat, cum bonus ipse poeta esset, adeo ut ex tempore etiam versus funderet, in quibus non facilitas modo & elegantia, sed etiam doctrina apparebat. Vir sane magni judicii, magnae eruditionis, & prorsus emunctae naris erat, nec parum humanitatis habebat, addam etiam suavitatis atque leporis. Ut in alienis negotiis procurandis (nam saepe caussas egit) diligens fuit, sic in suis improvidus, nec rerum modo, sed etiam famae contemptor fuisse videtur, vel in matura aetate nimium levitatibus amatoriis deditus. Omnes tamen ejus requirebant congressum atque sermonem, cujus condimenta erant versus, dicta factaque memorabilia, minimeque verebatur, ne in suis narrationibus subimpudens interdum videretur. Haec displicebant severioribus, qui eum primum levitatis, post etiam im-

---

(1) *Hujus est titulus*: Instruzione familiare intorno al metodo di studiare la Giurisprudenza, cavata da un'opera, che si medita sopra tal argomento.

pudentiae (& verecundiae quidem fines aliquando transiisse videri potuit) condemnarunt ; quam ob rem an. 1738. Academia motus fuit. Datum tamen ipsi praemium pro doctrina, praeteritisque laboribus: nam factus est, ut loquimur, Cancellarius, cujus muneris caussa minime illi grave fuit parvo in Etruriae oppido vitam degere. Nunquam enim dolet vir fortis, nec tam laborat, quam ut se magis magisque ad firmitatem intendat. Vixit ad annum usque 1754. & ex iis quae reliquit scriptis, & ex testimonio, quod ejus ingenio & doctrinae impertitus est Jo. Albertus Soria (1) sane intelliges ampliori illum fortuna dignum fuisse. Quando is ab Academia discessit, redierat jam ad ipsam, & ad suum pristinum munus Martius Venturinius, qui an. 1752. prid. id. Septemb. vitae cursum explevit. Quanta in Padronio comitas, tanta in hoc duritas fuit, quare minime est mirandum, si ejus vita nec jucunda, nec mors acerba fuerit. Vel ab anno 1743. huic in Criminalis juris cathedra successit Caesar Albericus Burghius, qui decennio ante coeperat Institutiones civiles interpretari, quique per sexennium Pontificii quoque juris studiosis satisfecerat. Vir fuit integer, justus, & religiosus, atque omnis officii, augendaeque rei familisris diligentissimus.

Non tam illustris & necessaria esse putabatur Feudorum cathedra, ut Praefecti Academiae in quaerendis hominibus doctis, qui illi praeessent, multum elaborare debuerint. Plerumque concedebatur iis, qui in aliis muneribus occupati erant, cum minime exigeretur ab ipsis, ut acroases haberent, nisi iis disbus, quibus ceteri silebant magistri. Ad id semel iterumque decrevit Princeps, ut esse desineret, sed saepe reviviscere visa est; & postquam illam tenuit ad brevissimum tempus Matthaeus Stephanius, de quo alibi diximus, quadra-

(1) Caratteri di varj uomini illustri Tom. II. p. 98. *Vide etiam, quae de eo narravit in ejusdem Soriae elogio Lucas Magnanima p. 170.*

Digitized by Google

ginta & amplius post annos eidem muneri praeesse coepit Hieronymus Dinius Collensis, post hunc autem Fridericus Nomius Angliariensis, deinde Dominicus Soldanius Pupiensis, ac demum Julius Caesar Philippinius, qui omnes Ducale collegium rexere. Coactus Dinius an. 1670. ob perditam valetudinem suis se muneribus abdicare, Collegii praefecturam obtinuit Nomius, & quadriennio post Feudorum cathedram. Venit ipse Pisas ab urbe Aretio, in qua urbe per duodecim annos publice docuerat humaniores litteras tanto quidem cum plausu, ut Aretini in civitatem, nobiliumque civium numerum illum receperint. Alii quoque multi integritatis & elegantiae illius fuere laudatores, & ille summus judex Franciscus Redius non dubitavit ipsum in nobilissimis sui aevi scriptoribus numerare (1). Hanc famam maxime debuit poesi, ad quam eum natura formaverat. Lyricam autem in primis coluit adolescens, & cum vel ab anno 1666. hujusmodi plura carmina Perusiae vulgasset, in quibus satis elucebat poeticum ingenium, ut constaret omnibus, quibus ducibus hoc aluisset, in Etruscos versus lyrica Horatii carmina couvertit (2). *Porro si assequar* (in haec verba litteras dedit ad Antonium Magliabechium) *quod tu non modo aequo animo, sed etiam libenter legas, magnum industriae meae fructum me percepisse arbitrabor: interea habe quae de Victoriis Christianorum adversus Turcas, aliisque magni momenti eventibus lyrice cecini, in quibus propositum mihi fuit es-*

---

(1) La penna di V. S. Eccellentissima (*sic ad ipsum scribebat*) è una delle nobili penne del nostro secolo, ed in questa mia sincera credenza non m' inganna punto l'amore, che sviscerato sempre io le porto. *Tom. I. delle Lettere di Francesco Redi p. 426. edit. Florent. an. 1779.*

(2) I quattro libri delle poesie Liriche di Orazio Flacco: Parafrasi di Federico Nomi al Serenissimo Cosimo III. G. Duca di Toscana: Firenze all' insegna della Nave *1672*. Il libro degli Epodi d'Orazio trasportato in Toscana favella: Firenze per Niccolò Navesi all' insegna della Nave *1675*.

Digitized by Google

esse grandiloquum cum ampla sententiarum gravitate & majestate verborum. Novem primum an. 1686. vulgavit hujusmodi cantiones, quibus deinde addidit decimam ob recuperatam a Venetis Peloponnesum. At, siquid judico, plurimum Nomius abfuit ab ea granditate, quam tantopere in Filicaja, qui de his ipsis Victoriis carmina fecit, admiramur. Post id majus etiam aliquid se tentare posse putavit, cum Italicum poema condidisset *de liberata Buda*, quod mendosissime Venetiis impressum fuit an. 1703. Multa hoc habet praeclara, sed minime tanti putabis, ut comparari possit *liberatae Hierosolymae* (1). Mira sane erat in Nomio ad pangenda carmina facilitas, sed minime arte limabat, quod a natura habuerat boni, neque in copiosa lingua semper declinabat dicendi modos aut vetustatem, aut solutam orationem redolentes. Mediocrem haud licet esse poetam, neque magnis Dii concessere, ut in omni carminum genere excellerent. At Nomius arbitratus est non aliena esse a sua facultate grandia, gravia, ludicra, epica, lyrica, dramatica & id generis alia plurima, & quod miraberis vel in ipsa ingravescente aetate. Ex quo intelligitur quale ju-

(1) *Antequam poema ederetur, cum exquisiisset judicium Antonii Mariae Salvinii, hoc ab eo responsum tulit*. Non posso che ammirare la sua felice facilità nello spiegare cose nuove e dure e difficili, come in ordine alla maniera di militare moderna e simili ec. in comparazioni prese dalla nuova filosofia. Quant' all' allegoria ed all' economia del poema, mi pajono benissimo intese. Lo spezzare de' versi mi sembra alle volte troppo frequente. E' vero che dà grandezza e gravità, ma toglie anco di una certa dolcezza e soddisfazione delle orecchie, e alle volte ho incontrato qualche durezza, ma ciò è venuto dalla novità delle cose da lei trattate: altre volte impiegata qualche parola più di prosa che di poetica, e tal una antiquata: ma l' argomento è bellissimo, i caratteri de' personaggi bene osservati. Ella dà varie belle notizie delle azioni di molti eroi, di molti paesi, e si conosce per tutto seminata dottrina ed erudizione.

Digitized by Google

dicium faciendum sit de multis, quae reliquit, carminum voluminibus (1). Jure tamen in eo laudatur, quod satyras Latinas fecerit, postquam satis feliciter Juvenalem in Italicos versus, verbum ferme pro verbo reddens, convertit. Quatuor tantummodo menses, ut ipse testatus est ad Magliabechium scribens, in hac interpretatione consumpsit, haud mediocrem ab ea laudem sperans, sed gloriae stimulus excitavit ipsum ad rem majorem suscipiendam, totidemque, ac Juvenalis, confecit Latinas satyras, quibus insectatus est saeculi vitia. Perplacuere omnibus, qui de his rebus judicare poterant, & Benedictus Bacchinius admirari se in iis dixit *sermonem Latinum, vividam & alacrem ingenii vim, qua ictu eodem diversa quotquot offendit vitia perstringit & jugulat, festivam gravitatem, sententiarum frequentiam sale conditam, rerum copiam, imitationem diligentem* (nec Juvenalem modo, sed etiam Persium, Horatium, Lucretium & interdum Virgilium imitatus est), *omnia tandem ad optimam prudentis, & philosophi normam castigata*. Leibnitius vero epigrammate eas

(1) *Multa sane sunt, quae inedita reliquit Nomius: in his* Santuario o sian Sonetti per i Santi d'ogni giorno, *de quo opere admonendum putavit Papebrochium*, Eclogas X. la Caterceide, poema Eroico Comico, il Clodoaldo Tragedia di lieto fine, il Dionigi Tragedia, il Geloso risanato dramma morale, le Nozze Spirituali per S. Cecilia, la Donna alla Cappella Dramma, la libertà dell'Amore Dramma per musica, Sonetti, Canzoni, Capitoli, *ac demum epigrammata Latina plurima. Praeter poetica reliquit Volumina II. epistolarum ad familiares, orationem in funere Petri Adriani Vandenbroekii*, dissertazioni e sermoni di vario argomento, *& demum* le annotazioni al Ditirambo del Redi. *Italicam dixerat Pisis orationem in obitu Nerii Corsinii Cardinalis, quam edidit Lucae an. 1676. Ediderat quoque Perusiae opus quoddam a se in Latinum conversum Jo. Francisci Bonomii, quod inscripsit*: Clementis anni Diales lineae D. Io. Fr. Bonomi V. cl. Latinitate donavit Federicus Nomius.

celebravit, & Jacobus Gronovius operam dedit, ut Batavis typis eleganter & emendate ipsae imprimerentur (1), illud Vanden Broekii usurpans:

Ingens Pegasidum columen, Federice, Dearum,
Cui proprio Charites ore dedere loqui.

Nec minus effusus in Nomii laudes fuisse videtur Antonius Magliabechius in haec verba ad ipsum scribens: *si te antiquos aequasse dixero, parum dixero; si superasse, nimium dixero*. Si in pungendis saeculi moribus & vitiis interdum lascivire tibi videbitur, scias usurpare illum potuisse Ausonii dictum: *lasciva est nobis pagina, vita proba*. Vir enim erat integer, frugi, religiosus, dignusque propterea habitus, qui regeret Paroeciam Monterchii, qui locus V. millibus passuum ab Anglario distat. Accidit id eodem illo anno, quo Academiam deseruit. Deserendae autem consilium cepit, quod non me-

(1) Liber satyrarum sexdecim Friderici Nomii Anglatiensis Presbyteri, Argus inter Concordes Academici Insensati: Lugduni in Batavis apud Jordanum Luchtmans 1703. in 8. *Haec sunt satyrarum argumenta*. I. Cur satyras scribat. II. Loquentes inducuntur hodiernum & antiquum tempus de vitiis colloquentia. III. de ineptiis hominum. IV. de indignis acquirendi modis. V. de malis Principum ministris. VI. ab observationibus illustrari medicinam. VII. de pedissequarum pravitate. VIII. in adulatores. IX. in versipelles. X. de damnis belli. XI. de injustitiis sub optimo Principe. XII. non esse deflendas diuturnis lacrymis uxorum mortes. XIII. se paucis minimisque rebus contentum vivere extra patriam. XIV. de Justitiae impiis satellitibus. XV. de exoticis eduliis, titulis, aliisque rebus nostra aetate quaesitis cum excessu. XVI. de nimis cupidis rei familiaris. *Dum haec saeculo suo exprobravit Nomius, habuit voluntatem laedendi sine iracundia, declarandique vim in ingenio, & pondus in vita.*

liore in statu res suas fore intelligebat (tenuissimum erat illius gymnasticum stipendium) adversario Jo. Andrea Monelia, qui in omni re litteraria abutebatur Cosmi III. gratia. Otio autem cum abundaret ruri degens, postquam divinis rebus diligentissime satisfecerat, prorsus cum Musis vivebat, hac de re una querens, quod carebat libris, & doctis amicis, quibuscum scripta & cogitata sua communicaret. Fratris etiam filios, aliosque adolescentulos, in quibus praeclara indoles erat, docebat, instituebat, & ad omne officii munus instruebat. Homo omnino factus ad societatem communitatemque generis humani, omnibusque ingenuis artibus instructus, moribus etiam castissimis, & in sacerdotio caerimoniisque diligentissimus, eam etiam ob caussam urbes fortasse reliquit, ne malo cultu, pravisque opinionibus corrumperetur. Vitam autem produxit ad LXXII. usque aetatis annum, cum mortem obiisset pridie Kal. Decembris an. 1705. Natus enim erat pridie Kal. Februarii an. 1634 a nativitate Christi patre Jo. Baptista Nomio, matre autem Octavia Canicchia, ipsa quoque Anglariensi, diti & castissima femina.

Postquam Academiam Nomius reliquit an. 1682. ejus locum occupavit Dominicus Soldanius, de quo testatus est Academiae ipsius Curator, omni virtute, & laude, & legali doctrina parem esse superioribus (1). Nullum tamen extat scriptum illius, quod idem dixeris de Julio Caesare Philippinio Florentino, qui eidem (vitam enim amisit exeunte Novemb. an. 1700.) successit. Philippinius autem comites habuit in Feudorum cathedra & Jo. Baptistam Melchiorem Maures, & Julium Parasacchium, de quibus alibi mentionem fecimus, vitamque produxit ad verem usque an. 1743. Minime in hoc viro desiderasses prudentiam; sed non de praestanti quadam & eximia, verum de vulgari &

(1) Egli è soggetto che vale, e lo stimo nella legalità non punto inferiore ai suoi antecessori.

Digitized by Google

communi loquor. Atque haec de feudalis juris magistris dixisse sufficiat.

Quando juris publici cathedra instituta primum fuit (fuit autem an. 1726.) statim habuit praeceptorem, quo plurimum gloriaretur, & qui ad eam factus videbatur. Diximus supra quantis doctrinae & ingenii praesidiis instructus esset Pompejus Nerius Joannis Bonaventurae & Camillae Venturiae filius, qui Florentiae ortus erat XVI. Kal. Februarias an. 1707. In Senensium Seminario, eo tempore, quo in illorum urbe ejus pater judicia exercuerat, eas litteras didicit, quibus ad sapientiam concipiendam praeparantur adolescentium animi, hanc autem hausit Pisis ab optimis Praeceptoribus, cumque illum laurea decoraret Josephus Averanius, affirmare minime dubitavit, inter eos, qui litteris operam dabant, neminem illo fuisse amabiliorem, neminem studiosiorem earum artium, quas pater maxime amabat, hoc est optimarum. Longe autem adeo processit discendo exercendoque se se, ut cum complesset nondum XX. aetatis annum designatus fuerit magister omnium difficillimae disciplinae (1) ad quam nemo potest accedere sine instrumento philosophiae & historiae, & sine notitia earum rerum omnium, quae scita sunt in populorum institutis ac legibus. His copiis abundabat quidem Pompejus, sed cum illius absentiam ferre haud posset ejusdem pater, ad brevissimum tempus ejus doctrinae splendor luxit Academiae Pisanae, obtenta a Magno Duce potestate Florentiae tradendi e superiori loco praecepta non modo juris naturae & gentium, sed etiam feudalis. Eodem tempore aderat patri in omni re gravissima gerenda, & caussas plurimas patronus defendit, & arbiter judicavit. Demum publica negotia tractare jussus, a secretis, ut ajunt, fuit iis, qui summae rerum praeerant, postquam Franciscus Lotharingius ad gubernacula Etruriae vocatus est,

(1) *Vide supra pag. 302.*

Digitized by Google

& quidquid tum decernere placuit, ut proſpiceretur vectigalibus in decumis, in portoriis, & in omni re Principis adminiſtranda, conſiliario & ſcriptore Pompejo peractum eſt. Is & rei navali & Stephanianae militiae conſuluit, fines Aemiliae & Apuanae Provinciae terminavit; jura defendit Magni Ducis adverſus Romanum Pontificem in eas regiones, quae a Carpineis Comitibus poſſidebantur; de dirigendis aquis Piſani agri, deque ejus ſalubritati & proſperitati providendo una cum Thoma Perellio retulit; de revocanda ad priſtinum ſplendorem Academia Senenſi, cujus curam, dum vixit, geſſit, ſapientiſſime conſuluit, omne demum id egiſſe videtur, in quo ſalus & felicitas publica contineretur. Quia vero ad hanc rem nil magis conducit quam recta ratio in jubendo & vetando, & quod multae & variae pro locorum diverſitate erant leges, quibus regebantur Etruriae populi, optimo ſane conſilio decrevit Franciſcus II. ut codex legum conficeretur, quibus omnes tenerentur, quaeque juris atque injuriae regulae certiſſimae eſſent. Nulli vero ſapientiori tanta res committi poſſe videbatur, quam Pompejo, qui ut intelligerent ii, quos adjutores glorioſiſſimi operis habebat, qua via, quoque ordine incedendum eſſet, & quae removenda eſſent impedimenta, tribus ſcriptis explicavit iis ſuum conſilium, iiſque omne id complexus eſt, quod rationi aequitatique, locorum naturae, populorum moribus, atque inſtitutis conſentaneum eſſet in jubendo ea, quae facienda ſunt, prohibendoque contraria. Tantum onus minime grave erat Nerio, res tamen minime perfecta eſt, & quamvis poſtea ſaepe tentata eumdem ſemper exitum habuit. Nec diligenter minus curavit aliud mandatum, ut Principi referret, qui veteribus temporibus fuiſſet, & quis eſſet ſtatus Etruſcae nobilitatis ad praeſcribenda ea, quae probarent quis hoc nomine & honore dignus eſſet exiſtimandus. Vera enim nobilitas in bene conſtituta republica magnam vim habere poteſt, & qui omnia ponunt in ſumma aequalitate hominum, non vident, convocata de triviis in auxilium quaſi libera turba temulentorum, omnia fore & turbulenta & temeraria & periculoſa. Fex enim populi non ra-

Digitized by Google

tione & animis movetur, sed sensibus, & praesenti emolumento. Quae in hanc rem scripsit Pompejus, satis declarant quanta in eo essent politicae doctrinae praesidia, neminemque illo magis vidisse, quid inter rectum & pravum, atque inter verum & falsum intersit. Nihilo tamen minus ferre iniquitatem debuit hominis, penes quem summa erat potestas in rebus publicis administrandis, qua de caussa secessit in oppidum, cui nomen Castrum Florentinum, ex quo originem ducebat; hominique, cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda plurimum a pueritia studii fuerat & temporis, facile fuit invenire, in quo se occuparet, quoque fortiter adversae fortunae resisteret. Jure quidem meritoque magna illa laus, & admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. Si honorum cupidus fuisset, cessisset S. P. Benedicti XIV. voluntati, a quo Romam invitabatur. Sed id quoque putavit esse sapientis, ambitionis caussa minime sequi novum vitae genus, eo contentus solatio, quod in superiorum consiliorum conscientia, & in praesentis temporis moderatione facile reperiebat. Negare tamen minime potuit Mariae Theresiae Augustae, quin Mediolanum concederet caussa mandati, quo nullum gloriosius, nullum laboriosius prudentiae Pompeii commissum fuit. Censenda enim erant bona universae Mediolanensium ditionis, ex quibus ii, qui huic imperabant, justa tributa exigerent, quin industriae, atque agriculturae officeretur. Sunt in manibus hominum quae ipse peragenda, & scripto mandanda censuit, ut omnes intelligerent a se habitam rationem publicae & privatae civium utilitatis, quaeque Principis decreto sancita fuerunt, postquam per decem fere annos in hoc negotium summa contentione elaboratum est. Nihil sane fieri potuit gloriosius, ipseque Gallorum Rex misit ad Pompejum homines prudentissimos cum mandatis, ut ab eo exquirerent, quid sibi agendum esset, ut pari modo subjectis sibi populis consuleretur. Quando id accidit, redierat ipse in Etruriam, extincto Bichecourtio Comite, qui illi praefuerat Francisci II. nomine, cuique

odiosa fuerat amicitia, qua Pompejus prosequebatur Carolum Ginorium ejus potentiae aemulum. Nec sine amplissimo praemio ejus reditus fuit, cum in colleginm eorum, quos Consiliarios Status dicunt, cooptatus fuisset. Porro infinitus essem, si commemorare vellem, quae, auctore & duce Pompejo, utiliter peracta fuerunt, dum Franciscus ejusque filius Petrus Leopoldus ad Etruriae gubernacula sederunt. Nil magni momenti accidebat, de quo ejus minime exquireretur sententia, & quidquid dicebat ac scribebat, prodebat hominem ad unamquamque rem aestimandam, momentoque suo ponderandam factum. De asylis, de moderanda possessione bonorum, quae sunt propria eorum collegiorum, quae nunquam mori dicuntur, plura scripsit, & dum exposuit non solum quid possit Reipublicae Rector, sed etiam quid deceat, quidque aequitati sit conveniens, publicae felicitati mirum in modum consuluit. Ut earum rerum, quas terra gignit, libera esset exportatio, factum est consiliis Nerii, aliorumque paucorum, quos aequus ita amavit Jupiter, ut intelligerent hac re maxime provehi agriculturam, excitari populorum industriam, parari divitias, & consuli caritati annonae. Leges de judiciis, & de urbium & oppidorum Praefectis, quarum altera exeunte anno 1771. altera anno post lata fuit, ipsum habuere auctorem, nec ulla unqnam obruet vetustas, nulla unquam delebit oblivio multa a Petro Leopoldo Austriaco peracta fuisse gloriosa ad Etruriae bonum, adjutore Nerio, qui princeps consilii habebatur & erat. Atque hic tantus vir exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus dum traducebat, libentissime erat cum mansuetioribus Musis, delectabatur poesi, cum scriberet ipse carmina elegantissima, omnique arte, quae liberalem virum decet. Nihil ejus consuetudine suavius, (& multi sane sermones illius doctissimos requirebant, neminemque a congressu janitor absterrebat) atque in omnibus sermonibus ejusdem, ut & in scriptis, novisses hominem elegantium parcissimum, & parcorum elegantissimum. Pauca omnino extant ejus scripta, quorum vulgandorum ipse curam minime suscepit.

Digitized by Google

pit (1). Nam postquam negotiis & officiis satisfecerat, nil aliud curare videbatur nisi placatam, tranquillam, quietam, beatam vitam in amicorum, & propinquorum sinu. Ea propter contempsit semper invidorum voces, neque injuriam unquam a se aut defendendo, aut ulciscendo propulsavit. Vel iis, quos inimico in se esse animo noverat, lumen ingenii consiliique sui porrigere atque tendere minime recusabat. O dies ille luctuosus Etruriae, quo ejus decus & ornamentum extinctum est! Accidit id. postrid. id. Septembris an. 1776. sepulcrumque habuit commune cum Patre in Aede S. Josepho sacra.

Postquam de Pompejo dixi, noli quaerere quanti fuerit Franciscus Nicolaus Bandiera Senensis, qui juris publici docendi munus an. 1738. occupavit. Etenim homo, qui nec doctrina, nec ingenio valebat, pene ludibrio erat ipsis discipulis, qui eum Vitriarii nomine appellabant, idcirco quia ejus acroases non solum sententiis, sed etiam verbis illius scriptoris totae constabant. Successit huic Jo. Maria Lampredius, cujus nomen pervagatum est; sed de hoc dicere minime est hujus loci. Hactenus de Jurisconsultis; nunc de philosophis dicendum.

(1) *Vulgavit plura Jo. Spanocchius ejus sororis filius una cum Jo. Bonaventurae Patris legalibus scriptis, de quibus supra p. 302. diximus. Sunt autem haec.* Decisiones Florentinae VII. Responsa legalia V. *quorum I. est* in causa Ravenaten. Finium regundorum inter Serenissimum M. Etruriae Ducem & Statum Pontificium: II. in causa Carpinien. assertae possessionis inter Serenis. M. Etruriae Ducem & S. Sedem: II. in causa Mediolanen. Revocationis alienationis Regalium inter Regiam Cameram & alienatarios: IV. in causa Mediolanen. Regiae donationis Regalium contra tertium possessorem: V. in causa Mediolanen. Fluminis privati censui subponendi; *&* *demum* Discursus legales IV. *quorum I. II. & III. sunt* intorno alla compilazione di un nuovo codice delle leggi municipali della Toscana, *&* IV. sopra lo stato antico e moderno della nobiltà di Toscana.

CAPUT XIII.

De Philosophiae Magistris.

NON admodum felix fuiſſe videtur philoſophiae ſtatus in Academia Piſana, quando Ferdinandus II. regnum ſuum inchoavit. Nam tum hujus diſciplinae cathedras extraordinarias regebant Nicolaus Anſaldius, Bartholomaeus Talentonius, Jo. Baptiſta Fabronius, ordinarias autem Andreas Bellavita, Scipio Aquilanius Piſani, Franciſcus Seghierius a Monte Carolo, qui quamvis nec ingenio, nec doctrina carerent, plurimum tamen aberant ab ea philoſophandi ratione, quae tum, auctore & duce Galilejo, coeperat eſſe in honore. Quoniam vero de his omnibus ſatis multa ſuperiori in volumine diximus, nihil nunc addendum videtur. Miraberis vero tum Jo. Peregrinium Camajorenſem, tum Philippum Vernaccinium Piſanum, a quibus nihil non ſperari poſſe videbatur, quod, teſte Sommaja, plurimum in mathematicis diſciplinis profecerant, & diligentiae ſingularis exempla dederant, ut primum Dialecticam docere coeperunt (1), maluiſſe

(1) *Paullo poſtquam Vernaccinius logicam docere coepit, quod accidit an. 1620. biennio poſtquam doctrinae inſignia acceperat, de ea diſciplina librum vulgavit, quem laudans Sommaja, ait ab adoleſcente, qui ingenio, & induſtria valebat, plurimum ſane ornamenti acceſſurum Academiae. Succeſſit idem Peregrinio in extraordinaria philoſophiae cathedra.*

Digitized by Google

in tenebris & caligine scholasticorum versari, quam ad lucem Galilejanae disciplinae respicere. Antecedebat aetate Peregrinius Vernacciniun: ille obiit an. 163?. hic autem novennio fere post, cum in flore esset aetatis: natus enim erat exeunte saeculo XVI.

Porro magnum se fecisse lucrum existimavit Academia, cum in suis numerare potuisset Petrum Stroctium Vincentii filium, de quo amplissimum & ornatissimum decretum fecerunt, qui ad Etruriae gubernacula sedebant (1). Magnum enim optimarum artium studium, magnum ingenium, & omnis liberalis, & digna homine nobili per-

(1) Desiderando il Serenissimo G. Duca di Toscana con le sue Serenissime Tutrici, che lo Studio della loro città di Pisa continui il suo celebre & antico nome, e che sia provisto di Lettori in tutte le Scienze eminenti, e di merito, e che possino apportare a quello Studio onorevolezza, seguito & splendore. Et essendo a pieno informato della sufficientia, dottrina & altre honorate, & singolari qualità del Dot. Teologo, & Filosofo Piero Strozzi intendentissimo & versatissimo nella lingua Greca & Latina, gli assegnano in detto Studio la lettura Sopraordinaria di Filosofia con stipendio di Scudi 1000. l'anno di lire 7. per Scudo da pagarsegli secondo gli ordini & con titolo di Lettore Sopraordinario o Primario, come più ad esso parrà di usare, con facoltà di leggere quelle materie, che a lui piaceranno con prerogativa di precedere sempre a tutti gli altri Dottori leggenti in detto Studio di qualsivoglia facultà in tutte le sessioni e funzioni pubbliche e private, & che non sia obbligato a circolare, & con tutto le prerogative & privilegj soliti goderai da' Lettori Sopraordinarj, & Monsig. Sommaja Provveditore dello Studio lo faccia in detta conformità descrivere nel Ruolo, e dove occorre, perchè come tale sia trattato e riconosciuto da tutti. Che di così è l' espressa volontà dell' Altezze loro.

Il G. Duca di Toscana 24. Settembre 1625.

Leonardo Accolti.

certa doctrina ipsum in eorum coetu collocarunt, qui sunt ad opinionem omnium mortalium consecrati. Florentiae a Petro Victorio, Bononiae autem a Lazzaro Bonamicio doctrinis Graecis eruditus fuit, quas adeo, dum vixit, coluit, ut sine his vitam insuavem duceret. Imitatus Pallam Stroctium gentilem suum, qui domi suae Graecos alebat, aluit & ipse, & eos in optimis studiis exercebat, & ab iis exercebatur. Romae autem quasi in nobilissimo orbis terrarum theatro cum sedem suam collocasset, plurimum gratia valuit, eam licet rationem sequeretur, ut ejus vita studiorum magis, quam ambitionis labore districta esset. Sed in primis opportunum illi visum est iis temporibus, quibus Principum multi infirmare atque convellere studebant Romani Pontificis auctoritatem, sacras litteras colere cum toto illo linguarum & eruditionis instrumento, sine quo nemo ad illas satis ornatus potest accedere. Subsidia itaque sibi comparavit Hebraicae & Chaldaicae linguae, & ea quaesivit omnia, quae sunt Ecclesiae monumentis consignata. Haec minime latuere Summos Pontifices Leonem XI. & Paullum V. a quibus in scribendis Latinis epistolis, quod munus honorificentissimum putatur, adhibitus fuit. Non expers erat Stroctius Latinae elegantiae, quanquam non semper puris & electis dicendi modis, si quid judico, uteretur. Sententiarum gravitate, & verborum ponderibus, qualia majestatem Pontificiam decent, commendari volebat; ad quam laudem accedebat in consiliis dandis prudentia ac fidelitas, & in negotiis tractandis dexteritas singularis. Vix Pontificatum maximum inierat Paullus, cum ad eum legatus venit a Patriarcha Babylonis, qui pollicebatur imperio Romani Pontificis se suosque obtemperaturos. Quo audito, liberaliter accipitur, moneturque, ut in ea sententia permaneat, & de tota re cum Stroctio communicet. Quae cum eo collocutus est Stroctius ad confutandos Nestorianorum, & Theodori Mopsuesteni errores, quibus iufici atque teneri adhuc Chaldaei putabantur, & quae gerenda judicasset ad concordiam cum Romana Ecclesia constituendam litteris mandavit, ex iisque opus sane ponderosum confecit, quod an. 1617. vulgatum est

Digitized by Google

Romae cum hac inscriptione: *De dogmatibus Chaldaeorum Disputatio ad Patrem admod. Reverend. Adam Camerae Patriarchalis Babylonis Archidiaconum, Monachorum Chaldaeorum Archimandritam Reverendiss. Domini Eliae Patriarchae Babylonis ad Sanctissimum Dominum nostrum Paulum Papam V. Legatum*. His cognitis, in media fere Mesopotamia convocata Synodus fuit, ad quam quotquot adfuerunt summa alacritate ac studio se Romani Pontificis dictis audientes futuros, propositisque ab eo capitibus fidem servaturos professi sunt. Hinc Strocchius occasionem sumpsit alium vulgandi librum, in quem retulit multa e Chaldaica lingua in Latinam conversa, quemque inscripsit: *Synodalia Chaldaeorum, videlicet epistola synodica Eliae Patriarchae Babylonis & Archiepiscoporum ejus obedientiae ad Sanctissimum D. N. D. Paulum Papam V. Sermo Thimothaei Archiepiscopi Amed de recta fide ab iisdem in Synodo recognitus & receptus, carmina in laudem S. D. N. a Gabriele Archiepiscoporum seniore occasione synodi composita, preces Chaldaeis consuetae, ex quibus patet eorum in Summum Pontificem, sanctamque Apostolicam Sedem constans cultus & veneratio*. Eadem de caussa reconciliandae concordiae cum Romano Pontifice venerunt quoque legati a Japonensium Rege, quorum orationi Strocchii ore respondit Paullus, ex quibus omnibus rebus intelligi potest, quantum tribueret homini, quo nihil melius, nihil sanctius, nihil in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius fieri posse ajebat. Sed, ut sunt variae & mutabiles Principum voluntates, patuerunt quoque aures Paulli invidorum vocibus, & abalienati animi Strocchio signa dedit. Cetera inter culpae illi vertit, quod quaedam male acta fuissent in exaedificando ornandoque Burghesiano Sacello, quod in Mariana Basilica extat, cujusque curam illi praesertim, qui omnis artis, quae ad graphicen pertinet, doctus & intelligens existimator putabatur & erat, commiserat. Haec non tulit magno & elato animo homo, cui nunquam defuit in consilio capiendo prudentia, in dando fides atque religio; & quamvis muneribus frueretur amplissimis, & addictus etiam

esset Vaticanae Basilicae in illius Canonicorum Collegium cooptatus, nuntium Romae, Pontificiaeque aulae remisit, seque Florentiam ad suos transtulit. Cujus consilii nunquam sane illum poenituit, cogitantem multis optimis viris tales casus, ea praesertim in urbe, incidisse, & suam virtutem atque industriam suam esse, & secum fore ubicumque fuisset. Homines enim sapientes non ex fortuna, sed ex virtute pendent, neque aliorum injuria, sed propriae mentis conscientia commoventur. Acceptus humanissime fuit a Ferdinando II., ipso lubente uxorem duxit, ex qua filium suscepit, ac demum in Academiae nostrae Doctorum amplissimo loco collocatus cum decreto, quo certe nullum honorificentius fieri potuit. Datum hoc dignitati, nobilitati & famae viri, qui ab adolescentia se in philosophiae portum contulerat, qui perfectus habebatur geometra, quique omnium humanarum divinarumque rerum notitiam tenere putabatur. Quod tot & tanta sibi comparaverit non modo ex iis artibus, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continentur, sed etiam ex iis, quae sordidiores putantur, nonnulli Eleo Hippiae illum assimilarunt, qui, teste Cicerone, cum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriari potuit, cuncta pene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret. Multum ille quidem profuisset Academiae, sed vix, ac ne vix quidem pedem in ea posuit repentina ferme morte sublatus (jamdiu enim cordis palpitationes patiebatur) quod non modo dolemus, sed illud etiam, quod in aliquo illustri loco civitatis minime ei positum monumentum fuerit. Vix enim extare videtur, quod extat in suburbano Templo, quod Boldronis dicitur, cum hac inscriptione.

PETRO STROZZAE VINCENTII F.
SUMMOR. PONT. LEONIS XI. ET PAULI V.
PRINCIPUM AB EPISTOLIS
OMNISCIO PIETATE IN DEUM VIGORE
ANIMI ET PRUDENTIA INCLITO.

HOSPES NE LAUDIBUS EJUS TE MORER
QUANTUS FUERIT HINC DISCAS.
IN DOMO IMAGINIBUS PLENA
ET ROMANA IN LUCE
UBI MAGNA VIX EMINENT CLARE EMICUIT
LUMEN A MAJORIBUS ACCEPTUM
PROPRIIS FACINORIBUS CUM FOENORE AUCTUM
POSTERIS REDDIDIT
FATO FUNCTUS EST AN. SAL. MDCXXV.
DIE XV. OCTOB.
AETATIS LVI.
FRANCISCUS DE SAMINIATIS BACCI F.
EJUS ALUMNUS
HANC TANTI VIRI MEMORIAM EXTARE TESTAM. CAVIT.

Nihil sibi accidisse fortunatius putavit Academia, quam quod e spe dejecta habendi Angelum Cardum Senensem, cui oblatum fuerat DCC. centussium stipendium, in suis philosophis numerare potuerit Scipionem Claramontium Caesenatem & Claudium Gilmer Berigardum Molinaeum (1) de quibus separatim, nec paucis propter famam, quam sibi compararunt, nunc dicemus. Claramontiorum familia ex Gallia

(1) Eleggesi per Filosofo ordinario Scipione Chiaramonti con li soliti honori, carichi e prerogative, e con stipendio di 700. Scudi l'anno, con che venga al principio di Quaresima, e per Filosofo straordinario Claudio Gilmer con stipendio di 150. Scudi l'anno.

Ferdinando

Leonardo Accolti
19. Novembre 1627.

in Italiam concessisse, & post varios casus, & rerum discrimina Caesenae consedisse traditur, dum illi urbi imperabat Malatesta Novellus. Teste Scipione ipso, pater illi fuit Claramontes Claramontius acutissimi ingenii vir, multis litteris doctus, & in rebus agendis prudentissimus, qui eum suscepit XI. Kal. Quint. an. 1565. Non facile quidem inveneris, quem cum Jacobo Mazzonio, quocum patriam habuit communem, cujusque laudibus, non secus ac Themistocles Miltiadis trophaeis, se sommo excitari ajebat, ingenii vi, varietate doctrinae, bonitateque morum comparaveris. Gravioribus disciplinis operam praesertim dedit in Ferrariensi Lyceo, ubi & tantum juris prudentiae sibi assumpsit (quanquam in Graecis & Latinis litteris, & in omni re philosophica excellere maxime voluit) quantum satis esset ad sustinenda publica & civilia munera, in quibus per annos unde sexaginta fidem & diligentiam suam se probasse patriae aliquando gloriatus est (1). Sibi patronos praesertim adscivisse Atestinos Principes ex eo conjici potest, quod in aula fuerit Alexandri Cardinalis, cujus notum est in litteras & litteratos homines studium (fuit autem ad annum usque 1624. quo Alexander ipse obiit) & quod primum ingenii sui foetum, quem typis commisit de cometa an. 1618. in Alphonsi Ducis nomine apparere voluit. Operam & tribuit Perusinae Academiae in Gallesii nobilissimi philosophi locum suffectus, & quod in sua doctrina satis sibi praesidii esse putabat, quanquam accesserit commendatio multorum, confidenter locum in Academia nostra petiit, minime reverens Galileii praesentiam, quem, edito an. 1621. Venetiis libro, qui *Antitycho* inscribitur, oppugnaverat cum aliis celebrioribus astronomis eam ob caussam, quod hi cometas inter caelestia corpora numerandos esse putaverant. Sane nimium obstrepuit Astro-

(1) In Praefat. ad Hist. Caesenae.

stronomis Claramontius, multis editis scriptis pro defensione Antitychonis sui, in quibus illius voluntas obstinatior in retinendis omnibus Aristotelis sententiis apparuit. Neque aliter fecisse dixeris eum, ceterosque Peripateticos, qui se magnifice jactabant eversores fore Galilejanorum dogmatum de terrae praesertim motu ad tuendam veteris philosophiae dignitatem, tenendumque in ea principatum, quasi si nautae inter se certarent, quis eorum potissimum navim gubernaret. Et dum is nimium sibi tribuebat, quasi omnem mathematicae disciplinae infinitam vim & materiem cognitione comprehendisset, videbatur sane inimice agere cum Galileo, cum hominem diceret hujus facultatis ignarum ac rudem. Stomachosius haec narrarem, nisi caussam catholicae religionis, cujus erat studiosissimus, agere se putasset Claramontius Tychonem, Keplerum & Galilejum oppugnans. Hic quidem hujusmodi Peripateticorum voculas despicere facile potuisset, cum quibus contendere & vincere inglorium erat. Adde, quod satis multa adversus eos attulisse videbatur in dialogo de duobus Systematibus Ptolemaico & Copernicano. Nihilo tamen minus doluit, quod caecitate impediretur, ne per se suarum injuriarum ultor esset, eaque propter stimulavit Andream Argolium magni nominis astronomum, ut in proposito maneret suae suscipiendae defensionis (1). Nae

(1) *His verbis scripsit ad Fulgentium Micantium, litteris datis in Arce Veteri, quod erat suburbanum, in quo habitabat, rus III. Kal. Febr. an.* 1638. Quanto al particolare toccato dal Sig. Argoli di rispondere al Chiaramonte, io aveva pensiero di farlo nelle postille, toccando le cose le più essenziali, ma il non potere per la cecità nè far calcoli, nè disegnar figure, o discorrervi sopra, fa che la cura, che in ciò alcun altro si prendesse, sarà sempre da me molto gradita. Tra le cose molto spropositate, che porta il Chiaramonte contro di me, due me ne sovvengono assai solenni: l' una è ch' egli con replicati rimproveri s' ingegna di dichiararmi tanto ignorante Geo-

ille vir sapientissimus laetus mortuus fuisset, si plane eversam vidisset Peripateticorum tyrannidem, neque eam dominari in Academia Pisana, ut & in ceteris Italicis, ad quas pauci admodum concurrissent, si pluris fuissent recentiorum, quam veterum philosophorum dogmata. Atque in his explicandis magnam profecto famam sibi comparavit Claramontius, in quo non doctrinam modo, sed etiam diligentiam, bonitatemque morum singularem extulit Sommaja (1). Ex

metra, che io non abbia saputo gli angoli del triangolo essere eguali a due retti, e ciò dice egli, perchè in certi computi, per i quali si considerano due angoli del triangolo, avendone io o diminuito, o accresciuto uno di essi, non ho nominato il terzo diminuito, o cresciuto per l'alterazione dell'altro: il che da me è stato tralasciato, perchè questo terzo non entra mai nella dimostrazione, o nel computo, sicchè il nominare la sua quantità sarebbe stata una pedanteria superflua. E' anco una fuga più che miserabile la sua, mentre si và storcendo per liberarsi dalla tremenda opposizione, ch'io gli fo, del non aver egli intesi i tre movimenti attribuiti dal Copernico alla terra, mentre ch'ei vuole tal opposizione impugnare, e benchè egli non dica, nè possa dire cosa che lo sollevi punto da sì grande ignoranza, vi è poco dopo portata da lui, in un altro proposito, certa dimostrazione, nella quale di nuovo apertamente si mostra l'equivoco preso da lui sopra i medesimi movimenti. Questi due punti potrà ella accennare al Sig. Argoli, sebbene son sicuro, che tra moltissimi altri ei gli avrà scoperti; ma questo ultimo come massimo e principalissimo sopra tutti merita di esser messo in considerazione, sicchè quando il Sig. Argoli voglia mostrare le fallacie di quell'Autore, ch'ei commette, mentre ei vuole colle loro proprie armi trafiggere gli Astronomi, avrà largo campo di confutar quello; ed io per quello, che spetta a me, gli avrò buon grado della fatica intrapresa, ed intanto la P. V. R. mi farà favore di rendergli grazie dell'affetto.

(1) Scipione Chiaramonti da Cesena Filosofo Ordinario con Scudi 700. Ha 40. anni di dottorato, e fu condotto a Pisa per 4. anni nel 1627. onde la sua condotta è spirata di un anno, che per il contagio non venne. Lesse in

Digitized by Google

indice operum illius, quem infra subjiciemus, facile existimabis nil in vita potius ipsum habuisse, quam ut Aristotelem suum commendaret, perinde ac si rerum omnium, vel potius somniorum in illius scriptis contentorum decertatio sibi praesertim commissa fuisset. *Qui hunc violaverit, quasi sacrum sacrove commendatum violasset*, ajebat, *parricida esto*. Nec in physicis solum, sed etiam in moralibus & politicis rebus illum praesertim secutus est, cum *de conjectandis cujusque moribus, & latitantibus animi affectibus an.* 1625. & decennio post *della Ragion di Stato* opera vulgasset. Multa sane in his collegit, quae erudire & delectare etiam possunt Lectores. Satis enim homines noverat, quo illorum interiores latebras scrutari, vitia a virtutibus secernere, & illa emendare potuisset; satis erat acutus ad excogitandum quid in jure, aut aequo verum aut esset, aut non esset, & satis callebat veterum populorum historiam, ut exemplis & rationibus doceret quid recte fiat a Principibus, quid non, quid specimen habeat honesti, quid ab eo plurimum absit in admi-

Perugia molt'anni sono in primo luogo. Servì il Sig. Card. da Este, e poi il Card. Cinthio Sangiorgio Nipote di Clemente VIII. Ha quattro figliuoli Cappuccini. E' persona d'indicibile bontà, tanto che alcuni poco amorevoli de' Romagnuoli hanno detto essere gran maraviglia che un Romagnuolo sia sì buono. E' uomo celebre di molta e varia eruditione, e di gran nome nella filosofia e matematica. Ha stampato più opere e dato con applauso contro al Ticone e al Keplero, & altri famosi matematici, & hora ha sotto il torchio un' opera contro le opinioni del Galileo, che appresso i più è in grandissima aspettatione; solo si nota in lui che nelle attioni pubbliche, alle quali mai non manca, ha poca attitudine: nondimeno è di grande ornamento e riputatione allo Studio. Domanda ora [anno 1632.] la ricondotta & aumento, & circa la ricondotta non credo ci sia dubbio. *Ad quae rescripsit Magnus Dux*. Riconducasi con Scudi 50. d'augmento.

niſtranda republica. Hoc philoſophiae genus, quod in omni rerum publicarum ratione verſatur, ceteris praeferendum ajebat Claramontius (atque utinam sic praetuliſſet, ut cetera, quae ad naturam pertinent, minime attigiſſet) tantumque ei honoris olim tribuiſſe Graecos, ut qui ex particula parvae urbis ac loci, aut Peripateticos, aut Academicos philoſophos nominavere, univerſarum rerum publicarum nomine politicos philoſophos nominaverint. Hoc ipſum civilium rerum ſtudium invitavit eumdem ad patriae ſuae hiſtoriam conſcribendam, & hac fortaſſe de cauſſa an. 1636. miſſionem ab Academia petiit. Quoniam iſtum animum habebat ſerviendi ſuis civibus, & conſulendi rebus familiae ſuae, ejus diſceſſum in optimam partem accepit Magnus Dux Ferdinandus. Redux in patriam pergraviter tulit obitum caſtiſſimae & lectiſſimae feminae Virginiae de Abbatibus uxoris ſuae, quem ut levaret dolorem ſacerdos factus totum ſe ſe Deo vovit. Ne autem imitaretur exemplum liberorum ſuorum, qui omnes Capuccinorum familiae nomen dederant, fecit patriae caritas, quae vehementer ab eo petiit, ne gravaretur inchoatam hiſtoriam abſolvere, ſibique in conſiliis de rebus gravioribus capiendis adeſſe. In illa vero hiſtoria ſatis ornate res narrantur, interponuntur etiam quae ad univerſam Aemiliae provinciam, & interdum etiam, quae ad ceteras Italiae regiones pertinent, & in his tracta quaedam & fluens minime deſideratur oratio. Hujus hiſtoriae (affirmaverat enim Senam Umbrorum eſſe Caeſenam) aliarumque rerum cauſſa, quae in apologia Antitychonis ſui protulerat, ferre debuit Fortunii Liceti reprehenſiones, & quia minime videri volebat parum ſui & patriae honoris ſollicitus, Simeoni filio, cujus omnibus notum erat ingenium atque doctrina, commiſit, ut ad ea, quae Licetus objiecerat de Caeſenae hiſtoria reſponderet. Serius haec omnino prodierunt; ipſe vero Scipio propugnationem ſuſcepit pro omnibus iis, quae tradiderat de ſede cometarum, aliiſque naturalibus phoenomenis tum adverſus Licetum ipſum, tum adverſus Nicolaum Cabeum hominem e Societate Jeſu. Haec & alia hujuſmodi multa

Digitized by Google

philosophica ad omnes Aristotelis sententias, tanquam ad silicem adhaerescens, vulgavit (1), cum jam decrepita esset aetate, & gloriari visus est, quod Gabriel Naudaeus Parisiis an. 1641. imprimendum curasset opus *de atra bile quoad mores attinet* tres in libros divisum, & octo post annos libellum *de altitudine Caucasi* cum praefatione

---

(1) En omnium operum illius index.

OPERA EDITA.

Discorso della Cometa Pogonare dell' anno 1618. In Venezia appresso Pietro Ferri 1619. 8

Antitycho Scipionis Claramontii Caesenatis, in quo contra Tychonem Brahe, & nonnullos alios rationibus eorum ex opticis, & geometricis principiis solutis demonstratur cometas esse sublunares, non caelestes: Venetiis 1621. apud Evangelistam Deuchinum 4.

De conjectandis cujusque moribus, & latitantibus animi affectibus σημιωτικη Moralis, seu de signis Scipionis Claramontii Caesenatis. Venetiis 1625. ex officina Marci Ginammi 4.

Apologia Scipionis Claramontii Caesenatis pro Antitychone suo adversus Hyperaspistem Joannis Kepleri, confirmatur in hoc opere, rationibus ex Parallaxi praesertim ductis, contrariisque omnibus rejectis, Cometas sublunares esse, non caelestes. Venetiis apud Evangelistam Deuchinum 1626. 4.

De Tribus Novis Stellis, quae annis 1572. 1600. 1604. comparuere libri tres Scipionis Claramontii Caesenatis, in quibus demonstratur rationibus ex Parallaxi praesertim ductis Stellas eas fuisse sublunares, & non caelestes adversus Tychonem, Gemmam, Mestlinum, Digessum, Hagecium, Santucium, Keplerum, aliosque plures, quorum rationes in contrarium adductae solvuntur: Caesenae apud Josephum Nerium 1628. 4.

Difesa di Scipione Chiaramonti da Cesena al suo Antiticone, e libro delle tre nuove stelle dall' opposizioni dell' Autore de' due massimi sistemi Tolemaico, e Copernicano, nella quale si sostiene, che la nuova stella del

Digitized by Google

ad Ismaelem Bullialdum, in qua se appellavit *veterem amicum*, & *virum solide in mathematicis, omnibusque nobilioribus disciplinis eruditum*. Cum leges ejus opus postumum de scenis & theatris, audies quidem hominem non de schola, sed Graecis & Latinis litteris eru-

---

72. non fu celeste; si difende Aristot. ne' suoi principali dogmi del Cielo: Si rifiutano i principj delle nuova Filosofia, e l'addotto in difesa, e prove del sisteme Copernicano. In Firenze appresso il Landini 1633. 4.

Della Ragione di Steto di Scipione Chiaramonti da Cesena, nel qual Trattato da' primi principj dedotto si scuoprono appieno la natura, le massime, e le specie de' Governi buoni, e de' cattivi, e mascherati. In Firenze nella Stamperia di Pietro Nesti 1635. 4.

Scipionis Claramontii Caesenatis de sede sublunari Cometarum opuscula III. in supplementum Antirychonis cedentie: sunt eutem I. Consideratio observationum Indicarum Cometae ultimi anni 1618. a PP. Jesuitis habitarum Goae, & in tractu Malabarico. II. Consideratio, ac solutio rationum pro caelesti Cometarum sede, quae post Antitychonem prodiere, vel ed euctoris manum pervenere: sunt eutem Rationes an. 1577. Antonii Santutii, 1582. Ejusdem, 1585. Christophori Rothmanni, 1597. Santurii, 1607. Santutii & Joannis Kepleri, 1618. Kepleri, Willebrodi, Snellii, Fieni, Fromondi. III. Libellus Apologericus. Amstelodami apud Joannem Jansonium 1638. 4.

Exameo Censurae Joannis Camilli Gloriosi in librum de tribus novis stellis Scipionis Claramontii Caesenatis. Auctore eodem Scipione Claramontio: Florentiae Typis novis Amatoris Massae & Soc. 1636. 4.

Castigatio Joannis Camilli Gloriosi edversus Scipionem Claramontium Caesenarem Castigata ab eodem Scipione Claramontio: Caesenae Joseph de Neris Typographus excudebat 1738. 4.

De Methodo ad doctrinam spectante libri quatuor, in quibus tum Controversiae omoes de Ordine, & Methodis inter graves Philosophos egitatae singilletim discutiuntur, tum novae Praxes tradontor ex Aristotelis penetralibus erutae, quae certum exhibent inveurarum doctrioarum judicium, & editum aperiunt ad novas inveniendas. Authore Scipione Claramontio

Digitized by Google

ditum, & quod nullam eruditionem esse ducebat, nisi quae beatae vitae disciplinam juvaret, diligenter etiam atque etiam colligebat o-

---

Caesenate. Caesenae Carolus Nerius Cameralis Typographus excudeb. 1639. 4.

Caesenae Historia Authore Scipione Claramontio ab initio Civitatis ad haec tempora, in qua totius interdum Italiae, universae fere semper Provinciae status describitur: Caesenae ex Typographia Caroli de Neris 1641. 4.

De Atra Bile quoad mores attinet libri tres Scipionis Claramontii Caesenatis. Ad Clarissimum Virum Gabrielem Naudaeum Parisinum, Perisiis apud Nicolaum & Joannem de la Costa &c. 1641. cum Privilegio Regis 8.

Antiphilolaus Scipionis Claramontii, in quo Philolao redivivo de motu terrae, & solis, ac fixarum quiete repugnatur; rationesque ejus, quas ipse pro demonstrationibus affert, fallaces deteguntur. Insuper positio eadem de re Copernici confutatur, & Galilaei defensiones rejiciuntur. Caesenae ex Typographia Nerii 1643. 4.

Defensio Scipionis Claramontii Caesenatis ab Oppugnationibus Fortunii Liceti ad Eminentiss. & Reverendiss. Principem Carolum S. R. E. Cardinalem Rossettum SS. D. N. Urbani VIII., ejusdemque Sedis ad universalem Europae Pacem de latere Legatum. Caesenae apud Nerium 1644. 4.

Scipionis Claramontii Caesenatis de sede Cometarum, & novorum Phaenomenon libri duo. In primo continetur defensio sententiae suae ab oppugnationibus P. Nicolai Cabei Jesuitae & in secundo replicatio Fortunio Liceto Illustriss. & Reverendiss. D. D. Jo. Baptistae Ceccadorio Episcopo Forosempronienti, & Bononiae Prolegato: Forolivii ex Typog. Cimatiorum 1648. 8.

Scipionis Claramontii Philosophi & Mathematici celeberrimi de altitudine Caucasi liber unicus cura Gabrielis Naudaei editus. Perisiis apud Sebastienum Cramoisy Regis & Reginae Regentis Architypographum & Gabrielem Cramoisy &c. 1649. 4.

Philosophia Naturalis Methodo resolutiva tradita de Principiis, & communibus affectionibus rerum naturalium libri undecim Scipionis Claramontii Caesenatis: Caesenae apud Nerium 1652.

Scipionis Claramontii Caesenatis Opera Varia scilicet I. de Universo libri sexdecim. II. in quartum librum Metheorum Aristotelis commentaria. III.

Digitized by Google

mnia, quae ad informandos mores, & ad vitam sancte regendam pertinere arbitrabatur. Et is quidem vir erat, unde pudoris, innocentiae

de tribus novis stellis libri tres. IV. expositio partis libri tertii Metheorologicorum, ubi Aristoteles agit de Iride: fol. sine loco & anno.

Scipionis Claramontii Philosophi profundissimi ac Mathematici Celeberrimi Opuscula varia Mathematica nunc primum in lucem edita, scilicet I. de Phasibus Lunae, quo modo rotunda, modo dimidiata, modo aucta lumine, modo diminuta apparet. II. de Horizonte sensibili. III. de usu speculi pro libella, & de tota libratione. IV. ex Inspectione imaginis subjecti per reflexionem ex aqua quiescente in vase investigare quanta sit diameter terrae. V. de Altitudine Caucasi ad Leopoldum Mediceum Principem Serenissimum: Bononiae ex Typographia Caroli Zeneri 1653. 4.

Delle Scene, e Teatri Opera Postuma del fu Sigoor Cavaliere Scipione Chiaramonti da Cesena consacrata all' Altezza Serenissima di Francesco Secondo Duca di Modena, Reggio ec. In Cesena per li Verdoni 1675. 4.

OPERA INEDITA.

De apparentia quantitatis eorum, quae in speculo videntur.

Del moto dell' acqua per le canne, o acquedotti.

Quesito proposto dal Signor Marrio Colonna come da una data palla si venghi in cognizione del pezzo, a cui serva sì nelle colubrine, come nei cannoni, e si cerca non solo il semplice modo d' operare, ma la ragione anco, e dimostrazione dell' operazione.

La Nova Prattica di Perspettiva di Scipione Chiaramonti da Cesena, nella quale dalle cose novamente, e sodamente dimostrate dal Sig. Guido Baldo dal Monte nei suoi libri di perspettiva si deducono le regole di rettamente operare, e con gl' istessi fondamenti si scuoprono gli errori, e le imperfezioni de' passati perspettivi. L' anno 1610. a dì 21. Novembre.

Problema sopra dei Baluardi al Sig. Paolo Savelli.

In Ptolemaeum commentarii.

Astronomia, in qua novis hypothesibus servantur Phoenomena.

tiae & veteris ſanctitatis exempla petere omnes poterant; cumque templum conſtruxiſſet Deo & S. Philippo Nerio dicatum, & prope illud domum, in qua Oratoriani, uti vocantur, presbyteri habitarent, iis ſe ſe comitem dedit, & in eorum ſinu vitam finivit V. Non. Octobris an. 1652. Laudatus publice fuit a Roſinio & Maffejo, & in ejus tumulo poſita inſcriptio, quae nec veritatem, nec veterem elegantiam imitari facile judicabis. Eſt enim huiusmodi.

Scipio Claramontius

Philosophus profundissimus et clarissimus Mathematicus

Matheseos, Animae, Sophiae

Genium ac naturae Scriniarius

Obiit iv. (1) Nonas Octobris anno aetatis

suae xiic mdclii.

Atque haec de Claramontio dixiſſe ſufficiat. Nunc de illius collega Claudio Berigardo Petri Molinenſis medici filio ea narrabimus, quae nobis conſtant. Plura ſi vellem, exſcriberem quae multis verbis expoſuit in Parte I. Vol. IV. Hiſt. Crit. Philoſophiae Jacobus Bruckerus. Huic merito ſuſpecta eſt fides Niceronii affirmantis eum in vitam ingreſſum fuiſſe an. 1578. xviii. Kal. Septembris, quatuordecim annis citius, quam indicat inſcriptio ejus imagini appoſita, quae prodiit in lucem an. 1643. cum illius *Circulo Piſano*. Id ipſum ex *Supplementis Naudaeanis adjectis* colligi poſſe videtur. Quo poſito, neque illud aſſentiri poſſumus Niceronio ipſi Claudium an. 1601. me-

(1) *Corrige V. ut ex certiſſimis monumentis conſtat. Vide Hyacinthi Ignatii Claramontii* carmen de majorum ſuorum laudibus.

Digitized by Google

dicinae & philosophiae laurea insignitum fuisse in Academia, quae tum Aquis Sextiis florebat (1). Scimus quidem ex ipso e Parisiensi ad Academiam Pisanam accitum fuisse; novimus autem ex Sommaja (2) anno antequam ad nos veniret, Florentiae eumdem constitisse cum Jo. Guilelmo fratre, qui medicinam manu faciebat, & inopiae patientia, & multis litteris ornatum fuisse. Illud & addendum, teste Berigardo ipso (3), operam tribuisse Christinae Lotharingiae in scribendis Gallicis epistolis, seque in beneficii singularis loco posuisse, quod suus frater assecla fuerit Matthiae Medicei in itinere, quod in Germaniam habuit. Magna de eo fama surrexit statim ac docere coepit, & summis elata laudibus fuit oratio, quam in ingressu muneris dixit ob eruditionis copiam, & Latini sermonis elegantiam. Cum autem more institutoque Academiae explicandae illi essent Aristotelis de rebus naturalibus sententiae, non egebat sane, ut

---

(1) *Testis est Sommaja eumdem lauream accepisse an.* 1624. *Pauca omnino sunt, de quibus fidem praestare possimus Niceronio.*

(2) E' in Firenze, *sic ille*, Claudio Gilmer Francese nato in Molins nel Borbonese, del quale il Padre Confessore di Mad. Serenissima fa ottima attestazione; è huomo di circa 35. anni, perito di Greco molto, & anco di Filosofia & buone lettere, & del quale oltre quello sa hora, che non è poco, si spera habbi da fare grandissimo acquisto & pervenire a grande eccellenza, avendo grande apparato e fondamenti, & vedendosi che in poco più d'un anno, che è stato in Firenze, ha fatto notabilissimo acquisto. E' povero e dovria collo stipendio della Lettura non solo mantenere se, non havendo altro, ma anco ajutare un suo povero fratello carico di famiglia e scarso di fortuna & guadagni. Pisa 24. Ottobte 1627. *Anno post narravit Principi Sommaja*, che nell'orazione, che fece per il suo principio in Pisa, dette saggio di un grande Humanista. *Alio in loco affirmat etiam*, che dette saggio di buon filosofo, e che meritava un aumento, *quod fuit XXX. centussium*.

(3) In epistola nuncupatoria Dubitationum in Dialogum Galilei.

ceteri fere omnes illius aetatis philosophi, interprete ad illas noscendas, quod Graecis litteris erat eruditissimus, neque in iis adeo haerebat, quin etiam dissidentes aliorum philosophorum opiniones declararet. Exhilarabat etiam interdum se & discipulos suos Latinis carminibus, &, teste Paganino Gaudentio, sive soluta, sive numeris adstricta oratione diceret, facilis, expeditus & elegans erat. In hoc etiam magnam capiebat voluptatem, quod, cum ad circulares disputationes locos afferret multa meditatione & commentatione paratos, & ingenii acumine & eruditionis copia ceteris praestaret, nemo cum illo stare in acie nisi vigilanter nervoseque audebat; & quo magis illum petebant adversarii, tanto majorem iis frustatio dolorem afferebat. Atque hoc sibi mire cum Claramontio conveniebat, obsistendum iis, qui ab errantium stellarum motibus, progressibus, ac recessibus, ab Solis maculis, a maris aestu, ab experimento quodam circa stellas aquilonares & meridianam lineam instituendo firmissima argumenta ad terrae diurnum atque annuum motum probandum ducere se posse putabant. Dumque suis laudibus animos addebat tum Claramontio ipsi (1), tum Georgio Trombae Lascareo, quos sciebat in hac re plurimum insudare, is quoque in publicum prodiit, edito Florentiae an. 1632. libro, qui inscribitur: *Dubitationes in Dialogum Galilei, ubi notatur Simplicii vel praevaricatio, vel simplicitas, quod nullum efficax superesse Peripateticis argumentum ad terrae immobilitatem probandam tam facile concesserit*. Opus istud sic contexuit Berigar-

(1) *Illam viri doctrinam & eruditionem esse ajebat, ut potuisset cum Hercule Oetaeo gloriari;*

Illa licebit fulmena parte auferas,
Ego, quam tuebor, sive glacialem polum,
Seu me tueri fervidam partem jubes.

dis, ut nihil de honore Galilejo debito detrahere se velle diceret, cum Peripateticis suis, quem mereri illos putabat gloriae fructum retribueret, illud & addens, se eum esse, qui existimaret omnes veritatis indagatores liberaliter habendos esse. Sed dum ille, ut Horatianis verbis utar, multum speravit, multum sudavit, ut probaret *terram immobiliorem esse Gallicis Cantheliis*, frustra laborasse videtur. Dubium porro illi non erat, cum detulisset hujus operis munusculum Ferdinando II., quin ab eo praemia reportaret. Et declaratus quidem est Ordinarius philosophiae magister, & curam etiam gessit horti botanici, quemadmodum alibi narravimus. Quo expleto mandato, cum sui ratio, prout sperabat, minime habita fuisset, Germaniam cogitavit, quo decedendi potestas ei facta est ea conditione, ut nullam mercedem ab Academie aerario exigeret (1), quae tum erat CCCX.

---

(1) Serenissimo G. Duca.

Claudio Berigardi lettore Ordinario nello Studio di Pisa. humilissimo Servo di V. A. S. ha bisogno di trasferirsi e trattenersi in Germania tutta la prossima invernata per supplire alle occorrenze di Gio. Berigardi suo fratello Cerusico del Serenissimo Principe Mattias, il qual Gio. è stato conceduto dal medesimo Principe per detto tempo al Serenissimo Principe Gio. Casimiro di Pollonia, e però supplica humilmente V. A. di concedergli licenza per tutta la detta invernata dal detto Studio, e che il luogo e la cattedra gli sia conservata, che la riceverà per singolarissima grazia. *His rescripsit Magnus Dux*. S. A. in riguardo del servizio del Serenissimo Principe Gio. Casimiro di Pollonia e del Sig. Principe Mattias concede licenza al Dot. Berigardi per l' anno prossimo, la cui prima terzerla comincia a Novembre prossimo 1637. di trattenersi in Alemagna, ma senza provvisione, riserbandogli l' honore del suo luogo, & Cattedra nello Studio di Pisa.

Persio Falconcini 2. Settembre *1637*.

centussium. Quanquam in Etruriam redierit, ubi bellissime esse poterat, quod debitum ejus doctrinae testimonium ab omnibus tribuebatur, quod multi in gravioribus morbis ejus curationes probabant (1) & quod res & dies & opinio hominum eum lautiorem faciebant, cessit tamen an. 1639. Academiae Patavinae Praefectorum invitationibus, a quibus accitus est florenis DCCC. praestitis praeterea C. ad itineris expensas. Etsi autem secundum locum inter philosophos teneret, Cottunio tamen collegae aequatus est, collegii jure, titulis, & commodis omnibus concessis, quae loco primo tribui solent. Id enim in conditionibus esse voluit, cum oblatum docendi munus recepit. Ejus stipendium postea duplo fere crevit, & principem locum occupavit. At non propterea oblitus Etruriae ac Mediceorum Principum fuisse videtur. Tradidit enim Welschius aestivis temporibus, quando a studiis vacabat, Florentiae commorari ipsum consuevisse, & cum an. 1643. tandem deliberasset edere opus, quod antea magna ex parte paraverat, quodque inscribitur *Circulus Pisanus*, sex in partes, seu orbes ita distribuit, ut imitaretur Mediceorum stemma, unicuique orbi suum ex ipsa familia patronum assignans. Istud opus libuit illi scribere in disputatione & dialago, loquentes inducens Charilaum & Aristaeum, quorum ille placita Aristotelica, hic autem ve-

(1) *Scribens Redius ad Jo. Nerium haec de Berigardo retulit.* Si ricorderà V. Ecc. che la Signora ci ha detto molte volte, che da tanti e tanti rimedj, che in tanti tempi ella ha fatti, non le pare di aver mai ricevuto maggior giovamento, che dal rimedio, che le diede il vecchio Berigardo . . . . Tutti i medici concludono, che ci vuole gli antivenerei in questa foggia di scorbuto, e tra gl'infiniti antivenerei, che la Signora ha pigliati, non ha trovato il più profittevole di quel di Berigardo. Or perchè non proviamo noi quell' antivenereo di quel nostro amico che VS. ed io sappiamo, che è lo stesso di Berigardo, e che di più non è fatto di mercurio?

terum praesertim philosophorum, qui ab Aristotele plurimum dissidebant, opiniones tuetur. Quae qui legerit, si tamen in ea, in qua nunc versamur luce, tanti esse putaverit, ut in iis legendis bonum otium consumat, admirabitur Berigardi eruditionem, & quod errore ductos videbat multos, ut nihil inesse in Aristotelis libris existimarent, quod catholicae religioni adversaretur, hos ita convicit, ut Peripateticorum sectae pene nuntium remisisse videatur. Nec libere minus exposuit quid SS. Patrum auctoritati in rebus ad physicam pertinentibus tribuendum esset, & alia hujusmodi plura, argumenta argumentis opponens, ut tum in Circulis Pisanis fiebat, & quod erat dubium relinquens incertum, in quo non omnis solum veteris philosophiae, sed etiam recentioris se litterate peritum ostendit. Quanquam liber impressus fuerit, permittentibus iis, quorum potestas erat, fuere tamen, omnibus, ut reor, praeeunte Samuele Parckero (1), vi-

---

(1) *Haec ille Disput. I. de Deo s. 24. p. 67.* Caesalpinum eadem impietatis via & ratione non modo secutus est, sed soperavit Claudius Berigardos Moliuensis, qui uns cum impia Aristotelis disciplioa obsoletam istam quoque veterum Jonicorum (quemadmodum de iis ipse censuit ac plerique alii censuerunt) revocavit. Cum enim disputationes suas dialogorum consuetudine scripsit, sermonem io duss personas Charilaum & Aristaeum distribuit, quorum alter Aristotelem, qui, praeter materiam, qoendam primum motorem, providentiae tamen expertem posuit, alrer antiquos illos defendit, qoos omnia corporea esse velle, nullamque primum motorem ab oniverso corporeo distinxisse putavit. Atque uno eodemque opere diversas cum Epicureae, tum Peripateticae impietatis rationes adornavit, quanquam Aristotelis disciplinsm fusios & ardentius exeoluit, atque eam potissimum, quam libro physicorum VIII. librisque de caelo & rerum generatione tradidit, qoibos universam mundi fabricsm sine providentia srchitetrice extruxisse se putet philosophus. Neque nefaria sua dogmata ooo aut altero capite, ut Caesalpiuus, insinuavit, sed aperte omnem Peripateticae impietatis rationem secutus est, neque Numinis providentiam, ut ille, e rerum natura tollere satis habuit, nisi & salse dictis (qualia

ro sane docto, qui illum impietatis accusarunt, quod quidem inique eos fecisse arbitror. Qua de re plura dicerem, nisi abunde Berigardi famae a Bruckero consultum fuisset. Dum vixit, hanc adeo retinuit, ut nullus illi par in Academia Patavina poneretur; vixit autem ad annum usque 1663., moriensque heredem instituit Joannem fratrem, qui tum mercaturam Florentiae faciebat, cuique filius fuerat Petrus ille Berigardus, qui se Florentinum nominavit, dum *Hippocratis Aphorismos Rhythmicos* in vulgus emisit.

Dum multi servientes temporibus gloriam quaerebant in oppugnandis Galileii dogmatibus, existimationis illius studiosissimum cupidissimumque se ostendit Hieronymus Bardius, cujus plures extant litterae ad Galilejum ipsum, de quibus mentionem fecit Jo. Targionius (1). Is Rapalli, quod est oppidum in Genuensium ditione, natus erat non. Martii an. 1603., patre Joanne, matre autem Lucretia Torria, nomenque dederat Societati Jesu, postquam in litterarum humaniorum & philosophiae curriculo se exercuerat tum Genuae, tum Parmae, qua in urbe audivit Nicolaum Cabaeum ex eadem Societate hominem. Hanc deserere coactus ob valetudinis incommoda, Genuae fuit, divinisque praesertim litteris & medicinae operam dedit. Laurea decoratus, cum speraret nihil a civibus suis, auxilium ab alienigenis efflagitavit, & commendatione Juliani Medicei Cardinalis & Pisarum

vir non admodum facetus potuit) increparet. Tantum tamen abest, ut in quam reprehensionem incurrat, ut laudem & auctoritatem a S. Inquisitorum Officio obtinuerit: quod scilicet, quae in Aristotele reprehendenda sint, omnia callide praefatus fuisset. *Vide etiam quae de Berigardi opere, quod primum Utini impressum est an. 1643. & deinde Patavii an. 1661. judicarunt Jo. Franciscus Buddaeus (Thesaur. de atheismo) Leibnitius (Dissert. praelim. ad Theodic.) Baylius (Dict.) aliique plures.*

(1) Vol. I. p 349. degli Aggrandimenti delle Scienze fisiche accaduti in Toscana.

Archiepiscopi locum obtinuit in Academia nostra, in qua Logicam primum cum Platonis philosophia, & hanc diebus jovis & festis docuit, ac demum an. 1634. biennio ferme postquam ad illam venerat, Extraordinarius philosophiae magister declaratus est. Non diu apud nos mansit (nam deest ejus nomen in albo Doctorum an. 1635.) quanquam multa se perfecturum pro dignitate Academiae spopondit in ea, quam mense Novembri an. 1633. habuit *prolusione, antequam ad Platonem & Aristotelem explicandos accederet*, quam Pisis anno post edidit. Multum profecto is sibi tribuebat, ludebat etiam interdum carminibus, & in iis controversiis, quae sane fuerunt acerbissimae inter Stephanum Rodericum Castrensem, Fortunium Licetum, & Julium Gustavinium, horum duorum partes suscepit. Non audacter modo, sed etiam impudenter, edito Dialogo quodam, Castrensem ferivit: hic autem par pari reddidit, emissa an. 1636. Oldemburgi Satyra, cui titulus *Diogenes Cynicus*, quaeque invitavit illius adversarios, ut responsione mimica iterum eumdem lacesserent. Ferebat haec illa aetas, nec tulit modo, sed etiam laudibus extulit plura, quae barbarae dictionis, & philosophiae sordibus inquinata in lucem Bardus emisit (1). Nonnullorum argumenta laudasses, cum de

(1) *Hujusmodi sunt*: I. de recuperato visu a Tobia 2. de azymi usu 3. de medicina Moysis 4. de vita antiquorum & neotericorum 5. de victu Hebraeorum. 6. de carnibus & praesertim suillae usu 7. de ligno, quo aquae dulces sunt effectae 8. de medicina ab Elisaeo facta. 9. de medicina ab Esaia facta. 10. de Salomonis medicis praeceptis. 11. de medicina a Christo instituta & exercitata 12. de Christi Domini contactu ad corporales morbos abigendos. 13. de languido Piscinae Betbsaidae. 14. de aqua fluminis Jordanis. 15. de incorruptis naturaliter cadaveribus. 16. de sanguinis fluxu ab utero. 17. de aridura. 18. de hydrope. 19. de vocis restitutione, & Demonis explusione. 20. de coecitate & oculorum morbis. 21.

de *medicina Sacra cognoscenda & facienda* se dicturum professus fuisset, sed frustra sperasses satis eruditionis, satis doctrinae, satis critices ad illa tractanda ab eodem allatum iri. Eadem dicito de *Theatro naturae Jatrochymicae rationalis*, quod opus non approbatore modo, sed etiam laudatore Ferdinando II. (1), Pisis ea confidentia suscepit, ut se relaturum omnia spoponderit, quae *in universo naturae ambitu continentur medicarum facultatum*. Hujus ipsius operis, quod quinque in magna volumina distribuere meditabatur, specimen quoddam an. 1654. Romae vulgavit, & gratiam illi habemus, quod de eodem absolvendo edendoque non amplius cogitaverit. Romam autem patre orbatus triennio antea Genua venerat, qua in urbe non inglorius fuisse videtur, ut ex testimonio viri doctissimi Leonis Allatii conjici potest. Praemia quoque illi tribuit Summus Pontifex Alexander VII. ob editum libellum quemdam, quem inscripsit, *Xaverius peregrinus, pede pari & impari descriptus*, veniamque illi dedit faciendae medicinae, quod presbyteros vetant Ecclesiae leges. Romae commoranti multa communia fuerant cum Raphaele Magiotto, sed ab eo discrepabat plurimum ratione atque prudentia physica studia excolendi. Perpaucos enim tulit Etruria, quos cum Magiotto doctrina, & sensu investigandi naturam acerrimo comparaveris, ut admirari satis non queas sivisse Mediceos Principes tantam vim

---

21. de natatoria Siloe 22. de hydrophobia ec. *Edita est epistola ipsius* de aqua, quae ex latere Christi effluxit. *Edita autem est cum Dissertatione Thomae Bartolinii senioris* de latere Christi aperto.

Caeterum quod ad opus medicinae sacrae *pertinet, universi ideam adumbravit edito libello Genuae an. 1644. in cujus epistola nuncupatoria se nominat* Hier. Bardum D. S. Jatro-Phileuchimicum.

(1) *Vide Justinianum* degli Scrittori della Liguria, *& Mazzuchellium, qui de Bardio plura scripsere, quibus & addideris Jo. Targionium*.

ingenii in aliena civitate commorari. Si opportunus hic locus esset multa sane de eo narrarem, sed is ab Academia nil aliud habuit nisi doctrinae insignia, quibus decoratus fuit an. 1623., nec laudatio, & auctoritas Galileii, quocum summa familiaritate conjunctus erat, valuerunt, ut illa summae expectationis adolescentem sibi addiceret (1). Sed ad Bardium redeo, de quo ignorari video, quo anno & quo loco vitam finierit. Satis quidem constat fuisse illum Romae an. 1667. quo tempore creatus est Summus Pontifex Clementis IX. nomine ille Julius Rospigliosius, a quo non parum ornamenti accessit Etruriae & Academiae nostrae, quae eum habuit in suis discipulis, & an. 1622. in extraordinariis philosophiae magistris, qui ex eorumdem discipulorum numero eligi solent, quorumque annuum est munus.

Quid de Feliciano Silvestrio Fulginate dicam? Is quidem an. 1636. ad regendam extraordinariam philosophiae cathedram vocatus fuit, a qua biennio post transitum ad ordinariam fecit, & hanc per annum tantummodo tenuit. Equidem reor hunc minime sejungendum a turba illa Peripateticorum, qui opplebant scholas tenebris & sordibus (2), quam auxisse quoque videntur Laelius Santuccius Perusi-

---

(1) *De eo haec narravit Cinellius*. Raffaello Magiotti Sanleolini d'origine di Montevarchi, Prete della Chiesa di S. Lucia della Chiavica, dottor di Leggi, (di medicina) e matematico dotto, del Card. Sacchetti familiare, il quale del di lui merito e virtù fece gran stima, e non solo abitazione nel suo palazzo, ma ogni altra comodità somministrogli. Fece alcune opere di matematica, che manoscritte nelle mani di esso Card. Sacchetti rimasero, ed ancora alcuni trattati di esperienze. *Renitenza certissima dell'acqua alla compressione dichiarata con varj scherzi, in occasione d'altri problemi curiosi: Roma 1648. in 4.* Morì in Roma per la peste del 1656. *De eo nonnulla narrabimus in Borellii vita.*

(2) *De ejus poetico ingenio pauca tetigit Crescimbenius (*Commentarj intorno alla Storia della volgar poesia Vol. IV. Part. III.*) a quo & illud compertum habemus ipsum medicinam fecisse, commentaria sub Lucii Beazia-*

nus e familia Servorum B. M. V., Bartholomaeus Ortega Hispanus Praedicatorum, ut appellant, Ordinis, de quo alibi diximus, Victorius Raphaellius e sodalitate monachorum Montis Oliveti, patria Lucensis, Rainerius Damianius Canonicus Pisanus, Marcus Grossius Blentinensis, & Gabriel Gilbertus Tridentinus. Nolo autem te ignorare quantam laudem consecutus sit Santuccius, cum per totos XXI. annos extraordinariam philosophiae cathedram ita rexisset, ut non modo doctrinae, sed etiam virtutis exempla ab eo adolescentes peterent. Bonitatem etiam Damianii, qui obiit an. 1656. nonnulli ita laudarunt, ut dignum esse dicerent quicum in tenebris micare potuisses. Sed parum est hoc laudare in sapientiae publicis praeceptoribus, qui intelligere debebant quid ab iis muneris dignitas & discipulorum utilitas exigeret, neque indulgendum adeo saeculo, ut omnis veritati obstructus esse aditus videretur. Ceterum nullus philosophus, qui in Aristotelis verba jurasset, dignus putabatur aditu, congressione & sermone Mediceorum Principum, quorum in Aedibus, ut in Platonis schola, scriptum dixisses: *ουδεις αγεωμετρητος εισιτω.*

Noli autem putare sic antiquae philosophiae addictum & consecratum fuisse Alexandrum Marsilium Hippolyti nobilis Senensis filium, ut horreret omne id, quod novitatem olebat. Testis est enim Galilejus se eo tempore, quo Senis fuit exilii caussa apud Ascanium Piccolomineum ejus urbis Archiepiscopum (fuit autem per totos quinque menses) cum Marsilio de rebus physicis per multas horarum decades sermones habuisse, ac nemini illustriorum illius aetatis Peripateticorum acumine & doctrina inferiorem, multis vero superio-

Aaa 2

ni nomine in latina carmina Jacobi Gaddii exarasse, cum eo, aliisque doctis viris plurimum de provehendis litteris laborasse, ac mortem demum obiisse VII. Kal. Octob. an. 1544.

sem moderatione in suis tuendis sententiis & alienis oppugnandis illum judicasse (1). Ipse fortasse Galilejus testimonio suo, ut ex litteris ad eum Piccolominei conjici potest, induxit Magnum Ducem ad illum vocandum e Senensi in Pisanum Lyceum cum liberali stipendio DC. centussium, quod accidit anno 1638. Si uno animo omnes ad philosophiam Peripateticam inclinassent, nullus sane nobilior & utilior magister inveniri potuisset: magistri autem munus exercuit ad annum usque 1662. quo ipsius Lycei praefecturam suscepit. Tenuit hanc, sicuti alibi narravimus, ad ineuntem usque annum 1670. cum Senis obiisset XVI. Kal. Februarii.

Senensis alter, origine autem Faventinus, Matthias Naldius Jo. Baptistae filius in omni Academica exercitatione cum eo de gloriae possessione contendisse videtur. Quanquam pervulgatas res, ceterisque Peripateticis non incognitas requireret, variam tamen multiplicemque eruditionem afferebat ad scholam. Nam multarum linguarum peritus erat, nec Graecae solum & Latinae, sed etiam Hebraicae, Chaldaicae & Arabae, copiosus erat ad dicendum, & in medicina plurimum se exercuerat, ex quo factum est, ut a Magno Duce Damascum mitteretur ad ejus urbis Regulum gravi morbo implicatum

---

(1) Ne' cinque mesi (*ait ipse litteris datis ad Fulgentium Micantium XV. Kal. Novembris 1636.*) che io stetti in casa Monsig. Arcivescovo di quella città, ebbi cotidiana conversazione col Sig. Alessandro Marsilj Lettor di filosofia in quello Studio: avremmo tempo di discorrere insieme molte centinaja d'ore; lo trovai nella Scolastica dottrina non inferiore a qualsisia de' più celebri dell' età nostra, ma ben superiore a molti nella trattabilità, ed inferiore a tutti nella petulanza ed ostinazione. So che da' Soprintendenti dello Studio di Padova vien dimandata da Siena minuta informasione di questo soggetto, e che è stata resa buona. Io, come suo amico, e ad esso, e allo Studio di Padova affezionato, ho voluto di proprio moto darne questo motto alla P. V. R. per servirsene, caso che le venisse in taglio opportuno di servirsi di questa mia casuale relazione.

curandum. Inde rediens an. 1641. logicam & philosophiam in patria docuit, & salutarem artem exercuit ad annum usque 1647., quo ad nos venit ordinarius philosophiae magister cum CCCL. centussium stipendio. Quadriennio post ad theoricae medicinae cathedram ascendit, deinde practicam docuit, & per totos octo annos utilissimam operam eumdem Academiae navasse hujus monumenta testantur. Diutius fortasse navasset, nisi Pontificatum Maximum gerente Alexandro VII. Romam a Fabio Chisio vocatus fuisset. Pontifex suum quidem medicum dixerat Joannem Jacobum Baldinium, sed cum hic excusasset aegram valetudinem, atque decrepitam aetatem, ejus in locum substituit Naldium, quem ab adolescentia noverat, cujusque eruditissimis sermonibus plurimum delectabatur. Nec minus nota erat universae Urbi illius doctrina ob ea, quae in vulgus sparserat. Vel ab an. 1623. Senis emiserat *Sapientis vitale filum* (sic opus inscribitur) quod sex in libros hexametris versibus haud prorsus inelegantibus conscriptos, seu ut ipsi nominare libuit, glomos divisit. Primus est *Sapientis pueritia, seu de logicis*, secundus *Sapientis adolescentia, seu de mathematicis*, tertius *Sapientis juventus, seu de physicis*, quartus *Sapientis virilitas, seu de metaphysicis*, quintus *Sapientis senectus, seu de moralibus*, sextus demum *Sapientis decrepitas, seu de medicis*. Tot rerum conglomatio satis ostendit, quam multiplex & varia esset, si tempora spectes, Naldii doctrina, qui etiam in Latinis pangendis carminibus facilis & copiosus fuisse videtur. Verum quidquid soluta oratione scribebat, tanta infuscabat illuvie, ut in sordibus, tanquam in visco adhaerescere videretur. Haec tamen ferebat aetas illa, quae in magnis medicis & philosophis habuit Naldium, postquam anno 1647. emisit Senis librum cum hoc titulo: Παμφιλια *mundi universi amicitia, cui dissidentes philosophorum opiniones conciliantur, & parantur ex remedica amicitiae, & praesertim conjugiis conducentia formositas & foecunditas*. De peste etiam, quando hoc malo affligebatur Etruria, quaedam exaravit, vulgavitque an. 1631. Bononiae, atque tantae calamitatis avertendae

Digitized by Google

gratia ab utbe Roma, libellum edidit an. 1656. cum hac inscriptione: *Regole per la cura del contagio*. Alia plura ipsum elucubrasse testis est Prosper Mandosius, atque inter cetera opus magnum de universa pene te medica & philosophica (1), quod dum typis commiserat, vitae cursum explevisse ait. Serius quidem vixit, neque hominum luce carebat an. 1685., ut ex illius testamento, quod Romae fecit, intelligi potest. Multis argumentis ducor ad suspicandum eodem illo anno naturae ipsum concessisse, & aegre quidem, cum gloriam & divitias plus aequo concupivisset. Addidit Mandosius enituisse quoque Naldii doctrinam in Athenaeo Romano, dumque grato fungebatur munere explicandi Aphorismos Hippocratis, de iis libellum an. 1657. vulgavit. Noli tamen putare, ut Coum illum, simplicem adamasse medicinam, quae minus illis temporibus apta fuisset ad parandas opes & amicitias, & ad speciosa promenda miracula. Quare explanans & efferens Hippocratis effata de se dicere poterat, *probo meliora*, *deteriora sequor*.

Paullo Stecchinio Veneto, homini ad disputandum acerrimo, & ad ea cognoscenda atque tradenda, quae sunt in Peripateticorum philosophia idoneo, ccc. centusses assignati fuerunt, cum primum ad nos an. 1639. venit ordinariam theoricae medicinae cathedram recturus. Anno post in locum Seghierii suffecto additum oneri docen-

---

(1) *Sic inscribebatur*: Rei medicae Prodromus, praecipuorum physiologias problematum Tractatus, quibus Peripateticae doctrinae nova traditur etymologia, & Quaestiones de primo cognito, de caeli corruptibilitate, de animae humanae essentia, de continui divisione &c. enodantur, & ostenditur Aristotelem Peripateticorum Principem caeteris philosophis ethnicis Christianae Religioni propiora sapuisse, miraque ingenii sublimitate animorum non solum immortalitatem docuisse, sed etiam caelorum creationi, & eorumdem animorum reditui protulisse non repugnantia. Romae 1682. in fol. *Vid.* Mandosium de Archiatris Pontificiis.

dae philosophiae stipendium CL. centussium fuit, quod crevit usque ad D., cum idem ad medicinae cathedram an. 1646. revocatus fuisset. Quia quotidianis, & scholasticis rebus satisfacere se non posse intelligebat Mediceis Principibus, cum in conspectum illorum veniebat, veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad multarum rerum usum transferre, seque Hippocraticae medicinae studiosissimum ostendere curabat. Is e vita cessit Pisis mense Novembri an. 1648. instituto herede Marco Antonio Castanea, & id unum homo integer, diligens & religiosus doluisse visus est, quod, instauratis jam studiis, quae coeperat officia tribuere discipulis, explere minime potuisset.

Cum omnes humanitatem & facilitatem agnoscerent Francisci Armalei nobili genere Senis nati III. id Sextilis an. 1616. & admirarentur scientiam & copiam ejusdem in disputando de rebus Peripateticis, illius schola plurimum frequentata fuit ab iis, qui haec discendo sapientiae laudem consequi se posse arbitrabantur. Vixit ille ad annum usque 1662. postquam per XIII. annos operam Academiae navasset cum stipendio CCC. centussium, quo sic provisum ejus merito putarunt Gymnasiarchae, ut nequa justa querela esse potuisset. Doctus & in divinis, & in civilibus legibus fuisse dicitur, quod sane miraberis, quia luminibus ab ipso ferme ortu carebat. Sed diuturno labore, & memoria singulari vicit naturae iniquitatem, nec expleverat adhuc XXV. aetatis annum, cum coepit in patria Academia publice logicam profiteri.

Studio, ingenio atque doctrina omnibus, quos nominavi, magistris, praestitisse videtur Carolus Renaldinius: nihil enim temporibus illis sciri discive potuit, quod ille sedulo non investigaverit. Glorians ajebat Academiae Curator, mane philosophiam docentibus Marsilio & Renaldinio, vespere autem Maffejo, & Luca Terentio, qui in locum Armalei successit, illumque ad brevissimum tempus tenuit, sic consultum fuisse philosophiae studiosis, ut hac in re nulla Italica Academia cum Pisana contendere potuisset. Renaldiniorum familia, per-

antiqua illa quidem & generosa, origine erat Senensis, sedem vero bellorum fortasse civilium caussa collocaverat Anconae, qua in urbe Carolus ortum habuit III. Kal. Januar. 1615. patre Scipione, matre autem Angela Fanellia. Studiorum caussa tamdiu Bononiae fuit, quoad illum, quantum profecerit, minime poenituerit, & philosophicis, mathematicisque disciplinis operam praesertim dedisse videtur. Atque eo tempore, quo Urbanus VIII. P. M. bellum Florentinis indixit, cum undique militares machinatores quaererentur, Carolus Thaddaeo Barberinio Pontificiarum copiarum Duci operam suam obtulit, & ab eo adhibitus est. Cum vero Thaddaeus ipse plane novisset ingenium & doctrinam Renaldinii, huic liberos suos in disciplinam tradidit, in quo exequendo mandato haud immeritam laudem gratiamque retulit apud Barberinios omnes. Neque diligenter minus officium suum praestitit Innocentio X. in muniendis, extruendisque arcibus quibusdam Ferrariensis provinciae, & in descriptione totius Comacliensis agri, quod harum regionum caussa bellum a Mutinensium Duce Pontifex ipse timebat. Nihilo tamen minus nec fructum laborum, nec praemia periculorum Renaldinius obtinuit, quare quaesivit a Ferdinando II. ubi honorate viveret, & unde praesidio esse posset familiae suae. Addictus itaque an. 1649. Academiae Pisanae, nihil sane praetermisit in exercendo ordinarii philosophiae doctoris munere, ut benevolos beneque de se existimantes faceret, qui plurimum apud Mediceos Principes auctoritatis habere videbantur. Quanquam legi ei parendum esset, quae vetabat Aristotelia castra deserere, interdum tamen monebat discipulos suos, ut ab temere assentiendo, praejudicatisque opinionibus abstinerent. Porro nisi libertatem quamdam amasset in philosophando, minime illi aditus fuisset in illud sacrarium philosophiae, quod in ipsis Mediceis aedibus apertum est. Coeperat enim Magnus Dux per experimenta rerum multarum naturam investigare, ad quod magno illi adjumento fuit Renaldinii opera, atque in his exercitationibus primum ortum videmus omnium nobilissimae Academiae, quae ab experiendo dicta est *del Cimento*, quamque an. 1657. in-

instituit Leopoldus Mediceus ipsius Magni Ducis frater. Tenuit quoque in hac locum Renaldinius, cui commissum statim fuit, ut scripto exponeret quae essent praecipua Aristotelis aliorumque veterum philosophorum de rebus physicis errata, quaeque per experimenta corrigi interesset. Non huic modo mandato eruditissime satisfecit, sed plura attulit de suo ad res occultas, & ab ipsa natura involutas patefaciendas. Minime tamen celandum est, non sic praestitisse Renaldinium inter Leopoldinos Academicos, ut gloriam aequaverit Borellii, Vivianii, Olivae, aliorumque paucorum, qui ad res physicas nova luce illustrandas facti esse videbantur. Facile tamen ex ejusdem ad Leopoldum Principem litteris, quas nos edidimus (1) judicaveris, neque acumen, neque diligentiam illi defuisse, & optime de Academia, de illius Patrono munificentissimo, & de naturae scientia eumdem meritum fuisse. Porro si valuissent consilia Quaratesii Curatoris, quemadmodum alibi narravimus, per Renaldinium dimanassent quoque ad Academiam Pisanam recta physices studia (2), sed, ne

(1) Vol. I. Lettere inedite. *Vide etiam Jo. Targionii opus, quod inscribitur*: Aggrandimenti delle scienze fisiche accaduti in Toscana *quo in opere plura de Renaldinio narrantur.*

(2) *Haec ille*. Per accrescere quello splendore e quella fama, ch'ebbe sempre l'Università di Pisa, ed anco la gloria di V. A credo ch'ella debba compiacersi di volere che si legghino formatamente le opinioni di Galileo tanto desiderate almeno da molti, e da tutti quelli che seguitano le sue pedate. Ben è vero che per sortir l'intento possono essere necessarie più condizioni. Primo che si legghino non con livore contro Aristotele, ma per zelo, che si sappia dove si sia errato, si ritrovi la verita, e si riconosca che anco la Toscana ha il suo Platone e il suo Aristotele. Secondo che questa lettura sia messa in mano d'huomini non solo di valore, ma che anche sieno accreditati per l'Italia, in maniera che mancando questi nello Studio di V. A. compla il procurarli altrove. Ma chi

ab ea discipuli abalienarentur, veterem instituendi morem libuit retineri. Quoniam vero Renaldinius erat in ea urbe, in qua haec, vel plura & ornatiora parietes ipsi loqui posse videbantur, minime dubitare poterat, quin sua studia Magno Duci, quocum sibi erant quotidiani congressus & sermones, acceptissima essent, nec sane mediocris illa fuit voluntatis significatio, quod ad instituendum tum in physicis, tum in mathematicis disciplinis Cosmum ipsius Ferdiuandi filium natu majorem vocatus fuerit. Totos octo annos huic muneri praefuit diligentia tanta, ut non ab adolescente solum, sed etiam ab universa Etruria se iniisse gratiam arbitraretur. Nec parum sibi tribuebat in erudito mathematicorum pulvere tractando, usque eo, ut artem se tenere gloriaretur, qua nullo ferme negotio difficillimis quaestionibus satisfacere posset. Ajebat enim novas, si Superis placet, se invenisse lineas, quas Mediceas illi appellare libuit, novamque methodum, qua maxime juvabatur., commendabaturque geometria, de qua re tota opus vulgavit, quod inscribitur, *Geometra promotus*. Ac equidem quid illi analyseos tractatio, in qua universa illa ars versabatur, profuerit non intelligo. Nihil enim patefecit quod mediocriter doctis esset occultum; praeter quam quod cum levibus nonnulla sparsit absurda suis in analyticis scriptis, quae cum in manus sumpsisset Vincentius Vivianius, quasi artis, non hominis essent errores, occasionem inde arripuit magis magisque se abalienandi ab analysi, quam prae sua synthesi, in qua neminem parem habebat, levissimam esse artem dicebat. Plura alia edidit Renaldinius, quae non parum

dubita che questa possa esser parte del Sig. Dot. Rinaldini? In esso le matematiche, la filosofia non meno del Galileo, che di Aristotele, la cognizione del suo valore in tutti gli Studj d' Italia, e in esso dovria essere la premura di obbedire V. A. in quel che mostri d' aver gusto di esser servita.

Digitized by Google

absunt a perfectione magnorum operum (1), quanquam ex iis facile judicare possis in rebus divinis humanisque addiscendis, exponendisque satis mundo Latino sermone plurimum illi fuisse & laboris & temporis. Ipsa opinio, quam omnes, & vel absentes, de illius do-

(1) *En eorum index.*

Caroli Renaldinii Patritii Ancunitani & in celeberrima Pisana Academia Philosuphiae ordinarii interpretis upus mathematicum, in quo utraque algebra, vetus scilicet & nova a se in opere hac de re pridem edito pertractata novisque demonstrationibus illustratur: methodus quoque resolutionis & compositionis mathematicae longe & copiosius, quam ibidem, ad abstrusiora theuremata & problemata enodanda declaratur. Bonuniae 1655. in 4. Pars Prior numerusam algebram complectens. *Rediit postea ad eamdem rem Renaldinius, & Florentiae edidit an. 1665. in fol.* Partem I. artis analyticae mathematum in tres partes distributae, quarum prima veterum analystarum, secunda recentiurum doctrinam locupleratam cumplectitur, tertia demum in majorem artis illustrationem theoremata ac problemata resoluta exhibet. *Pars II. hujus artis edita est Patavii an. 1669. cum anno ante eadem in urbe vulgasset Auctor libros duos* de resolutione, & compositione mathematica. Pata vero III., in qua secretiura cum arithmeticae, tum geometriae mysteria deteguntur, eademque ars prorsus absolvitur, *edita est Patavii an. 1684. & Cosmo III. dicatur.*

Geometra promotus: Patavii 1670. in fol.

Philosophia ratiunalis, naturalis atque mutalis. Tom. I. rationalem philosophiam distributam in dialecticam, rhetoricam atque poeticam complectens: Patavii 1681. in fol. Tom. II. physicas & metaphysicas dissertationes & cursum mathematicum complectens: Patavii 1688. in fol. *Opus inscribitur Ludovicu XIV. Gallorum Regi.*

Cummercium epistolicum cum viris eruditione doctrinaque praestantibus habitum, nunc autem evulgatum in gratiam eorum, qui ad veritatis thesaurum inveniendum Apollinis jussum libenter audiunt: Patavii 1682. in fol. *Hoc ipso anno, & eadem in urbe edidit*

Digitized by Google

ctrina habebant, multum ad ejusdem amplificandam fortunam valuit. Nam an. 1667. relicta Etruria, qui annus sane calamitosissimus fuit Academiae Pisanae ob discessum quoque Borellii & Olivae, qui omnes caussati sunt Pisani caeli insalubritatem, primam in Lyceo Patavino sedem occupavit cum stipendio MCC. florenorum. Neque hic constitit Veneti Senatus liberalitas, cum illud auxisset usque ad MDCCC. quia rumor erat, sedente ad Etruriae gubernacula Cosmo III. magnis & amplis praemiis donatum iri Renaldinium pro pietate, quam is erga suum praeceptorem semper retinuerat. Ipsae ad Leopoldum Cardinalem Renaldinii litterae (1) hanc suspicionem confirmabant, eaque propter Venetus Senatus nullo non praemio alliciendum hominem putavit ad retinendum munus, quod per septennium & amplius magna cum nominis sui fama obiverat. Perstitit in eo ad annum usque 1698., quo rude donatus secessit in patriam, ubi non multos post menses extinctus est, cum aetatis annum complesset LXXXIII.

Renaldinio amisso, quantum detrimenti Academia acceperit, neminem sane praeteriit. Ipsius in philosophiam merita plures exacue-

---

Ad artem, quam ipse conscripsit mathematum analyticam Paralipomena. *Papadopolus inter Renaldinii opera recenset* commentaria in Aristotelis opera una cum quaestionibus, Dissertationes Theologicas, opuscula varia, & *Marius Crescimbenius* in Vol. IV. Commentariorum Poesis *mentionem facit carminum Renaldinii, in quibus magis apparere ait doctrinam, quam ingenium poeticum.*

(1) Lettere inedite Vol. I. *His adde litteras, quas ad Antonium Magliabechium dedit, quasque retulit Jo. Targionius in Voluminis II. Partem II. p. 285. & seq.* degli Aggrandimenti delle scienze fisiche accaduti in Toscana. *Ex his quoque litteris intelliges, quantis premeretur oneribus Patavii docens, quantus ad eum ſieret concursus discentium, & quantis aſſiceretur honoribus a Triumviris litterariis, ceterisque Venetis Senatoribus. Brusvicensis quoque Dux eum an. 1672. suum mathematicum & philosophum declaravit, non secus ac fecerat Cosmus III.*

Digitized by Google

runt, ut vigilanter nervoseque adversus Peripateticos starent. Ex his in primis commemorandi mihi videntur Jo. Andreas Albizzinius Florentinus, qui in instituendis discipulis suis ne latum quidem unguem ab iis, quae proposuerat Galilejus, sibi discedendum putabat (1), & Alexander Marchettus, de quo plura eo in capite, in quo de mathematicis disserendum erit, exponemus. Horum exemplum minime secutus est Jo. Maffejus civis & Canonicus Pisanus, qui vel ab eo tempore, quo logicam docere coepit, se Peripateticorum studiosissimum ostendit (2), quod studium aetas adeo confirmavit, ut magno conatu sibi obviam eundum putaverit Petro Gassendo, quod aut illuserit, aut increpaverit Aristotelios omnes. Librum itaque edidit Lucae an. 1673. cum hoc titulo: *Responsiones Joannis Maffei Civis Pisani, Sacrae Theologiae Doctoris, Primatialis Ecclesiae Pisanae Canonici, & in Pisano Lyceo Publici physiologiae Interpretis ordinarii, ad accusationes Petri Gassendi .... adversus Aristotelem, & Aristoteleos*. Magno labore tentare patientiam eorum fortasse voluit, qui de philosophicis rebus poterant judicare, si tamen tanti putarunt hujusmodi opus, ut in ejus lectione tempus consumerent. Cunctis quidem probavit Maffejus diligentiam suam in exequendis iis rebus, quae sui muneris erant, idque ipsius Gymnasiarchae testimonio, fama scientiaque omnium; & hanc navitatem, & animum in Academiam & patriam singularem ceteris ejus laudibus anteponendum puto. Naturae cessit an. 1678., & quem vivum in ore & amore

(1) *Huic rei argumento esse possunt*: Philosophica asserta ex Lucubrationibus praestantissimi viri Galilei deprompta, publice discutienda proponit Jo. Cosmus Villifranchi Volaterranus, patrocinante Excellentis. Domino Jo. Andrea Albizzini Florentino in Pisana Academia Extraordinariam philosophiam publice profitente, Serenissimo Ferdinando II. M. E D. dicata Pisis 1662.

(2) *Id conjicies ex ejus* Prolusione, *Pisis edita an.* 1655.

semper illius cives habuere, insignis Peripatetici nomine ipsum appellantes, mortuum lacrymis decorarunt.

Quantum in acie philosophica committendum esset Thomae Forbesio Scoto, qui per annum tantummodo philosophiam docuit, cum ejus opera utilior judicata fuisset ad tradendam medicinam, Laurentio Tozzio Emporiensi Carmelitae, & Jacobo Darionae Cretensi, satis noverant Gymnasiarchae, qui de iis sic retulerunt ad Principem, quasi per eos plurimum ornamenti acceptura est Academia. De Forbesio alibi dicemus, & ex iis, quae de eo & Finkio protulit Jo. Targionius, conjici potest, illos, quamvis multa viderint in Leopoldina Academia, quae Peripateticorum errores de aere & igne convincebant, non se faciles in his rejiciendis praebuisse (1). Praestabat quidem ingenio Tozzius, nec mediocriter profecerat in mathematicis disciplinis, ut hoc nomine carissimus esset Borellio & Olivae. Quo tutius & liberius in his studiis versari posset, magna impensa Leopoldus Mediceus veniam illi impetravit deserendae Carmelitarum familiae, praecepitque ei, ut bono animo magnoque esset, seque ei nulla in re defuturum confideret. Quod & praestitit, quia summa ab eo expectabantur. Verum cum mollire nesciret invidorum animos, & liberius, quam par erat, de iis loqueretur, quorum studia a suis abhorrebant, incidit in nonnullorum odium, quod fatale eidem fuisse memoriae tradidit Antonius Franciscus Marmius. Ait enim invitatum illum fuisse ad convivium, ex quo aeger adeo discessit, ut mentem primum, mox vitam amiserit (2). Si verum id est, dolebis profecto temporum iniquitatem,

---

(1) Tom. II. P. I. p. 333. degli Aggrandimenti delle Scienze Fisiche in Toscana.

(2) *Haec Marmius suis in Schedis, quae extant in Magliabechiana Bibliotheca.* Nella Religione Carmelitana eravi un Tozzi Empolese, bravo matematico, e uomo che fu stimato dal Borelli e dal Dot. Oliva, e da altri, che dovesse pervenire un grand'uomo: e così il Card. Leopoldo de' Me-

quod odia & inimicitiae vel inter eos, qui se philosophos esse gloriabantur, in hujusmodi facinora erumperent. Liberalitatis & benevolentiae Leopoldi in Tozzium testimonia habes in Epistolis Vandembroechii, ex quibus illud quoque conjicies quanto ipse in pretio esset apud omnes bonos, quantumque illius doctrinae tribueretur. Studio etiam, ingenio atque doctrina praestitisse videtur Jacobus Dartona, cui ccc. usque centusses pro mercede assignati fuerunt, cum primum ad nos venit an. 1663. Is quidem adjunxit sibi gratissimos & optimos adolescentes, quod nulli parcebat labori in iis instituendis ad Graecorum philosophiam, non illam modo, quae tum in honore erat, hoc est Peripateticam, sed etiam Platonicam & Democraticam. Sive de caeli natura dissereret, sive de terrae, sive de divina vi, sive de humana, sive ex aequo loco, sive ex superiore, sive ad paucos, sive ad multos, tanta eruditione vestiebat orationem suam, ut

---

dici con gran denaro trovò maniera, che avesse la permissione di uscire dalla sua religione, come seguì, facendosi Prete secolare, ed ebbe una lettura in Pisa. Ma non sò perchè, perseguitato ebbe de' dissapori con quei Professori, e mi fu detto da chi l'aveva saputo dal Canonico Fabrizio Cecini, Segretario allora del Card. Leopoldo (convitato anch' esso) che costui invitato a pranzo insieme con altri dal Dot. G. A. M. (*innuitur fortasse Jo. Andreas Monelia*) nel desinare pigliasse non sò qual cibo, che lo fece ammalare, e quindi impazzì, e fra non molto morì miseramente. *Haec sibi narrasse Magliabechium testatur Marmius. Mentis in Tozzio alienationem indicant fortasse, quae de eo decrevit M. Dux an.* 1677. Stante l'indisposizione, per la quale si rende inabile al servizio il Dot. Gio. Vincenzio Tozzi (*sic appellabatur postquam Carmelitarum familiam deseruit*) Let. Straordinario di Filosofia, S. A. benignamente gli assegna Scudi 90. l'anno fino a nuovo ordine, perchè non avendo sostanze sufficienti con questo sussidio si possa sostentare. *Sane non multo post vitam amisit. In monumentis Academiae semel iterumque Canonicus appellatur.*

quascunque in oras disputationis regionesque deferretur, non e rivis, sed e fontibus deducta esse videretur. Posuit illi aliquando unum ζήτημα Oliva, & quod hic in omni disputatione fervidum quoddam, & petulans adhibebat orationis genus, repente percussus est Dartona ejus dictis, eique iracunde respondit: *nescis fortasse quocum negotium tibi sit, & quaecumque sunt in me ingenii bona, aut naturae beneficia tributa, aut mea labore parta, ea ad reprimendam impudentiam tuam conferam.* Magnae inde exarserunt inter eos inimicitiae, quae non prius sedatae fuerunt, quam Oliva ab Etruria discesserit. Profecto ad genus illud philosophiae, quod excolendum susceperat Oliva, quodque maxime probabatur a Mediceis Principibus, minime idoneus erat Dartona, qui ad Graecos suos, tanquam ad saxum, adhaerescebat. Abfuit ille ad multos menses ab Academia, quod, Creta a Turcis post longam obsidionem capta & turpissimis incendiis & ruinis deformata, experiri voluit, num quidquam amissi patrimonii recuperare potuisset. Re infecta, cum in Etruriam rediret, Bononiae gravi morbo implicatus, ea in urbe exeunte Martio an. 1671. extremum diem morte confecit. Quoniam Cretensis belli mentio facta est, minime tacendum videtur ejus caussa Novembri an. 1668. Pisis quoque supplicationes decretas fuisse, eaque propter magistros vacationem publici muneris per aliquot dies habuisse.

Eodem illo an. 1671. locum Dartonae occupavit Jo. Franciscus Abercompius Londini catholicis & nobilibus parentibus natus, Aedemburgi educatus ad XII. usque aetatis annum, post quod tempus, cum ejus parentes multa & iniquissima ferre debuissent, cum iis Lutetiam Parisiorum venit, ubi liberalibus fere omnibus disciplinis excultus fuit. Post id Parmam concessit, qua in urbe, postquam renovaverat studia philosophiae & theologiae, Monachorum Cassinensium familiae nomen dedit. Docuit postea suos eas ipsas facultates Florentiae & Genuae, ex qua urbe ad Academiam Pisanam accitus fuit. Nam qui de illo vocando auctores fuerunt, testes erant quam aptus esset ad scholas, & ad instituendos adolescentes non modo doctrinae copia, sed

etiam

Digitized by Google

etiam virtutum exemplo. In hac re aliisque officiis, quae sunt religiosi hominis propria (saepe enim Liburni erat ad excipiendas Britannorum confessiones) occupatus vixit ad annum usque 1693., quo mense Maio in sinu & inter lacrymas suorum Florentiae mortem obivit. Suffectus eodem illo anno in ejus locum fuit Jo. Maria Morazzanius Liburnensis e Bernabitarum familia, de quo silent adeo monumenta Academiae, ut de eo mihi quoque tacendum videatur.

Inter eos, qui extraordinariam philosophiam docentes sejunxerunt se a turba Peripateticorum commemorandi essent Diego Zarillius Messanensis, & Joseph a Papa Emporiensis; sed de his alius erit dicendi locus. Fabricius ille Capaccius Senensis, qui suum munus ingressus est an. 1667. & in eo perseveravit ad annum usque 1680., idcirco ab Academia discessisse videtur, quod trecentorum centussium stipendium satis illi non erat ad sustentandam familiam. Magni nominis Peripateticus dicitur, &, si valuissent consilia Academiae Curatoris, liberalius cum eo actum fuisset, cum a Cosmo III. vehementer petiisset, ut in suum pristinum locum restitueretur. Sed hujus rei spe amissa, otium & tranquillitatem vitae in patria secutus est, sorte illa contentus, quae a suis civibus sibi potuit dari. Vixit ad decrepitam usque aetatem, beateque vixit, quod in virtute ac pietate erga Deum colenda omne suum studium posuit (1).

Quanquam omnes fere intelligerent, & nimium saepe experti fuissent Praefecti Academiae male credi philosophiae cathedras hominibus in claustris & in coeno Scholasticorum educatis, permissum

(1) *Haec in Necrologio Dominicanorum Senensium narrantur*. An. 1727. Dominicus Doctor Fabritius de Capaccis ultimus de hac familia nonagenarius, vir laudabilis atque devotus Sacramentis Ecclesiae munitus sepultus fuit in suo tumulo ante Sacellum S. Hiacynti prope januam Ecclesiae die 9. Junii.

tamen fuit Minoritae Bonaventurae Ceccardo Politiano, ut per totos XVIII. anuos obstreperet in extraordinaria & ordinaria philosophiae schola. Tandem saniori consilio an. 1686. ad munus docendae theologiae vocatus fuit, qua in facultate excellere putabatur. Disputanti de rebus philosophicis cum Joanne Avisio Florentino, quem per plures annos competitorem habuit, evenit aliquando ut obmutesceret, quamvis in excogitandis argumentis nimium loquax esset, & tum fortasse primum vidit satius esse mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere. Mutuabatur vero Avisius subtilitatem ab Academia, & ei vicissim reddebat copiam orationis. Sane magni ingenii vir erat, & petulantius saepe invehebatur in eos, qui nil sapere docebant. Etenim non solum noverat quid nostrates philosophi tradiderant, sed etiam quid in pretio esset apud alienigenas, cum per plures annos litteris Lutetiae Parisiorum operam dedisset (1). Is ab anno 1677. quo Logices praeceptor declaratus est, ad annum usque 1692., quo naturae concessit, operam satis utilem tribuit Academiae, & qui in ejus laudibus excipiebant fervidum nimis ingenium, fateri debuerunt idoneum quoque ipsum fuisse ad comprehendendos multos amicitia, tuendosque obsequio,

An. 1659. relicta Logices schola Petrus Bocciantinius a Monte Carolo inter philosophiae Praeceptores lectus est, competitoremque habuit Alphonsum Marsilium Senensem, cum quo contendere gloriosum erat, cum ab Alexandro patre, de quo supra commemoravimus, omne id didicisset, propter quod amplissimis honoribus singularique

(1) Vi è un tal Prete d'Avvisi Fiorentino, quale è stato per alcuni anni Frate Francescano Zoccolante, & ha studiato in Parigi, ove ha conseguito il titolo di Maestro, & ha fatto il corso delle scienze, e per quanto io posso comprendere non è soggetto se non buono. *Haec de Avisio Academiae Curator, qui alio in loco dixit:* Il Dot. Avvisi è uomo di troppo vivace spirito, legge sono 9. anni & ha Scudi 170.

Digitized by Google

judicio Gymnasiarcharum dignus habitus est. Delegerat enim eum Magnus Dux, ut praeponeret negotiis Stephaniani Ordinis, quae Pisis a duodecim Equitibus administrabantur, nec juvenilis aetas impedimento fuit, quominus & res gravissimae illi committerentur, & singulariter ornaretur. Nihil in illo unquam vidisses, quod a prudentiore atque meliore adolescente desiderasses, & quod omnino ejus virtutes dignae erant, quae proponerentur ad imitandum, qui illi erat a confessionibus Carolus Philippus Sfondratus Bernabita, ejus vitam declaravit, cujus aliorumque testimoniis postea usus est Sebastianus Contius Jesuita, cum libellum Senis an. 1668. vulgasset de ejusdem Alphonsi laudibus, nuncupavisseique Leonardo Marsilio ejusdem fratri, tum Basilicae Vaticanae Canonico, posteaque Senensium Archiepiscopo. Ex ipso scimus, cum quindecim esset annorum, Pisas Alphonsum vocatum fuisse, & vitam innocentissime sanctissimeque actam finiisse an. 1666., cum explesset nondum XXIV. aetatis annum, quorum duos in dialectica, quinque autem & amplius in philosophia tradenda consumpserat. Sed ad Bocciantinium, a quo digressi sumus, revertamur. Is non modo philosophiam, sed & chirurgiam professus est ad annum usque 1678. quo naturae concessit; & possumus, multis testibus, hoc de illo affirmare, quae acceperat a peritis magistris, diligentissime tradidisse. Sed quamvis plus oneris, quam ceteri, susceperat, minime tamen liberaliter cum ipso actum est, cum CXC. tantummodo centusses pro mercede eidem penderentur. Nolo hoc loco dicere de aliis, qui hisce temporibus praefuerunt philosophiae cathedris, quod magis opportunus erit alius de iis dicendi locus. Quare properabo ad Donatum Rossettum, qui philosophiae & mathesis in primis peritus fuit.

Natus is est Liburni honesta familia non. Aprilis an. 1633. audivitque Pisis Renaldinium, Malpighium, Borellium & Bellinium, quibus auctoribus tanti putavit physicas & mathematicas disciplinas, ut in harum cognitione omnem curam omneque studium posuerit. Docuit eas privatim in patria an 1666., ut ex hac umbratili exercitatione famam aliquam colligeret, seque ad majora aggredienda prae-

Digitized by Google

pararet. Et plurimi quidem, atque in his Franciscus Redius, ejus doctrinae & ingenio testimonium tribuerunt, & cum mittendus est in Gorgoniam insulam, qui observaret eclipsem quamdam horizontalem, retulit Borellius Leopoldo Mediceo neminem se Rossetto aptiorem & harum rerum peritiorem nosse. Hoc aditum illi patefecit ad Academiam, in qua an. 1666. logicam docere coepit, & biennio post philosophiam, in Bellinii locum suffectus. Vel ante hoc tempus physica quaedam vulgaverat, de quibus mox dicemus, quaeque dum laudabat Borellius ad Alexandrum Marchettum scribens, vereri se ajebat, ne Rossettus nubes & inania captaret (1). Probare quidem omnibus volebat se esse studiosissimum recentioris cujusdam philosophiae, quae omnia metiebatur observatione, experientia atque geometria, quaeque praemonstrabat futurum, ut brevi Peripateticorum tyrannis prorsus deleretur. Cum vero omnia obsequia sua pollicebatur Leopoldo Cardinali, quanquam timeret, ne ambitiosus & in rogando molestus videretur, ita de statu rerum suarum loquebatur, ut ejus praesidio atque liberalitate opus sibi esse diceret ad consolandam atque levandam adversam fortunam suam. Ejus quidem commendatione in collegium Canonicorum Liburnensium an. 1670. cooptatus fuit, nec dubito quin si se constantius gessisset, ad majora sibi aditum comparasset. Agebatur iis temporibus de extruenda mole, per quam magis tutae essent naves in Liburni portu, in quo

---

1) Circa i Dialoghi che stampa il Dot. Rossetti, egli già me ne ha scritto, ma non stò coll'animo totalmente quieto e sereno, perchè egli è nuovo in simili specolazioni, ed esperienze, e temo grandemente che gl' intervenga quello che è successo a me, il quale avendo avuto tempo molti e molt'anni fà di specolare sopra dette esperienze, ho avuto necessità di mutare opinione bene spesso .... Io mi trovo già avergli scritto il mio senso, ma non arriverà a tempo, perchè egli ha avuto troppa fretta di far cosa, della quale dubito che se ne avrà a pentire.

Digitized by Google

tantum habuit negotii Rossettus, quod satis esset ad declarandum suum in patriam & in rem publicam studium. Quanquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam mathematicas disciplinas ad vitae usus traducere; putavit tamen sua interesse persuadere hominibus se posse multum in hujusmodi prudentiae genere. Quare ultro operam suam offerabat iis, qui vel in dirigendis aquis, vel in fabricandis aedificiis & machinamentis mathematicorum consilia exquirenda sibi esse judicabant. Ex ejusdem vero litteris, quae a nobis in vulgus sunt editae, cognosci potest tota sententia eum dissensisse a Michelinio in eo, quod pertinet ad aquarum motum & earum pericula avertenda, & in omni re mechanica tractanda mirifice amplexatum fuisse, quae veluti fundamenta scientiae posuerat Galilejus. Aegre ferebat quod, oborta luce, in illis Scholasticorum tenebris, coecisque nubibus occuparetur industria adolescentium, qui ad Pisanam Academiam concurrebant, quare auctor saepe fuit Leopoldo Cardinali, ut nova institueretur cathedra, cui unice proposita esset explicatio earum rerum, quae recentiori philosophia continebantur. Ipse quidem minime deerat officio suo in physicorum mathematicorumque inventis exponendis, & post Borellii ab Academia discessum nullius magistri schola & domus magis frequentata fuit. Qua de re cum gloriaretur, se mercedis loco exigere, confidenter sane, ajebat, ut primus sibi inter philosophiae Praeceptores locus concederetur (1). Adspirabat etiam ad mathesis cathedram, sed Alexandrum Marchettum Rossetto praeferri libuit. Quod vero illum hortabantur amici & discipuli, ut aliquid ex iis, quae se invenisse dicebat, in lucem hominum proferret, an. 1667. Liburni tres Dialogos emisit, quibus universum, ut loquitur, terre-

(1) *Harum rerum monumenta habes in ipsius Rossetti litteris*, Lettere inedite Vol. II. *Ex his ipsis litteris plura cognosces, quae ad vitam, mores, studia, & scripta Rossetti pertinent.*

Digitized by Google

stre systema accurate fundatum, & evidenter comprobatum esse sibi persuadebat (1). Abutitur ad omnia atomorum regno & licentia, quos se se invicem attrahi, cum propius accedunt, repelli vero cum distant, affirmat, cujus attractionis ac repulsionis quasi limites definit, extra quos illi vim omnem amittunt. Haud pauca attigit de gravitatis centro, de corporibus aquae innatantibus, de liquorum ascensu in parvis tubis ex utraque parte apertis, & de aliis rebus, quae tum primae in physica putabantur. Ipsum si audis, magnum in terrae centro cor extat cum sua systole & diastole, quarum motibus, qui bis quotidie fiunt, aestuum maritimorum accessus & recessus, fontium, ventorum, vulcanorumque origo, & terrae motuum, aliorumque naturalium phaenomenorum caussa tribuenda est. Illam vero suam de atomis sententiam magis magisque aperuit, cum de vitris egit, quae in una parte fracta tota rumpuntur, quo de argumento librum edidit an. 1671. & Cosmo III. Magno Etruriae Duci nuncupavit. Haec, & quae supra diximus, ea praesertim mente vulgavit, ut opiniones quasdam Geminiani Montanarii viri egregii, & sibi profecto doctrina superioris oppugnaret, quam ob caussam tanta inter eos exarsit ira-

---

(1) Antignome Fisico-Matematico con il nuovo orbe e sistema terrestre: Livorno 1667. in 4. *Pro defensione hujus operis & ad oppugnandum Montanarium plura emisit alia, atque in his*

Dimostrazione Fisico-Matematica delle sette proposizioni che promesse Donato Rossetti: Firenze.

Insegnamenti Fisico-Matematici dati ad Ottavio Finetti Scolare del D. Geminiano Montanari sopra la prostasi, che quegli stampò per questi: Livorno 1669. *Praeter haec edidit Rossettus*

Composizione e passione de' vetri, ovvero dimostrazioni Fisico-Matematiche delle gocciole, e de' fili di vetro, che rotto in qual si sia parte tutto quanto si stritola. Livorno 1671.

La Figura della neve, Torino 1681. *Plurimum hoc laudabis opusculum, quod nihil hypothesibus, omnia tribuit Rossettus observationibus.*

cundia, ut nullo modo placari posse videretur. Vel ad judices delatae eorum controversiae fuerunt, cum Montanarius se injuriose laesum a Rossetto, qui sane petulans erat & audax, quereretur. Ea propter Augustam Taurinorum, ubi commorabatur Rossettus ipse, an. 1678. venit, cumque judices convenissent III. Non. Martii in aula Academiae, eam tulerunt sententiam, quae ad sedandos nimium incensos animos opportuna esse videbatur. Caussam discedendi ab Etruria habuit Rossettus a fratre, qui operam suam Sabaudiae Duci locaverat. Itaque Augustam Taurinorum an. 1674. accessit, ubi & cognitus, simul & probatus est. Actum propterea de illo addicendo aulae, in qua primum nobilium ephaeborum, postea Victoris Amedei Ducis ipsius filii praeceptor, ac demum mathematicus regius declaratus est. Adhibuit curam & diligentiam singularem in exequendis iis rebus, quae sui muneris erant, & rei publicae in avertendis fluminum periculis & muniendis arcibus mirum in modum consuluit. Ei quoque refertur acceptum, quod studia recentioris philosophiae ea iu urbe coeperint florere, sed eo mortuo, quae caluerant, brevi refrixere. Vitam autem amisit an. 1686., magnum sui desiderium apud omnes, qui philosophiae cupidi erant, relinquens. Non medius fidius iugeniosior Rossetto inveniri poterat, sed dum nimium ingenii sui aestui indulgebat in naturalium rerum caussis explicandis, aberrabat ab institutis suis, solitus gloriari se ad experientiam & geometriam omnia semper retulisse. Neque minus illud in ipso reprehendendum, quod ferre haud posset eos, qui sententiis suis obsistebant, neque disputare soleret nisi cum iracundia ac pertinacia. Dissentientium inter se opiniones non sunt vituperandae, sed contumeliae, maledicta, iracundiae, contentiones, concertationesque in disputando pertinaces indignae philosophia mihi videri solent.

Anno post, quo Rossettus Augustam Taurinorum concessit, illius locum occupavit Josephus de Papa Emporiensis, de quo alibi dicemus; hunc autem excepit an. 1677. Joannes Maria Cella Clavareusis, cui competitor datus est Nicolaus Maria Monelia Jo. Andreae

Digitized by Google

filius. Hos, quod satis esset efficere testatus est Academiae Curator, sed Monelia Academiam deseruit an. 1683. binosque post annos Cella. Nam horum hominum ingenia, plus quam oportuisset, mobilia erant. Male etiam audiebat Monelia, etiamsi, ut mihi videtur, injuria. Mirum vero quantum in philosophia docenda tribueretur Nicolao Verzanio Bargaeo (1), & Paschasio Jannettio, qui jam tum erat adolescentulus, sed his studiis mirifice deditus. In hoc etiam natura videtur experta, quid vis ingenii possit ad alliciendos homines sermone & oratione. Is natus est Albiani, quod est oppidum Apuanae provinciae. Cum anno 1682. factus fuisset Logices Magister, & quadriennio post philosophiae, eas disciplinas sic explicavit, ut omnes Marchetti & Bellinii discipulum facile agnoscerent Nihil illi erat incognitum, quod Galilejus, Gassendus, & qui ab his prodierunt illustres disciputi, tradiderant inveneruntque, & hoc instrumento bellum aeternum cum omnibus Peripateticis & Scholasticis suscepisse videbatur. Qui labor non solum operosus, sed molestus illi fuit. Nam Jesuitae praesertim, qui plurimum poterant apud Cosmum III. cum graviter moererent esse, qui cornicum oculos configere adlaborarent, non solum Jannettium, sed etiam universam prope Academiam in suspicionem violatae religionis vocarunt, atque hac de caussa minaces & acerbae litterae scriptae fuerunt ad omnes eos, qui Philosophiam profitebantur (2). Quod his praesertim se peti intelligebat Jannettius, sui

(1) E' uomo studiosissimo ed ha una gran scuola. *Is lauream theologiae accepit, quod Ecclesiae militare mens illi erat. Mutavit postea consilium, & ni mutasset quoque vestem clericorum propriam, locum in collegio philosophorum minime obtinuisset, qua de re extant tum Verzani ipsius, tum Academiae Curatoris litterae. Is Bargae e vita cessit VII. Kal. Novemb.* 1695.

(2) Per comando espresso del Serenissimo Padrone devo far noto alle Signorie

sui suorumque collegarum caussam scripto defendit, ac talem semper se praebuit, ut nulla vis, nullum periculum esse tantum videretur, quod de suscepta sententia posset illum depellere. Coactus tamen fuit an. 1706. philosophiae scholam cum medica commutare, sed philosophabatur etiam cum Hippocratis aphorismos interpretabatur. Postremo privatim saltem tradendae philosophiae potestatem obtinuit; verum quia parum se in geometria exercuerat, neque per se videre,

---

VV. Eccellentissime esser mente dell' A. S. che da niuno de' Professori della sua Università di Pisa si legga e s' insegni pubblicamente nè privatamente in scritto o in voce la filosofia Democratica, ovvero degli atomi, ma solo l' Aristotelica, e chi in modo alcuno contravenisse alla volontà di S. A. oltre la rigorosa indignazione dell' A. S. s' intenda ipso facto licenziato dalla cattedra che tiene.

Firenze 10 Ottobre 1691.

Quidquid mali his temporibus accidebat, id conflari putabatur a recentioris philosophiae cultoribus, quos libertinos Peripatetici appellabant. Utque ii instituta tenerent in circularibus disputationibus, haec Principi decernere libuit an. 1694. Volendo S. A. provvedere al disordine, che ha inteso succedere in materia de' circoli per la differenza insorta tra alcuni lettori circa il tempo e il modo di far la conclusione da sostenersi in Sapienza, ordina e comanda, che in avvenire si diano le conclusioni ai Concorrenti dai Professori subito che saranno usciti da leggere in cattedra per l' altro giorno susseguente di lezione, etiam che tra una lezione, e l'altra vi si interponessero uno o più giorni di vacanze, e detta conclusione deva presentarsi con la propria mano, o per mezzo de' Bidelli dello Studio, e non da altri, e chi contravvenisse tanto nel consegnare, che nel ricever come sopra la conclusione, si reputi come se non avesse voluto circolare, e resti privo di quella porzione di stipendio, che importi la lezione di quel giorno, avuto riguardo al numero di 70. lezioni, che si devono fare.

neque aliis monstrare potuit, quae divinitus a Newtono detecta fuere; quamvis omnis recentioris philosophiae se studiosissimum profiteretur. Curiosius hominum actiones & consilia, quam res a natura involutas investigabat, & si ut Epicurus suus non omnes figebat maledictis, petulantius tamen, quam virum probum decet, & asperioribus verbis aliorum aut vitia, aut ineptias perstringebat, easque cum desidiosa quadam delectatione vel a lippis & tensoribus quaerebat. Porro si ingenio parem habuisset industriam, magnus profecto vir evasisset, cum optima praesertim usus fuisset valetudine, & ad summam vixisset senectutem. Obiit in Pisani agri villula, quam sibi emerat prope oppidum, quod Capanollum dicitur. In ejus autem tumulo haec inscripta fuerunt.

PIIS MANIBUS ET MEMORIAE AETERNAE

VIRI PASCHASII GIANNETTI ALBIANENSIS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE

IN PISANA ACADEMIA OLIM PROFESSORIS

INGENII ACUMINE

ELOQUENTIA ET INGENUA PHILOSOPHANDI LIBERTATE

QUAM DIFFICILLIMIS TEMPORIBUS

FERE SOLUS INTER ACADEMICOS RETINUIT

CUM PAUCIS AETATIS SUAE COMPARANDI

OBIIT OCTUAGENNARIO MAJOR IN PROXIMA VILLULA

IN QUAM POST IMPETRATAM A DOCENDO VACATIONEM

CONCESSERAT AN. SALUTIS MDCCXXXXII.

THOMAS PERELLIUS PRAECEPTORI ET AMICO D. S. O. M. P.

Digitized by Google

Relictam a Jannectio philosophiae ordinariam cathedram vir summus occupavit Guido Grandius, qui sexennio ante ad Academiam venerat, & de quo eo loci dicemus, quo de mathematicis, inter quos principatum tenuisse videtur, sermo erit. Sed quamvis in physicis excellere noluerit, non dubito tamen, quin disputans de mundo & caelo aliisque hujusmodi rebus superior fuerit Dominico Vanghettio Emporiensi, ut & Marco Mancinio a Castilione Florentino, & Aloysio Mariae Garbio Servitae, de quo alibi diximus, qui iisdem temporibus, vel paullo ante tum extraordinarias, tum ordinarias philosophiae cathedras rexerunt. Undecim & amplius annos Mancinius operam tribuit Academiae, ejusque schola, ut est in monumentis ejusdem Academiae, plurimum celebrata fuit. Philosophiae scientiam vel a prima adolescentia tanquam ancillulam medicinae adjunxerat, & cum Romae diu fuisset, tum in Nosocomio S. Spiritus, tum in aula Octobonii Cardinalis, qui illo medico utebatur, magna saepe fuit admiratio copiose sapienterque dicentis de rebus physicis. Is mortem obivit Decembri mense an. 1703, cum paullo antea rude donatus fuisset. Vanghettius vero vitam produxit ad annum usque 1723. postquam per XXXVII. annos officium suum tribuerat Academiae, in quo persolvendo minime dignus habitus est, quem haberent consiliorum participem ii, qui de recentiori philosophia commendanda adlaborabant.

Inter hos nulla non laude celebrandus est Carolus Taglinius, qui non solum voce, sed etiam scriptis optimae philosophandi rationis studiosis consuluit (1). Natus is est Clanni, quod est oppi-

(1) *Extat epistola ad Gabrielem Riccardium edita Florentiae an. 1729. in 4. in qua omnes vias persequitur, quas putavit esse rectissimas ad philosophiam assequendam.*

dulum Volaterranae dioecesis an. 1679., cumque Florentiae animum praeparasset ad doctrinas mathematicas & physicas concipiendas, his Pisis operam dedit usus praesertim magistro Guidone Grandio. Huic quantum deditus esset, quantumque tribueret, ex ode Latina, quam de ejus laudibus scripsit, intelliges, quod ea etiam de caussa commemorandum putavi, ut scias poeticae suavitatis expertem illum minime fuisse. Eodem autem Grandio auctore edidit libellum quemdam geometricum (1), pro quo aestimari potuit quam bene posuisset initia adolescentiae. Factus itaque an. 1704. logices praeceptor, triennio post ad Extraordinariam philosophiae cathedram ascendit, testimonium ferente Academiae Curatore, posse illum cum peritissimis contendere. Et sane vix dum intra parietes unius Academiae suam gloriam aluit Petrus Antonius Massetanius Florentinus (2), qui Taglinio competitor erat, hic nomen suum vel ad dissitos Britannos & Gallos propagavit. Id factum est praesertim thesibus quibusdam, quas diversis temporibus a discipulis defendendas in publico proposuit, quaeque ad res, quae in physica primae esse putantur, pertinebant, ad sonum, ad ventorum naturam, ad ortus, obitus, motus conversionesque planetarum, ad barometra, thermometra, hygrometra, & id generis alia. De constructione thermometrorum dissensit ab eo Reaumurius, & cum tanto viro contendere sane gloriosum Taglinio

---

(1) *Inscribitur*: Feriae geometricae; Pisis 1704. in 8. *Ode, quam supra commemoravimus, extat in libro Grandii* de infinitis infinitorum infiniteque parvorum ordinibus.

(2) *Eodem illo anno, quo Taglinius, venit ad Academiam, & cum eo per VIII. annos logicam & physicam docuit. Anno demum 1712. factus medicinae practicae magister, in hoc munere per sexennium fuit, & tum permissum illi docendi eamdem facultatem Florentiae cum XXXX. centussium stipendio, cum antea CC. usque illi penderentur. Illa in urbe non docuit modo in S. Mariae Novae nosocomio, sed etiam fecit medicinam, & extinctus est an. 1737.*

fuit (1). *Quid est, cur verear* (scripsit hic aliquando ad eum) *ne ad tuam sententiam accommodem meam, cum in omni re physica tantum processeris, ut parem habeas neminem, tibique recenti beneficio sim obstrictus, quod per te in Parisinam Artium Academiam fuerim cooptatus?* Eodem quoque honore a Sociis Regiae Societatis Londinensis affectus fuit, ad quorum manus illius physica scripta pervenerant. Haec erant excitamenta laborum, nec sane paucos excepit, cum anno 1736. Florentiae vulgasset libros duos *de aere ejusque natura & effectibus cum notis & animadversionibus*. Retulit in illud quidquid ad ea usque tempora diligentiores physici aut excogitaverant, aut, experientia duce, hac de re invenerant, nec aliorum modo inventa expolivit, sed propria etiam exposuit, & in his meteorologicas observationes plures a se Pisis habitas. Tum quoque laudata fuerunt, quae de borealibus auroris disseruit, septem vulgatis thesibus, quae nec copiosius & ornatius explicari, nec planius exprimi potuerunt. Postremo per epistolas (2) egit de variis physicis argumentis, quarum epistolarum vixdum absoluta editio fuit, cum ipse vitae cursum explevit. Neque tacendum videtur non satis illi fuisse explorata, quae de corporum gravitate tradidit Newtonus: nam si novisset, minime in eas difficultates incurrisset, quibus se haec tractantem expedire non potuit. Quae Fratris nomine inscripsit Jo. La-

(1) *De eo sic Reaumurius*. M. Taglini Professeur à Pise a fait imprimer en 1725. une these sur les thermometres, qui est dans un tout autre gout, que celles qui proissent si souvent dans nos colleges: elle n'à la forme de these, que par ses positions. C'est un petit ouvrage ou on a soignesement rassemblè & discoutè tout ce, qui à rapport aux thermometres. *Vide* Memoires de l'Academie des Sciences de Paris annè 1730. & 1731.

(2) Letrere scientifiche sopra varj dilettevoli argomenti del Dot. Carlo Taglini pubblico Professore ordinario di Fisica nella Università di Pisa, ascritto alla Reale Società di Londra, all' Accademia delle Scienze e belle Arti di Parigi, e all'Accademia Fiorentina. In Firenze 1747. in 4.

mius in ejus tumulo, quod habuit in Sacello S. Antonii Abbatis, quod prope Clannum est, non tam ipſius doctrinam, & ingenii praestantiam, quam animi virtutes, & mores suavissimos jure meritoque efferunt. Sunt autem haec:

D. O. M.

CAROLO ANT. F. TAGLINIO DOMO CLANNO

GEOMETRAE PHILOSOPHO MEDICO

MORUM SUAVITATE ANIMI VIRTUTE INGENII PRAESTANTI

STUDII SEDULITATE CONSPICUO

IN PISANO ATHENAEO XXXXIII. ANNOS

PHILOSOPHIAM LAUDATISSIME PROFESSO

VOLUMINIBUS SCRIPTIS ATQUE EDITIS CELEBRI

FRANCISCUS ANT. F. TAGLINIUS FECIT

VIXIT ANN. LXVIII. M. VI. D. IIII.

OBIIT ANNO A CHRISTI ORTU MDCCXXXXVII.

XIIII. KAL. OCTOBR.

Una cum Taglinio extraordinariam philosophiae cathedram rexit Marcus Antonius Alaymus Panormitanus, de quo alibi mentionem fecimus, hos autem exceperunt an. 1715. Ferdinandus Gavardus Mediolanensis ex Augustinianorum familia, & Jo. Laurentius Stecchius a Ponte a Seve, quorum alter non admodum laude processit, cum per octo & amplius annos operam tribuisset Academiae tum logicam, tum philosophiam docens, alter autem utrumque munus gerens poetae magis, quam philosophi nomen sibi comparasse videtur. Quanquam

& plurimum sibi tribuebat in omni re philosophica, & se digito praetereuntium monstrari putabat, postquam an. 1726. Florentiae vulgasset libros tres de meteoris Italicis versibus conscriptos. Hos ornatos foliis facile dixeris, nec invidia suffusos judicaveris Paschasium Jannettium & Josephum Averanium, dum poetae levitatem irridebant. Sed Jannettius suo more verecundiae fines transilibat, cum in omni fere sermone materiem vellicandi Stecchii quaereret. Qua de caussa bellum inter eos fuit acerbum & diuturnum. Et ita quidem se gessit Stecchius, sparsis in vulgus injuriosis carminibus, ut illud alere voluisse videatur. Prodierat ipse e schola Alexandri Marchetti, a quo non praecepta modo recentioris philosophiae (minime de Neuwtoniana loquor, quae sero nimis in Academiam Pisanam penetravit) sed & versus facere (1), se ipsum laudare, & adversarios obtrectatoresque insectari didicerat. Gratus vero erga praeceptorem mortuum laudavit in Academia Florentina, & ejus vitam declaravit (2). Non secus ac Marchettus ipse poema de universa philosophia inchoavit, minimeque absolvit, qua re magnum se Etruscae linguae beneficium allaturum dicebat, quasi hac una careret, quo cum Graeca & Latina contendere posset. Sane canorus, elegans, & volubilis erat poeta, sed verborum magis, quam rerum copiam persequi videbatur; quare

(1) *De eo haec Jo. Albertus Soria*. Lepido e grazioso poeta tra i Berneschi, gentile e vezzoso tra gli Anacreontici, armonioso e nobile tra i Lirici e Didascalici, ma divertito dalle muse fu poco filosofo. *Caratteri di varj uomini illustri Tom. II. Extulit & illius ingenium poeticum Grandius Italico epigrammate, quod retulit Lamius in Vol. VIII.* delle Novelle Letterarie.

(2) *Illa oratio edita est Romae 1727. apud Franciscum Gonzagam, vita vero Marchetti locum habuit in Vol. III.* delle vite degli Arcadi. *Testis est Soria vulgasse quoque Stecchium* Discorso in lode dell'Ariosto risguardato come Filosofo, *quod scriptum videre mihi minime contigit*.

qui ejus scripta inanissima esse prudentiae judicarunt, in ipsum minime fuisse malevolos putabimus. Etsi adsperius loqueretur de iis, quos laudis suae invidos esse existimabat, natura tamen minime durus erat, humanissimeque vivebat cum amicis, benemeritis & feminis. Itaque minime defuerunt, qui lacrymis ejusdem conspergerent sepulcrum, cum mortem obiisset an. 1739.

Porro magnum virum dixisses Caelestinum Rollium Aletinum e Caelestinorum familia, qui ab anno 1722. ad annum usque 1749. quo emeritus declaratus est, extraordinariae philosophiae cathedrae praefuit. Praestabat acumine in assequendis inventis rebus, novisque inveniendis, prudentia in gerendis, elegantia in exponendis. Cum de ejus epistola quadam in *Exercitationem geometricam* Laurentii Lorenzinii loqueretur Jo. Bottarius, qui haec scripta vulgavit Florentiae an. 1721. ait, fuisse illum acutissimum geometram, & ex illa ipsa epistola satis liquere felicissime adeo tum veterem, tum recentiorem geometriam ab eo excultam fuisse, ut quae analyseos ope inveniebat, synthetice demonstrare posset (1). Ducem habuerat in his studiis, non secus ac in theologia Caelestinum Gallianium, hominem doctrina & prudentia summa, qui dum commendaret Rollium in Etruriam proficiscentem, confidentissime affirmavit Bottario ipsi, dignum illum esse, qui in eo theatro splendesceret, in quo lucebat Grandii sapientia. Grandius & ipse, Eustachius Manfredius, & quotquot de hujusmodi studiis judicare poterant, tantum tribuebant Rollio, ut parem illum ponerent sum-

(1) *Epistola illa usus analytico artificio & infinite parvorum methodo persecutus est problema Lorenzinii de inveniendo conojde parabolico minimae curvae superficiei inter omnes, quae eidem sphaerae, & ad eumdem cum ipsa axem circumscribi possunt, quique plano ipsam sphaeram ad imum sui punctum contingente terminantur. Rem hanc tractanti plura alia scitu jucunda fere sponte sua se se obtulerunt.*

summis geometris. Dedit ipse hujus judicii testimonium amplissimum, cum *de corporum motu rectilineo & curvilineo*, dum Pisis erat, libros duos condidisset. Sed obstitit ejus gloriae modestia, cum vix adduci potuerit, ut sineret viginti quinque post annos illos Bononiae vulgari. Nam quae res novitate primae temporibus iis, quibus illas scripto mandavit, judicatae fuissent, aetas jam fecerat notas. Mirum vero quam facile, quam expedite, quam eleganter utraque geometria usus exponit res magnitudine praestabiles & intellectu difficiles de varia curvarum linearum natura, quae describuntur in corporum motu, sive haec sponte descendant, sive projiciantur! Omnia vero adeo consentiunt cum inter se, tum receptissimis mechanicorum principiis, ut qui haec legerit, non possit non subirasci Rollio, quod mathematica studia, in quibus tantum poterat, prorsus deseruerit, atque ad alia longe multumque diversa exercitationem mentis transtulerit. Quidquid autem concupivit & suscepit pro acerrimo, quo praeditus erat, ingenio felicissime assecutus est. Is praesertim consulere voluit decori & utilitati Caelestinorum suorum, tum patrium Aletinum monasterium regens, tum res universae familiae Romae administrans, (Procuratorem Generalem dicunt) cujus rei caussa an. 1745. Academiam nostram deseruit. Si id dolemus, quod eo frui diu nobis non licuit, nostrum est id malum: accessit aliud incommodum, quod, relictis ab eo geometriae studiis eo tempore, quo coeperant esse in honore mira Newtoni inventa, quibus profecto multum addere atque afferre potuisset de suo, non satis haec Italae juventuti commendaverit. Nec parum huic obfuit singularis viri modestia, plura occultans, quae scripto mandaverat, cum quid posset in omni re geometrica experiri voluit. Romae extremum diem morte confecit prid. id. Novemb. an. 1755. paucos post menses, quam illum sui in munere res procurandi familiae confirmaverant, magnumque sui desiderium omnibus reliquit, quod non tam doctrina atque eruditione, quam vitae gravitate, in Deum pietate, humanitateque morum praestabat.

Digitized by Google

Ex Neapolitano Regno magnum quoque virum obtinuimus, cum an. 1730. declaratus fuisset ordinarius philosophiae Magister Jo. Baptista Caracciolus e Theatinorum familia. Huic tamen libenter praetulerim Rollium, quod nihil in hoc erat, quod non esset in suo genere perfectum. Adde quod quidquid scribebat & dicebat, facili & eleganti vestiebat oratione; contra ea Caracciolus vel obscure loquebatur de iis rebus, quas perfecte teuebat. Noverat autem divinas, Graecas, Latinasque litteras, & quidquid recentiores mathematici invenere ad naturae mysteria, vires & leges patefaciendas. Cum aliquando Pisas advenisset summus geometra Augustinus Lomellinius, & loquentes audivisset de rebus analyticis Caracciolum & Soriam, dixit ab harum ipsarum rerum minime callidis aestimatoribus nihil illi, quamvis omnis artificii peritissimo, plurimum autem huic vel leviter tincto tributum iri, idcirco quia non solum plane & dilucide, sed etiam eloquenter de omni fere facultate loquebatur. Antequam ad nos veniret Caracciolus suos Neapoli philosophiam, & Florentiae theologiam docuerat. Etsi autem dederit operam, ut non solum auribus acciperentur, sed etiam oculis cernerentur quae tradere solebat discipulis suis, ab his tamen non multum frequentabatur, quod ejus oratio, quae lumen rebus adhibere debebat, obscuritatem & tenebras afferebat, quodque omnia ejus verba subagreste quiddam, & plane subrusticum sonabant, quanquam eum natura ad sensum humanitatis formaverat. Nihilo tamen minus is minime natus erat ad humani generis societatem, quam non solum jucundissimam, sed etiam utilissimam vitae & studiis esse putamus. Si ab ea se non sejunxisset, sic ut solitudine ali videretur, majora didicisset, mollivisset animum, & artem novisset distincte & explicate sensus suos exponendi. Multa tamen in hoc viro erant bona. Genus nobilissimum, vires corporis, patientia laborum, magnitudo animi, in excogitando vis quaedam ingenii, & in colendo, quod cum virtute & officio fit, quodque recti honestique nomine appellatur, sedulitas ac vigilantia summa. Ut palam omnibus faceret qua via & arte physica docuerit, an. 1740. *opus de lineis curvis* Pisis

vulgavit, cujus in praefatione officia & munera hujus facultatis Praeceptoris exposuit, quod quasi gradus illi fuit ad proprietates linearum curvarum exponendas, modo physici, modo mechanici, modo astronomi partes agens. Minime attigit lineas illas, quarum proprietates sine analyseos ope detegi non possunt, cum id unum sibi proposuisset, ut adolescentium utilitati consuleret. Decem post annos quam in philosophiae cathedra consederat, declaratus est Ordinarius arithmeticae & algebrae universalis magister, cui oneri additum postea illud fuit docendae opticae, catoptricae & dioptricae. Et hoc quoque in munere probare voluit, omnia sibi suppetere ad illud gloriose sustinendum, quae consequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt. Itaque librum an. 1759. Romae vulgavit, qui inscribitur: *Geometria algebraica universa quantitatum finitimarum & infinite minimarum*. Universum opus duobus constare debebat voluminibus, sed auctoris aliis occupationibus impediti omnis labor constitit in primo, quod ad finitas quantitates tantummodo pertinet. Ante hoc tempus alia plura vulgavit Caracciolus, mathematica non modo tractans, cujusmodi sunt *Problemata varia*, & *Gnomonice* (sic enim libri inscribuntur, quorum alter editus est Pisis an. 1755., alter anno post) sed etiam Graecarum litterarum studiosis consulens. Nam binas Ephigenias Euripidis, Musei poema quoddam, in quo casus Heronis & Leandri narrantur in Italicos versus, sermonem vero in Latinum Gregorii Nysseni epistolas VII. a se primum editas convertit. Has legens interpretationes facile judicabis Graeca satis novisse Caracciolum, diligentem fuisse in eligendis verbis, sed stilum illius tantum abesse a naturali nitore, ab illo sono, qui implet aures, ut non solum frigidum, asperum, durum, sed interdum etiam ridiculum dicere possis. Ex sola inscriptione cujusdam libri, quem emisit Pisis an. 1738., qui fuerit ejus stilus Latinus conjicies. Est autem hujusmodi: *Vita D. Cajetani Tienis Institutoris Ordinis Cler. Regul. scripta occasione commentarii de gestis ejusdem D. Cajetani ab ipso Caracciolo compositi, & ad Scriptores Actorum Sanctorum missi, illo non usos.*

Digitized by Google

Sunt qui tradunt minime elegantiae fuisse expertem sermonem quemdam Latinis versibus ab illo conscriptum ad carpendas malas nobilium hominum consuetudines, & superbiam, cujus sermonis caussa in vulgus sparsi, dum Neapoli erat, ferre debuit multorum querelas & minas, usque eo ut patriam deserere coactus fuerit. Rediit longum post tempus ad ipsam amplissimis decoratus honoribus. Nam postquam per sexennium ferme res Theatinorum familiae tum Procurator, tum Praepositus, ut loquuntur, Generalis gubernaverat, factus est an. 1761. commendatione praesertim Bernardi Tanuccii Marchionis Aversanus Archiepiscopus, quod munus sancte gessit ad annum usque 1765., quo naturae debitum reddidit fere septuagenarius. Nam venerat in lucem Neapoli IV. Kal. Januarii an. 1695.

Nemo non vidit quae vis in Jo. Alberto Soria, acerrimi ingenii homine, & quam potens, & quanta mens fuerit, ut affirmare possimus illum non modo aequales suos, sed etiam superiores in tradenda philosophia superasse. Is natus est Liburni IV. id. Aprilis an. 1707. patre Henrico, qui illam in urbem ex insula Ilva habitatum concesserat; & cum puer tum in patria, tum Prati in collegio, quod ab ejus institutore Cicogninum dicitur, didicisset a Jesuitis litterarum humaniorum & philosophiae rudimenta, Pisas venit operam daturus mathematicis disciplinis & juris prudentiae, summis doctoribus Grandio, & Averanio. Neque his disciplinis contentus attigit anatomen, physiologiam, chemiam, botanicen & Astronomiam. Nemo non ejus diligentiam, ingenii docilitatem, & divinitatem quamdam in dicendo admiratus est, ut vel de iis, quae leviter attigerat, copiosissime & subtilissime dissereret. Adde quod tam acri memoria erat, ut nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, unquam effllueret. Ob tot tantaque ingenii bona cum de eo omnes mirabiliter loquerentur, invitatus fuit a Sardiniae Rege (vix tum expleverat XXIV. aetatis annum) ad docendam dialecticam in Taurinensi Lyceo, sed minime passus est Jo. Gasto M. E. D. tantum adolescentem in alienis terris commorari, eumdemque locum in Academia Pisana ipsi concessit.

Digitized by Google

Tenuit hunc ad annum usque 1735. quo extraordinarius philosophiae magister declaratus est. Ut vero omnibus probaret qui quantusque fuisset Dialecticus an. 1741. Amstelodamensibus typis suas *Rationalis philosophiae Institutiones* imprimendas curavit (1), in quibus vim artificii consumpsit, ut ipse potius ab aliis eligendus, quam aliorum bonus elector existimaretur. Quod quidem sic illi successit, ut in Batavis scholis hujusmodi Institutiones non solum efferrentur, sed etiam publice exponerentur. Porro facile ex illis existimabis quidquid Lokius, Leibnitius, Arnaldius, & Clericus docuere ad bene & recte dirigendam mentem in veri inquisitione, illi non fuisse incognitum, eorumque praeceptis multa de suo addidisse. Physica vero tractans saepe & multum retundebat audaciam illorum, qui omne studium ponebant in confingendis hypothesibus, neque satis sensus & rationem consulebant in investigandis corporum proprietatibus. Ad hos convincendos Cosmologiam quamdam scribendam suscepit, in qua Newtonianorum more de generali, ut ajunt, gravitate, de attractione corporum, aliisque hujusmodi rebus plurimis, quae sunt in physica primae, copiose disputavit. Sed hanc minime vulgavit, & si vulgasset, non multum, si quid judico, famae suae consuluisset. Nam cum ingenio suo nimium confideret, neque exercitationem mentis ad reconditiora mathesis mysteria penitus noscenda traduxisset, nec patienter, sedate, & lente naturam, ut ita dicam, interrogare didicisset, nihil inauditum, nihil expectatione sua dignum, addam etiam nihil novo more dixisset. Quanquam quis illo in exponendis vel difficillimis rebus felicior? quis elegantior? quis eloquentior? Ex quo illud assequabatur, ut nullius ferme rei ignarus esse videretur, atque si quis ejus judicio minus

---

(1) *Brevi iterum impressae, & in Britannicam quoque linguam conversae fuerunt, omnesque nationes in illo consenserunt elogio, nil iis institutionibus, si methodum, brevitatem, & claritatem praesertim spectes, fieri potuisse perfectius.*

Digitized by Google

tribueret, maledicus, petulans, aut plane insanus a suis discipulis esse putaretur. Nihilo tamen minus ferre debuit severiorum reprehensiones, cum an. 1745. Lucae vulgasset Italicas Dissertationes de Deo ejusque attributis, & de immaterialitate & immortalitate animae. Hos & Romanos judices, a quibus minae intendebantur, mollire e re sua esse putavit; quare anno post easdem Dissertationes iterum vulgavit, multis additis & emendatis, quae ad creandam invidiam valuerant. De hac re tota plura narravit Jo. Lamius (1), quem minime dubitaveris latuisse sub Bınii nomine, a quo maxime, litteris quibusdam editis, exagitatus fuit Soria. Huic porro saepe dolendum fuit, quod ancipites vias rationesque & pro omnibus & contra omnes disputandi secutus fuerit, & non arte semper perpenderit, quae quodam quasi naturali sensu judicantur. Adde quod homini Catholico periculosum est metaphysica tractare, nisi quasi solum quoddam atque fundamentum praecepta & sententias illas retineat, quae divinis litteris continentur. Id accidere reor, quod ingenii specimen esse putatur transilire ante pedes posita, & longe quaesita sumere. Plura alia vulgavit Soria, in quibus splendor orationis, & ingenii acumen apparet, sed de iis dixeris praeclare inchoata multa, perfecta non plane, quod ei in labore perferendo industria, & in ponderandis, limandisque iis, quae ex tempore fundebat (& versus etiam, cum volebat, fundebat), patientia deerat. Quare non mentiar si affirmavero ejus gloriam exiguum ac breve vitae curriculum, non illud immensum immortalitatis habuisse. Vel imparatus veniebat ad scholam; expectabatur tamen, &

(1) *Vide* Novelle Letterarie del 1746. p. 324. & sequent. *Defensionem Soriae adversus Lamium suscepit ejus collega Raymundus Adamius, editis Lucae eodem illo anno 1746. litteris Gelastis Mastigophori. Pro se ipso quoque pugnavit Soria, sed quae scripto mandavit minime in lucem prodiere. Vide etiam quae pro Soria attulit Lucas Magnanima in elogio ejusdem, quod Liburni edidit an. 1777.*

Digitized by Google

cupidissime audiebatur, quia verborum munditiae adjungebat vocis suavitatem & gestus venustatem; & quod in altercando invenir parem neminem, victor ab omni disputatione discedere videbatur. Summa libertas erat in oratione ejus, facetiae interdum & joci, & quo multam operam & utilem amicis & discipulis tribuebat, deque omni fere arte liberali satis perite loquebatur, omnes aditum, congressum & sermonem illius requirebant. Habitabat in aedibus Bibliothecae, cui praeerat, vivamque ipsum bibliothecam dixisses. Honores illi minime defuerunt, praesertim cum illi ex animo esset amicus Richecourtius Comes, cujus summa erat in Etruria potestas, cujusque consiliis factum judicatur, ne liberali Friderici II. Borussorum Regis invitationi cederet, a quo locus honorificentissimus in Academia Berolinensi eidem oblatus est. Quanquam consiliis hujusmodi non admodum indigebat homo si quis unquam alius patriae amans, & divitiarum contemptor eximius, moderatus, sobrius atque modestus. Ipsa bonitate naturae fiebat, ut nimiam indulgentiam tribueret feminae, humili atque obscuro loco natae, quacum matrimonio junctus putabatur. Vitam amisit Calce XVII. Kal. Septembris an. 1767. quo in oppido, ubi ejus mater Elisabetha *delle Sedie* ortum habuerat, rusticari solebat. Nullum illi tum positum monumentum fuit in Aede S. Andreae, in qua sepulcrum habuit, nec publice laudatus, quanquam omni honore dignus habitus fuerit. Hactenus de philosophis, cum propositum minime sit mihi de Logicis separatim dicere: nam qui doctrina praestiterunt, facile honoratiores cathedras obtinuere. Itaque ad mathematicos properabo, in quibus eligendis felicissima fuisse videtur Academia nostra, ut hac gloria ceteras omnes Italicas vicerit.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Matheseos Magistris.

NEmo est, qui ignoret quantum debeant mathematicae, & physicae disciplinae Galilejo nostro, quod eas scriptis doctissimis non illustraverit modo, sed etiam pene renovaverit, quodque plurimos ipsarum studio mirum in modum inflammaverit. Facile illius scholam equo Trojano assimilasses, ex quo ut innumeri Principes, sic ex illa innumeri prope mathematici & physici prodierunt. Diximus alias de Galilejo ipso, ejusque carissimo discipulo Benedicto Castellio, quibus plurimum gloriata est Academia nostra. Relictum a Castellio locum occupavit an. 1626. Nicolaus Adjunctius homo sane cum paucis comparandus. Is patrem habuerat Jo. Baptistam, quo medico vel ipsi Etruriae Principes utebantur, sed cum is sex usque genuisset liberos, tres masculini sexus, totidemque feminini, neque admodum abundaret fortunae bonis, haud liberaliter familiae consulere potuit. Ipse quidem sibi consuluit Nicolaus, qui docilitate, atque memoria singulari praeditus primam aetatem in studiis, quibus pueri ad humanitatem informari solent, Perusiae ita consumpsit, ut vel ipsis magistris esset admirationi, ac generosis condiscipulis incitamento. Ex una atque altera, quas reliquit Latinas orationes, facile est judicare, feliciter adeo declinasse saeculi vitia, ut quidquid ex scriptoribus, quos imitandos sibi proponebat, hauriebat, purum liquidumque se haurire gloriari potuisset. Nec sane quisquam satis commendatus Galilejo poterat esse, nisi mature didicisset apte, distincte ornateque dicere, qua

in

Digitized by Google

in re magnum ipse attulit adjumentum hominibus nostris, ut per eum & ad dicendum & ad judicandum summa se adeptos esse arbitrentur. Profecto Galilejus in primis amavit Adjunctium, non modo quia ipse maxime perspiciebat quid in re quaque verum esset, & acutissime & celerrime videbat & explicabat rationem, sed etiam quia suavissimis integerrimisque moribus praeditus erat. Doluit fortasse vir sapientissimus, quod ipse sexennium ferme degens Pisis in collegio, ut loquuntur, Ducali, bonum otium consumpsisset in addiscenda Peripatetica & Platonica philosophia; sed hic non constitit ejus industria: etenim a Trinio Atheniensi Graecam linguam didicit, a Benedicto Castellio geometriam, a Francisco Accarisio aliisque cultiorem juris prudentiam, cujus facultatis, ut & philosophiae insignibus an. 1621. decoratus est. Statim vero ac Lyceum Pisanum reliquit, totum se tradidit in disciplinam Galilei, cumque ejus doctrina nota esset feminis iis Principibus, quae, mortuo Cosmo II., ad Etruriae gubernacula sedebant, comitem quodammodo & socium illum esse voluerunt studiorum, quae in litteras impendebat Ferdinandus II. omnium quotquot fuerunt Principum litterarum amantissimus. Hic autem tanti adolescentis virtuti & doctrinae deberi putavit, ut jacturam sarciret, quam fecerat Academia Pisana ob Castellii discessum, nec juvenilis aetas (natus enim erat Adjunctius in urbe S. Sepulcri postrid. Non. Decembris an. 1600.) quidquam obfuit celebritati scholae, quae floruit semper nobilitate discipulorum (1). Ad hos inflamman-

(1) Io sin qui (*sic scribebat ad Galilejum, litteris datis Pisis x. Kal. Januarias 1626.*) ho avuto la scuola frequente, perchè non ho mai letto senza quarantacinque o cinquanta scolari. In casa vengono molti alle lezioni private, ma tutti sono principianti. Cerco (benchè con molto dispendio di tempo, e poco mio frutto) di sodisfare a tutti, e se io resto inferiore alla mia carica, non sarà colpa mia, che non posso più, ma della sua troppa benevolenza, che s'ingannò nel procurarmela.

dos, cum primum in scholam pedem posuit, mathematicarum disciplinarum amore, de harum laudibus nobilissimam elegantissimamque dixit orationem, quae an. 1627. Romae in Ferdinandi II. nomine apparuit (1). Quanquam quereretur Adjunctius se plurimum ob scholae occupationes abstrahi a studiis scientiae cognitionisque, homo tamen, cui ne otium quidem unquam fuit otiosum, sic versabatur in indagatione atque inventione veri, ut is sapientissimus ac prudentissimus haberi debeat. Circiter annum 1628. omnium primus, quidquid Galli alienae gloriae semper invidi obstrepent, observavit ascensum aquae in tubis capillaribus, quo experimento feliciter usus est ad explicandum ascensum chyli in minimis venis lacteis. De congelatione diversorum corporum experimenta plura habuit, de motu pendulorum tum in aqua, tum in aere quaedam acute excogitavit, de resistentia solidorum problemata solvit, & cum Galilejo suo communicavit, multa alia demum, ut paucis dicam, tum geometrica, tum physica tractavit, quae, si tempora spectes, in quibus magna erat harum rerum ignoratio, summa laude digna judicabis. De his plura retulit Jo. Baptista Nellius Senator Florentinus (2), quaedam etiam tetigit Jo. Targionius (3), ad quos studiosos Adjunctii delegamus. Hujus quidem oculi non adeo fixi erant in terra, quin eos interdum ad caelum converteret. Nullum etsi extet ingenii monumentum, quo ejus in astronomicis rebus doctrina comprobari possit (4), non desunt tamen te-

(1) *Partem hujus orationis retulit Salvinius in librum, quem inscripsit:* Fasti Consolari p. 442.

(2) Saggio di Storia letteraria Fiorentina del Secolo XVII.

(3) Notizie degli aggrandimenti delle scienze fisiche accadute in Toscana ec. Tom. I. p. 310.

(4) *Vix commemorandae videntur Tabulae* del Levare del Sole, del mezzo giorno, e della mezza notte per tutti i giorni dell' anno di Niccolò Aggiunti Lettore in Pisa alla Serenissima Cristina di Lorena G. Duchessa di Toscana.

stes, qui illum quodammodo cum caelestibus rebus cognationem habuisse, & ea omnia novisse affirmant, quae tum sciri potuerunt ab homine, qui quidquid erat in natura rerum omnium, experientia, observatione, & geometria duce, sibi contemplandum proposuerat. Cum recordabatur autem unde surrexerit ad tantam lucem adspiciendam, non poterat non animum suum gratissimum Galilejo declarare, ex cujus ore & consiliis totus pendebat. Ipso suasore, cogitavit aliquando Patavinam Academiam, sed hoc brevi consilium abjecit, cum ad vitae suae commoditatem jucunditatemque maxime conducere existimasset, manere in Etruria, & Principi omnium beneficentissimo, a quo extraordinariis praemiis (1) & singularibus benevolentiae declarationibus decoratus fuit, operam suam tribuere. Neque minus carus erat ceteris Mediceis Principibus, qui ejus familiares congressus requirebant, ut ab eo in omnium artium optimarum doctrina erudirentur. Ipsis aliquando in schola praesentibus (2) se timidius dixisse affirmabat, quod ejus modestiae praesertim tribues. Adfuit etiam mathesis praeceptor Jo. Carolo, qui palam profitebatur se ab Adjunctio summa adjumenta habuisse non ad illam modo facultatem addiscendam, sed & ad omnem concipiendam sapientiam, qua Principum animos imbui & praeparari decet. Factus omnino esse videbatur ad omnium

(1) Volendo noi riconoscere il Dt. Aggiunti, che legge le matematiche nel nostro Studio di Pisa con qualche particolare dimostrazione, ordiniamo in virtù di questo nostro rescritto a M. Sommaja, che gli faccia pagare per una sol volta cento piastre di Donativo. Dat. in Fiorenza 29. d'Ottobre 1632. *Nunquam de eo a Magno Duce & ab Academiae Praefectis mentio facta est, nisi honorificentissima.*

(2) Vennero al 1. ora (*haec narrantur in actis Academiae*) l'an. 1634. il Duca di Lorena e il Principe Leopoldo nella Scuola grande per sentire l'Aggiunti e Paganino Gaudenzio: l'Aggiunti lesse poco con gran strepito, Paganino punto. Si accomodò un postergale, un tappeto in terra, due seggiole eguali, e in quella più vicina alla cattedra stette il Duca.

Digitized by Google

voluntates sibi conciliandas, cum recte, humaniter, fideliter & prudenter agere in morem convertisset. Neque illi aliena mens erat a mansuetioribus musis, quasi hae nullam cum physicis & mathematicis disciplinis societatem haberent. Imitatus Galilejum suum coluerat eas studiosissime, utebatur autem ipsis ad se levandum in magnarum rerum occupationibus, & interdum etiam ad exhilarandas amicorum congressiones (1), & eorum laudes celebrandas. Tali modo omnem vitae suae cursum in labore corporis, & animi contentione confecit, & cum ei esset persuasum non posse homines ad magna pervenire, nisi constantia & industria summa, inde argumentum sumpsit cujusdam orationis, quam dixit Pisis in instauratione studiorum, cujusque exemplar extat in Riccardiana Bibliotheca. *Hactenus, Auditores*, (sic illam clausit) *intelligere potuistis desides & defunctos eodem loco esse habendos, cunctorum animantium vitam necessario & continenti cum labore esse conjunctam, & inter otio, fato & decumbentes, inter mortem & ignaviam nihil plane discriminis interesse*. Profecto nisi se tot laboribus frangisset, diutius vitam produxisset, quam amisit Pisis an. 1635. eodem illo die, quo in lucem venerat, cum esset in florentissima aetate annorum XXXV. Laudavit eum carminibus Paganinus Gaudentius (2), Italica vero oratione sententiarum & verborum copia ornatissima Marcus Antonius Pierallius Pisanus Canonicus & Collegii Ducalis Praefectus, qui quidem effecit, ut omnes intelligerent nihil a se amicitiae concessum, quamvis summa de Adjunctii virtute & do-

(1) *Biscionius Canonicus mentianem fecit cujusdam ludicri Poematis Adjunctii, quod inscripsit:* la padella. *Extare apud alios dicuntur carmen, quod appellatur* matula, *aliud inscriptum* sartago, *ac demum poema* de lusu Trochi. *In Vol. I.* Carminum illustrium Poetar. Ital. Florentiae *1719. extat elegans epigramma Adjunctii ad Galileum de telescopio & Arvisio vino dono missis*,

(2) Pianto nella morte del Dot. Niccolò Aggiunti valoroso Professore delle matematiche nello Studio di Pisa, composto e pubblicato nell' an. 1635.

ctrina prædicaverit (1). Plura scripta reliquisse dicitur, quae Vincentius Vivianius, in cujus manus pervenerunt, publica luce digna putavit, atque in his librum *problematum geometricorum*, *de cognoscenda historia opusculum*, *de libertate philosophandi opus*, *poema Latinum de Turbine*, cui extrema manus minime accessit, ac demum epistolas & orationes plures, & varii generis carmina. Nullum enim ferme fuisse videtur litterarum genus, quod ipse feliciter minime excoluerit, & philosophorum more quamcumque rem habuit in manibus, in ea, quae conveniebant, congessit omnia.

Ut ex litteris Adjunctii ad Galilejum cognosci potest (2) hac una de caussa aliquando optavit ipse Academiam Pisanam deserere, ut locum in ea faceret Dino Perio, quocum a condiscipulatu vixerat conjunctissime. Natus is erat Florentiae an. 1604. nobili genere, patre autem Jacobo, qui se haberi musicum voluit, quamvis multis litteris esset ornatus, quique, cum modos fecisset dramati Octavii Rinuccinii, quod *Daphnis* inscribitur, inventor fuisse dicitur dramaticae musices. Hic filium, in quo summa spes, summa ingenii indoles, summaque virtus erat, liberaliter instituendum curavit, & quia angusta sibi erat res familiaris, quaestuosae arti juris prudentiae operam praesertim dare jussit. Satis quidem in ea profecisse videtur, cum in collegium nobilium Florentinorum Advocatorum cooptatus fuisset (3).

---

(1) *Retulit hanc Targionius in Vol. II. Partem I.* delle notizie degli aggrandimenti delle scienze fisiche accaduti in Toscana p. *259*.

(2) *Vide has apud Targionium loco supra dicto.*

(3) *Ex ipso hoc scimus. Nam an. 1636. his verbis supplicavit Principi.* Dino Peri humilissimo Servo di V. A. S. e Lettore delle matematiche di Pisa reverentemente la supplica a fargli grazia, come ha fatto ad altri Lettori (Castelli, Aggiunti, Tromba, Gaudenzi) di ammetterlo in detto Studio con titolo d'ordinario nel Collegio de' Legisti, essendo Dottore dell' una e l'altra legge, anzi Avvocato del Collegio Nobile di Firenze: Che della grazia ec.

Sed quoniam, ut ajunt, nihil fit, invita Minerva, maluit vestigia & praecepta sequi Galileii, quam in forensibus certaminibus bonum ingenium consumere, & talis quidem evasit, ut in nobilissimis illius discipulis numerari potuerit. Non est credibile quanto illum amore prosequeretur Galilejus ipse non tam propter ingenium, quam propter mores castissimos innocentissimosque (1) ut in eo majus quiddam humana conditione esse sibi videretur. Aegre itaque illum ab se dimisit, cum a Ferdinando II. obtinuisset, ut in locum Adjunctii succederet, sancte affirmans doctiori cuiquam mathesis docendae provinciam tradi minime posse. Optime profecto fuisset opera posita, nisi mors obstitisset. Decessit enim Perius quatuor post annos quam ad Academiam venerat, neque ullus tam ferreus extitit, qui tanti viri morti minime illacrymaverit. Inter schedas Carolii Datii, quae in Magliabechiana Bibliotheca asservantur (2) extat sepulcrale elogium Perii, quod nescio an Datius ipse, vel alius fecerit. Est autem hujusmodi. *Dino Perio, moribus elegantissimis & integerrimis, mathematicarum in Pisana Academia Professori praestantissimo, philosophicarum speculationum optime merito, immaturis fatis erepto Amicorum amor & dolor monumentum externum condidit, ut pateret quod aeternum cordibus condit*. Non dubito fore

---

(1) *Cum idem scriberet ad Fulgentium Micantium ex Arcetriano XV. Kal. Novembris an. 1636. haec ait*. Sento gran consolazione della soddisfazione ch'ella mostra della contratta corrispondenza d'affetto col P. matematico di Bologna (*Bonaventura Cavallerio*); e perchè il Sig. Dino Peri nobile di questa città, matematico dello Studio di Pisa, d'ingegno mirabile, di costumi Angelici, da me stimatissimo ed amatissimo estremamente desidera ancor esso di dedicarsele Servitore, io animosamente intraprendo questa onorata impresa. Le offero la sua servitù, la quale quando intenda non esserle discara, l'avrà per una delle più grate nuove, ch'io gli possa dare, nè mancherà di ratificargliela.

(2) Cod. LXIV. Clas. VIII.

plerosque, qui a me non satis laudatum fuisse Perium judicent, quod nullius scripti mentionem fecerim, ex quo appareat, quantum ille de mathematicis & physicis disciplinis meritus fuerit. Nihil sane hujusmodi habeo, quod in medium proferam, nihilo tamen minus is iniquus esset, qui clarorum virorum scientiam metiri vellet scriptorum magnitudine. Nullam reliquit litteram Pythagoras, nullam Socrates, sed tot sunt clarorum virorum de iis testimonia, ut & merito & jure longe omnium in philosophia fuisse principes judicentur.

Mortuo Perio aestate an. 1640. illius locum petiit obtinuitque Olivetanus homo Genuae honestissimis parentibus natus Vincentius Renerius (1). Multa de illius doctrina praestanti audierat Leopoldus Princeps, quare sic illum Ferdinando II. Fratri commendavit, ut non diligentius potuerit (2). Quando ipse adolescens in Etruriam venit non hospes erat in geometria, cujus elementa an. 1628. didicerat a Placido Titio Perusino, quocum familiae vinculis conjungebatur. Ductus autem ad Galilejum vidit statim, quamvis nec studium, nec cura sibi defuerit in illa facultate proficiendi, quot egeret subsidiis ad iter reliquum conficiendum. Sub tanto praeceptore non perfectus modo evasit geometra, sed summus etiam astronomus. Neque humaniorum litterarum expers fuisse videtur, cum aestate anni 1647. illi commissum fuerit extraordinarium onus docendi Graecam linguam festis, ceterisque feriatis diebus. Sed potiora habebat, in quibus sua singula-

---

(1) Vacando per morte del Dot. Dino Peri la cattedra delle matematiche nello Studio di Pisa, supplica humilissimamente D. Vincenzo Ranieri Monaco Olivetano l'A. V. S. a voler restar servita di concederli la condotta di qoella carica = Concedesi per quattr'anni con provvisione di piastre 150 l'anno =.

(2) Serenissimo mio Sig. e Fratello Osservandiss. La cognizione, che ha V. A. S. del P. D. Vincentio Ranieri Olivetano non lassa luogo alcuno alle mie

ris diligentia atque Industria versaretur. Diximus alias quantae curae esset Galilejo de conficiendis eclipsium satellitum Jovis tabulis ad rite definiendas locorum longitudines non solum utilibus, sed etiam necessariis. Incredibiles prope labores in hanc rem impenderat, amissisque oculorum luminibus, nil magis indoluisse visus est, quam quod non potuerit absolvere quod inchoaverat. Totum igitur negotium istud commendavit Renerio suo, vehementissime rogans eum, ut ea, quae confusa erant, in ordinem redigeret, & quae deerant suppleret. Sic quidem optimis instructus astronomicis instrumentis satisfecit praeceptoris desiderio, ut antequam is e vita cederet, nonnulla vulgaverit (1), quaedam etiam postea paraverit, quae fama est misere periisse culpa Quaesitorum Fidei, hominum sane imperitissimorum, quibus haec erant suspecta. Porro quid gloriosius Mediceis Principibus accidere potuit, quam eorum nomina in caelo inscribi? Quis Ferdinando & Leopoldo ad provehendas omnes nobiliores disciplinas vigilantior ac munificentior? Hi quidem sic faverunt Renerii studiis, ut in iis ipsis rebus, quas a Galilejo didicerat, addere illum posse aliquid putaverint. Dum

---

raccomandazioni, dovendosi dare la cattedra della matematica in Pisa. Dirò solamente a V. A. S. che il detto Padre si è compiaciuto di valersi delle mie intercessioni per conseguirla, ed io le interpongo di cuore appresso l' A. V. la quale ha prudenza per eleggere i soggetti alle cariche, e benignità per compartire le sue grazie . . . . Di Siena ai 16. di Maggio 1640.

(1) Tabulae mediceae secundorum mobilium Universales: Florentiae 1639. in fol.

D. Vinc. Renerii Olivetani in Pis. Acad. ordinarii matheseos Professoris Tabulae motuum caelestium universales: Florent. 1647. in fol. *Quoniam hoc loco mentionem fecimus operum a Renerio editorum, commemoranda etiam videtur.*

Disquisitio astronomica de Etruscarum antiquitatum fragmentis Scornelli prope Vulterras repertis: Florentiae 1638. in 4.

Dum vero quaerebat stellarum motus, lunae etiam aliorumque caelestium corporum cursus, omneque id, quod naturae obscuritate occultatur (1) tanto studii ardore inflammabatur, ut quemadmodum Archimedes, ne patriam quidem captam sensisset. Sed fortasse nimium tribuit Astronomiae. Testatur enim Paganinus Gaudentius (2) binos menses antequam moreretur (accidit id Decembri an. 1647.) affirmasse sibi aerumnosa a planetis praedici, neque multo post lenta febri ipsum decubuisse, & qui prius relevari videbatur, cum medicinam sumpsisset, aestu jactari coepit, ut brevi omnem sensum vitamque amiserit. Quae cum lacrymans, homo praesagitionum ridiculus investigator, narraret, addit fuisse Renerium acuto & perspicaci ingenio, summa diligentia & eruditione non vulgari, moderatam libertatem amasse, & flagrasse semper cupiditate nomen ut suum immortalitati proderetur, & hominibus prodesset. Fuit sane annus ille, quo extinctus est, litteris calamitosissimus, cum eodem ferme tempore obiissent Torricellius, Cavalerius, aliique, qui cum e schola Galileii prodiissent, novis inventis physicas & mathematicas disciplinas mirum in modum ornarunt.

Horum in numero quidem fuit Famianus Michelinius, qui anno post in locum, quem in Pisano Athenaeo occupaverat Renerius, suc-

(1) *Testem hujus rei habemus hominem Gallum Moncoinium, qui in suo per Italiam itinere (sic opus inscribitur) haec narrat.* Le 30. Octobre (1646.) Je fus voire le P. Renieri, qui me montrà sa bonne lunette & le dessein de l'apparance de la lune, & l' instrument pour reconnoitre la secheresse ou l' humidité du temps. Il est tres habile mathematicien, & à des belles & bonnes pensées . . . . Le 17. Novembre me fit aprendre l' heure, regardant avec un fil, quand deux etoiles sont vis a vis, parceque lors elles sont en meme vertical . . . il me donnà ses ephemerides du cours dès medicèes, pour en faire l'observation.

(2) Galleria del Marino.

cessit. Actum tum quoque fuit de addicendo Academiae Ismaele Bullialdo, homine sane cum paucis comparando geometriae, & astronomiae scientia, sed is venire recusavit eam ob caussam, quod se minus idoneum esse affirmabat ad memoriter, & publice dicendum. Michelinius Romae natus erat circiter an. 1600. nomenque dederat Scholarum Piarum, ut vocant, familiae, cum complesset nondum XXV. aetatis annum. Qui famulatum praebent, arcentur sacerdotio, quod Florentiae obtinuit exeunte an. 1637. commendatione Caroli, & Leopoldi Mediceorum Principum. Octennio enim ante venerat in illam urbem, & venisse creditur, ut mathematicas disciplinas, in quibus haud mediocriter profecerat, Galileii praeceptis magis magisque excoleret. Huic illum commendavit Jo. Balianius Genuensis (1), quocum studiorum honestissimorum societate, ac similitudine tum conjungebatur. Tantum autem Michelinio tribuit Magnus Dux Ferdinandus II., ut ab eo elementa astronomiae didicerit, praeceptoremque omnium mathematicarum disciplinarum fratribus suis, quos paullo supra commemoravimus, dederit, Galilejo ipso testimonium ferente, neque animum, neque vires illi defuturas ad hujusmodi onus gloriose sustinendum. Ceteri alienae laudis invidi, qui tum se despectos putarunt, mathematici tantum postea concedere debuerunt Michelinii doctrinae, ut eum

---

(1) Ancorchè sia gran tempo, ch' io non abbia avuto lettere di VS., nè scrittole, non è però ch' io non sia l' istesso suo parziale, ch' era in tempo del Sig. Filippo Salviati, che sia in cielo, e dopo quel tempo che di parole e con lettere io riceveva dei suoi favori, che perciò ho volentieri preso l' occasione di raccomandarle con questa mia il P. Francesco di S. Giuseppe dei PP. delle Scuole Pie, il quale è avido dell' amicizia di VS. come io di conservarla. Esso è giovane virtuoso e studioso, e in qualche parte delle matematiche ha, a mio parere, eccedato la mediocrità. Prego VS. a favorir detto Padre nelle occasioni che se le presenteranno, & io gline resterò obbligatissimo. Genova 7. Settembre 1629.

Digitized by Google

aummis viris parem ponere minime dubitaverint. Non potuit tamen sic servire Academiae, quin ab ea saepissime abesset, coactus parere Principum suorum voluntati, quanquam id erat sine ullo stipendii detrimento. Movit autem eumdem Academiae ipsius utilitas, quoniam ei satis se consulere non posse videbat, ut ageret cum Alphonso Borellio, quem Romae noverat, de eo in locum suum substituendo, quod feliciter transactum est autumno anni 1655. Biennio autem post Michelinius bona cum Romani Pontificis venia Societatem Scholarum Piarum deseruit, in qua Francisci a S. Josepho nomine appellatus fuerat, sicque liberius studiis suis se vacare posse putavit. Multa quidem uno eodemque tempore volvebat animo, geometrica, astronomica, hydrostatica & etiam medica. Sed dum plura moliebatur, parva extricabat, quam ob rem saepe & amicorum querelas, & Mediceorum Principum reprehensiones pati debuit. Edidit tandem an. 1664. impensas impressionis faciente Leopoldo Mediceo, librum Italice scriptum de dirigendis fluminibus, cum Borellii opera usus fuisset in exponendis sententiis suis, Caroli autem Datii viri mundi & elegantis in emendanda dictione ab Etruscorum auribus abhorrente. Iis temporibus vix incunabula reperiuntur aquarum scientiae, quanquam genuisse hanc videantur Galilejus & Castelliua, sed Michelinius parum, aut nihil contulit ad illam augendam, & erravit quidem vehementer, cum sibi persuasisset fluentes aquas minime latera, sed solum tantummodo alvei premere. Vir summus Michael Angelus Riccius multa & gravissima huic sententiae objecit, nec ad ea diluenda valuit Borellii acumen (1). Sunt alia quaedam in Michelinii opere, quae nec experientia testata, nec veritate bene fundata reperies, eaque propter ii, qui scripta collegerunt, quibus tota haec aquarum scientia continetur,

(1) *De hac re sermo erit in Borellii vita.*

inter ea locum ipsi minime dederunt. Magnarum & prope incredibilium rerum promissor se rationem certam tenere dictitabat sanandi prohibendique mala, quae Venetiis afferuntur a fluminibus in vicinas lacunas confluentibus, & ex iis, quae hac de re litteris mandavit Borellius, quae essent Michelinii cogitata cognosces. Messanae quoque portui consulere se posse putavit, eaque propter in Siciliam vocatus fuit. *Nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus*, scribebat aliquando ad Leopoldum Principem, *& debemus hoc munus Etruriae etiam tuae, ut per nos tuta sit ab Arni inundationibus*. Itaque nonnulla sane utilia proposuit ad extruendos aggeres, sed non omnia, quae promisit, de ducendis aquis intra canalem, praestare potuit. Alveum fluminis si arasses, ex ejus sententia ipsum sibi aqua facile excavasset. Illa etiam potiora judicabat, quae se invenisse dicebat ad omnes febres sanandas (1). Hoc inventum se non vulgaturum dictitabat nisi multorum millium centussium praemio, & centum usque millia a Siculis sibi oblata fuisse ejus ad Leopoldum Principem testantur litterae. Huic disciplinae suae alumno aperuit postea, quod ceteris occultaverat, & miraberis fortasse cum audies totam hanc artem, vel ut ipse appellare solebat, medicam philosophiam stetisse in citreis, aliisque hujusmodi acidis potionibus, & in ratione victus simplicissima. Simplicitatem quidem in medicina Michelinius maxime probabat, quam ob rem ab Antonio Cocchio (2), ceterisque Redianae medicinae studiosis plurimum laudatus fuit. Haec videlicet est correctio medicinae veteris & emendatio, quae omnino aditum habere nullum poterat in scholas atque in urbes, quae personabant nomini-

(1) *His de rebus omnibus vide Michelinii epistolas, quas nos emisimus*: Lettere inedite d'uomini illustri Tom. I.

(2) Del Vitto Pitagorico. *Habebat Cocchius in manibus librum Michelinii, quem inscripserat*: Discorsi sopra la Sanità, *isque nunc Venetiis extat in Naniana Bibliotheca*.

Digitized by Google

bus Galeni & Arabum medicorum. Itaque homo in primis ingenuus & navus dum hos insectabatur, se magnum hominum vitae beneficium afferre jure ac merito gloriari poterat. Haec tamen ab ipso inflatius commemorabantur, ut de suis homines laudibus libenter praedicant. Quare minime est mirandum, si nova quaedam, quae ad tuendam valetudinem conducere putabat, efferens, saepe a corona deridebatur (1). Rerum naturam intuens se multa alia humano generi utilissima detexisse, seque in lucem prolaturum ajebat. Verum quod jampridem factum esse oportuit, usque eo dilatum fuit, quoad gravis & mortiferus morbus (id accidit ineunte an. 1666.) ipsum oppressit. Doluit Leopoldus summum discrimen non minus vitae praeceptoris, quam illius inventorum, itaque Pisis Florentiam evocavit Borellium, ut aliquid, quod majoris esset momenti, e morientis voce exciperet. Perpauca omnino excepit, cum paullo post IV. Id. Januarii Micheli-

---

(1) *Haec de eo in quadam ludicra oratione Aloysius Oricellarius*. Ma quanta lode d'accorgimento si dee a quell'altro Savio, il quale a fine di mantenere la salute in equilibrio, si pesa, anzi che vada a tavola, sopra un gran Staderone (*hoc nomine idcirco appellabatur Michelinius*) riconoscendo poi dopo il cibo quanto si è aggiunto di gravità, e finchè non torna all'esser giusto di prima, non mangierebbe in tanta disgrazia. Questi è colui di sì sottile provvedimento, che usa per rimedio universale di tutti i mali i limoni, ben sapendo ciò che cantò il Poeta (*Jo. Baptista Ricciardius*):

Tante persone guerce, gobbe e zoppe
E scontraffatte non avria l'Italia,
Se la madre natura ad ogni balia
Avesse dato due limon per poppe.

Vide etiam Scherzi Poetici del Canonico Lorenzo Panciatichi, Ditirambo I. p. 15. *& quae supra p. 128. narravimus*.

nius mortem obiisset, de qua cum scriberet Laurentius Magalottus Comes ad Octavium Falconerium, ait magnum virum amisisse Etruriam eo tempore, quo magnam sui famam ipse collecturus erat (1). Sed jam ad Borellium ipsum veniamus.

Atque hic tantus vir, quo nullum post Galilejum illustriorem habuit Academia, Neapoli natus est V. Kal. Februarias an. 1608. patre Michaele Alonzo humili & obscuro milite, matre nobili Hispana, ex qua cognomen sumpsit, cum paternum in nomen convertisset: ex Alonzo enim Alphonsum fecit. De prima illius aetate puerilique institutione nulla est memoria. Adolescens captus physicae atque mathesis amore, venit Romam ad Benedictum Castellium, de quo summa prorsus praedicari audierat. Ut vidit Castellius Borellium, magna de eo statim auguratus est. Etenim in hujus viri mente philosophiae natura quaedam, quod de Isocrate in extrema Phaedri pagina praedicavit Socrates, inesse illi videbatur, adeo feliciter recondita quaeque assequebatur. Sunt qui tradunt, Jo. Alphonsum, ut Epicurum, gloriari potuisse, se magistrum habuisse nullum. Verum si hos latuere monumenta, quae nobis videre contigit, id certe latere non debebat, Borellium ipsum in libro *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, aliisque in locis Castellium praeceptorem nominasse suum. Hujus officia & testimonia conciliarunt ei Messanensium benevolentiam, a quibus ad docendas mathematicas disciplinas satis liberali sti-

(1) Si è perduto un grand' uomo appunto quando era in sul farsi conoscere. La maggior parte delle sue invenzioni se ne sono ite con lui, non avendo egli affidato alla penna cosa veruna. Qualche speculazione conferì jeri al Sig. Borelli, il quale mi disse, che poco aveva potuto ritrarne, avendolo avuto a soccorre a grandissimo stento nell' agonia della morte. Io non so in che materia, ma credo che siano i rimedj della Laguna di Venezia .... Credo ancora che gli conferisse il modo di medicare i porti infestati dallo scirocco, e da qualche altro vento.

pendio accitus fuit. Neque hic constitit eorum liberalitas. Nam cum per se quoque intellexissent quantum civitati accessurum esset & utilitatis & ornamenti ex illius ingenio & doctrina, hujus augendae occasionem ipsi dederunt, suppeditata pecunia ex publico aerario ad iter per Italiam faciendum. Sicuti autem Plato illud suum iter Italicum suscepit, ut Pythagoreos cognosceret, utque Pythagorea omnia disceret, ita Borellius ad unum spectare Galilejum videbatur, seque beatum fore putabat, si divinum virum alloqui, ejusque inventa atque cogitata prorsus cognoscere potuisset. Verum non multo post, quam Florentiam venit, ille quasi quidam Deus Philosophorum octavo & septuagesimo aetatis anno mortuus est. Hujus gravissimum desiderium lenivit Borellius frequenti consuetudine Evangelistae Turricellii, Vincentii Vivianii, & aliorum, qui quasi heredes Philosophiae relicti a Galilejo fuere, horumque commendatione & judicio factum est, ut Borellii doctrina ad existimationem Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis, ejusque fratris Leopoldi dimanaret. Quo tempore Messanam redierit Jo. Alphonsus, haud mihi compertum est. Illic quidem erat annis 1647. & 1648. quibus temporibus tota Sicilia pestilentibus febribus misere vexata fuit. Nulli pepercit Borellius labori & periculo, ut hujus mali caussam & remedium inveniret. Quae vero & diligenter observaverat, & acute excogitaverat, antequam in vulgus ederet, recitavit in Academia, quae nominabatur *della Fucina*, in qua sermones habere de rebus physicis ipse solitus erat. Placuit ei primo illorum labefactare opiniones, qui harum febrium caussam quaerebant vel in nimio aeris calore, vel in humiferis ventis, aquarumque pluviarum abundantia, vel in quorumdam astrorum conjunctionibus, posteaque suam proponens sententiam, non solum verisimile, sed etiam certum existimat, aerem non nativo, sed delato infectum malo, mortiferum spiritum praebuisse animantibus. Quae de cometarum ortu & de venenis hoc loco disserit Borellius, talia sunt, ut illum non abfuisse a communibus illorum temporum erroribus ostendant, nisi dicere velimus ipsum dare aliquid coronae voluisse. Praecipuum remedium his

malis, quorum sedes erat in pulmonibus, sulphur bene arte chymica praeparatum esse invenit: expertus etiam est plurimum prodesse vinum iis maxime aegrotis, qui illud potandi consuetudine adamabant. Quasi operis appendiculam esse voluit defensionem Campanellae, qui febres fere omnes minime inter morbos, sed inter morborum remedia recensebat; ac postremo suam quamdam proposuit sententiam de ciborum digestione, quam praecipue fieri opinabatur per liquorem acrem atque acidum expressum e glandulosa membrana ventriculi, ipso ventriculo cibis repleto. Hunc liquorem comparabat Borellius menstruo chymico, summaque vi praeditum eum esse putabat ad cibos conterendos liquefaciendosque, quod nostra hac aetate multis experimentis a Spallanzanio habitis comprobatum est. Erat quidem libenter Messanae Borellius, quod propter laudem doctrinae maximam ejus schola & domus frequentabantur juventutis flore, quodque a Senatu Messanensi nobilitate aliisque singularibus praemiis donatus fuerat. Sed quamvis magna vis esset pii gratique animi in eam civitatem, quam alteram patriam nominabat, ad ipsum retinendum, majorem tamen habuit sapientiae amor ad eum in Etruria traducendum, ubi ipsa Philosophia sedem domiciliumque suum posuisse videbatur. Triremi Etrusca vectus Liburnum appulit, ineunte Februario an. 1656. nullaque mora Pisas accessit. Mos est institutumque majorum, ut qui ingrediuntur ad docendum, Latinam habeant orationem, qua plerumque solent commendare illas disciplinas, quas sunt tradituri. Invitus, dolens, ac ferme coactus huic instituto paruit Borellius, qui nunquam eloquentiae, scribendique Latine elegantiae se operam dedisse affirmabat; & simul querebatur a se se id exigi, quod minime exegerant aliae Academiae. Genus locutionis exile, & aridum, longitudo & obscuritas orationis, vox, gestus, & omnis actio sine lepore, ac non bene firma memoria dicentis, fastidium primo, mox & strepitum irridentium commoverunt, adeo ut priusquam ad extremam orationem perveniret Borellius, illam abrumpere coactus fuerit. Detrimentum, quod acceperat in hac prima ingressione muneris, brevi ipse sarcivit. Ut enim coepit erudire studiosam juventutem, & sermo-

mones disputationeque habere cum collegis suis, omnes aequi & intelligentes existimatores judicarunt, nemini illum in cognitione rerum mathematicarum atque philosophiae concedere. At, quod maxime faciebat auctoritatem, plurima & praeclara testimonia vel ipsi Medicei Principes Ferdinandus & Leopoldus impertiebantur Borellii praestanti doctrinae, quam multis in rebus sibi magno usui fore sentiebant. Solitus erat dicere Ferdinandus se magnam gratiam habere Deo, quod Principatu ab eo donatus fuisset, maximam vero, quod sibi ingeneraverit singularem quemdam amorem in philosophiam, cui cum satisfaceret, non solum humanissima compleri voluptate, sed etiam ali & vivere videbatur. Hinc assiduae inquisitiones & investigationes veri in naturalibus quaestionibus, hinc experimenta ad indagandas occultas naturae vias, hinc sumptus, curae studiaque in comparandis omnium physicarum artium instrumentis, hinc doctorum virorum coetus, qui in ipsis regiis aedibus habebantur. Omnino has aedes tum Ferdinandi tum Leopoldi studiis Musarum templum, Sapientiaeque domicilium factas esse dixisses; cujus rei vestigia etiam nunc multa apparent. Apud hos Principes, qui mirifice ingeniis excellentibus, quale erat Borellii, delectabantur, magno is esse in honore ac pretio debebat, ejusdemque exacui industria ad naturae scientiam magis magisque illustrandam. Primum, quod coram ipsis habuit, experimentum fuit de duorum corpusculorum natantium mutuo amplexu & fuga, de quo satis multa exposuit in Cap. IX. illius libri, quem inscripsit, *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*. Risit aliquando rerum physicarum inscitiam in Athanasio Kircherio, quod ei facile persuaderi potuit, hujusmodi appulsum & repulsum sympathiae atque antipathiae unice tribuendum esse. Verum ne amplius in re tam nova admirationem faceret caussarum ignoratio, declaravit Borellius illas quaerendas esse cum in vulgatis aequilibrii legibus, tum in aqueis aggeribus natantia corpora circumdantibus, sic ut quando ipsi aggeres circa utrumque corpus vel attollerentur, vel deprimerentur, mutuus appulsus fieret; contra vero repulsus, quando hic se submitte-

rent, illic assurgerent. Quae sane explicatio, quanquam minime rationem reddat unde efficiantur hi aggeres, & quare modo attollantur, modo deprimantur, talis tamen est, ut ab ea, quam post agnitam Newtonianam attractionem ac repulsionem tradunt recentiores physici, non admodum abhorreat. Inter multa, quae ex Borellio saepe Ferdinandus quaerebat, mentionem aliquando fecit de observationibus habitis a Blasio Pascalio in altissimo quodam Alverniae monte, ex quibus concludi posse videbatur, minorem aeris altitudinem minorem efficere ascensum hydrargyri in tubo Torricelliano. His vocibus commotus Borellius contulit se ad illam ipsam rem pluribus experimentis comprobandam illustrandamque; quae laudando Ferdinandus animos illi addidit, ut nova instrumenta ad ponderandam aeris gravitatem excogitaret, inventumque Torricellii amplificaret. Jussu ejusdem Ferdinandi notabat observatione quotidiana caeli varietates, primumque omnium caussam se vidisse gloriatus est, quare altitudo hydrargyri in barometro diversa sit pro diversa caeli aut pluvii, aut sereni constitutione. At in eo errasse videbitur, quod, impendente pluvia, aerem graviorem, illa vero delapsa, leviorem fieri existimavit. Obtulit etiam sese occasio Borellio ostendendi Ferdinando quam esset in chemia atque anatome exercitatus, quibus in disciplinis omnibus ad plures diei horas Principem scientiae cupidissimum non sine conjugis aliorumque indignatione occupatum tenebat. At Ferdinandus si cui plus, quam Principem decet, videbatur in his studiis versari, solitus erat usurpare auream illam Ciceronis sententiam: *cum animus caelum, terras, maria, omniumque rerum naturas respexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale & caducum, quid divinum aeternumque sit, viderit, in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu & cognitione naturae, Dii immortales! quam se ipse noscet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae vulgo dicuntur amplissima!* Atque haec studia Ferdinandi, & labores, quos, ut iis satisfeceret, suscepit Borellius, nemo existimet aliquid commune habuisse cum Academia, quae dice-

batur *del Cimento*. Haec enim tota Leopoldi Principis propria fuit, ab eoque instituta anno 1657. quo facto ad innumerabilia Mediceae gentis in litteras merita, quod fieri jam non posse homines arbitrabantur, maximus cumulus accessit. Omnes sciunt quam multa & quam magna, quae in perpetua naturae obscuritate antea latuerant, patefecerit illa Academia, quae contemplans verissimum illud comperio, quod ait Sophocleus Ajax: *longum & immensum tempus multa promere ignota, ac nihil quidquam esse, quod sperare non possis*. Omnino magnum opus, quod Galilejus, hujusque discipuli instituerant, illa perfecisse videtur. Physicos enim docuit hypotheses, quas *cerebella hominum & potentes nugas* merito appellavit Rogerus Baco, a se rejicere, nihil tribuere auctoritati, & geometria & experientia facem praeferentibus, in abditiores naturae recessus recta & tuta via penetrare. Quoniam vero homines ab ipsis experimentis in errorem induci possunt (infinita enim propemodum sunt & minima, quae in illis capiendis praecaveri atque adhiberi debent, quaeque vel ipsos sagacissimos indagatores interdum effugiunt) mira diligentia, acumine atque prudentia fuisse oportet Academicos Florentinos, cum quae prolata ab ipsis in publicum fuerunt, omnes semper firma rataque habuerint. Atque hae laudes, magnificae illae quidem & singulares, magna ex parte redundant ad Borellium, qui ex illorum Academicorum numero fuit, primasque inter illos tenuit, non gradu aliquo honoris, sed perspicacia atque felicitate in vestiganda natura. Pridie quam illorum coetus haberentur (habebantur autem non statis quibusdam temporibus, sed quando commodum erat Leopoldo) conveniebant Borellius, Carolus Renaldinius, & Antonius Oliva omne instrumentum adparaturi ad experimenta facienda. Prima Academicorum tentamina magis eo spectarunt, ut res ab aliis propositas affirmatasque examinarent, quam ut novas ipsi quaererent, ne quis umbram veritatis pro veritate sumeret, atque omnes discerent, remota auctoritate, re & ratione ipsam veritatem exquirendam esse. Cumque audivisset Borellius Galilejum in ea fuisse sententia, ut crederet aquam,

Digitized by Google

dum conglaciat, rarefieri, voluit id multis experimentis comprobare, quae relata sunt in librum experimentorum Academiae. Putavit etiam Borellius posse se plures caussas hujus effectus afferre, quas si quis noscere cupiat, illum delegamus ad volumen litterarum a doctis quibusdam viris ad Leopoldum Principem missarum, quod a nobis in vulgus est editum. Ex allatis caussis ea tunc Borellio magis adrisisse videtur, quam in aquearum particularum figura se reperisse dicebat. Is nempe ponebat minimas aquae particulas villosis quibusdam radiolis, angulosque graduum LX. efficientibus esse praeditas, argumento praesertim ducto a nive, in qua figuram hujusmodi ante Rossettum, & Bartholinium, ceterosque, qui de illa scripserunt, uno excepto Keplero, observaverat. Hos autem radiolos, qui cum ab igne penetrarentur, facile mollitie sua flectebantur comprimebanturque, eo avolante, obrigere atque distendi affirmabat, quod sine aquae inflatione quadam fieri non posse perspicuum est. Hanc Borellii sententiam, quam ipse postea rejecisse videtur, probabiliorem ab interni aeris explicatione afferre se posse putans, si conferamus cum illa, quam Meranius defendit in ea, quam *de glacie* conscripsit, dissertatione, utramque fortasse in eo congruere judicabimus, quod sit in aqua naturalis propensio ad efficiendum angulum LX. graduum, ex qua proficisci vult Meranius praecipuam caussam amplificationis ipsius aquae, dum gelu obdurescit. Post experimenta, quae ad quorumdam corporum congelationem spectant, proposuit illa Borellius, quae convincunt adversus Peripateticos nullam esse in rerum natura *levitatem*, ut ipsi nominant, *positivam*, sed omnia sua gravitate & pondere, nisi vis aliqua major impediat, in terram ferri. Quae experimenta priusquam in lucem ederentur, multos doctos viros per epistolas docuerat Borellius, qui fieri possit, ut in tubo ab omni aere vacuo fumus curvis lineis sese deorsum praecipitans conspiciatur. Cum vero diversorum corporum pondera ille investigaret, majora & minora comparabat sic, ut definire tentaret quantum inter se illorum genera differrent. Et quidem post multa experimenta ingeniosissime excogitata se invenisse

Digitized by Google

putavit eamdem esse inter aeris & aquae pondera proportionem ac inter numeros 1. & 1179. Nimis longus essem (non enim historiam, sed vitam scribimus) si ex libro experimentorum Academiae Florentinae colligere vellem omnia, quae, duce & auctore Borellio, inventa fuerunt. Sat erit dicere plura fere ab hoc uno Academico, quam a ceteris universis collata fuisse ad illum librum conficiendum. Quod vero ipse Borellius horum multa retulerit suum in opus *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, merito reprehensus est a Leopoldo Mediceo, quod videretur propriam habere velle eam laudem, quae cum omnibus Academicis, ex ipsius Academiae instituto, communis esse debebat. Sed erat ille ita natura comparatus: sui praeter modum tenax; praeterea difficilis adeo & morosus, ut si contra se diceretur, vehementius exardesceret stomacho & iracundia. Non semel jurgio contendit cum Academicis collegis suis, ac praesertim cum Vincentio Vivianio, quando ope tormentorum bellicorum experimenta instituta fuerunt ad soni propagationem, & ad projectorum corporum motum investigandum, nequicquam Leopoldo conclamante, iracundias, contentiones, concertationesque in disputando pertinaces, indignas sibi philosophia videri. Fuit & alia caussa, quae a Borellio Vivianium abalienavit. Latebant in thesauris Mediceis VII. libri Conicorum Apollonii Pergaei in Arabicam linguam a quodam Abalphato Asphahanensi conversi, quorum priores quatuor Graece scripti tantummodo lucem adspexerant. Vidit aliquando Borellius hos libros apud Leopoldum Principem; & quamvis Arabicae linguae prorsus esset ignarus, ex figurarum tamen forma conjicere se posse arbitratus est, illos aut integrum Apollonii opus esse, aut ejus epitomen: utrumvis esset, dignum opus se existimare affirmavit Latina interpretatione, publicaque luce, & hoc quoque commodum postulare atque expectare litteras a Mediceis Principibus. Facile Leopoldus obtinuit a Magno Duce, ut aestate an. 1658. quod tempus vacabat Borellio a docendi munere, ut is Romam mitteretur, non dubitans ibi inventum iri aliquem Arabicae linguae peritum, quocum Borellius, collatis studiis, Apollo-

Digitized by Google

nil interpretationem conficeret. Graviter haec tulit Vivianius, & quod Magnus Dux sibi Borellium anteposuerat, & quod novae sibi cum hoc aegrimoniae occasionem datam esse putabat, quasi id in primis spectasset Borellius in hujusmodi mandato postulando suscipiendoque, ut ad nihilum veniret laus, quam ex sua *Geometrica Divinatione in V. Conicorum Apollonii* merito sibi augurabatur. In hac certe re tota erravit Vivianius, quia nihil vafre & malitiose egit Borellius, & quia editi ab hoc V. VI. & VII. Apollonii libri an. 1661. biennio postquam Vivianius ediderat *Divinationem* suam, hujus laudi non solum quidquam non detraxerunt, sed etiam plurimum addiderunt. Quatuor circiter menses Romae fuit Borellius, quorum tres consumpsit in eo, quod commemoravimus, opere conficiendo. Qua in re socium habuit Abrahamum Echellensem, in quo erat quidem mirabilis cognitio Arabicae linguae, ceterarumque linguarum orientalium, sed nulla geometriae. Quapropter Borellius, ut manu veluti duceret interpretem suum, cogebatur ante instituere, &, ut ita dicam, divinare demonstrationes, quas idem interpres Latine reddendas suscipiebat, sicque judicare poterat recte illum reddidisse, quando inter se demonstrationes congruebant. Augebant vero difficultatem infinita propemodum menda tum in sententiis, tum in verbis, ac praesertim in numeris, quibus corruptus erat codex, a quo etiam aberant puncta diacritica, quae maximi momenti sunt non solum ad verborum sensum, sed etiam ad ipsas litteras internoscendas. Quare minime est mirandum si Echellensis principio desperaverit de opere absolvendo, nec illud absolvi potuerit nisi incredibili patientia atque industria, quam duo viri sua quisque in arte perfecti in ipsum contulerunt. Neque in solo Apollonio Echellensis & Borellius constiterunt, sed etiam operam contulerunt in librum *Assumptorum* Archimedis, qui e Graeco in Arabicum ipse quoque conversus fuerat, eratque in extrema codicis parte. Haec omnia vero tum Apollonii, tum Archimedis cogitata, multis additis atque allatis de suo, ita illustravit amplificavitque Borel-

Digitized by Google

lius, ut vere de eo praedicaverit Jo. Dominicus Cassinius (1) usuram longi temporis, qua rerum mathematicarum amatores caruerunt, magnitudine & perfectione operis ipsum sarsisse. Inter haec negotium Borellio dedit Leopoldus, ut conquireret si quae Romae essent Raphaelis Magiotti scripta, repertaque aut compararet, aut exscriberet. Fuerat hic vir in Galileii intimis, adeoque praestabat litteris, ut Torricellius de eo affirmaverit (2) *sicut in plurimis aliis scientiis artibusque, ita & in mathematicis disciplinis neminem illi jure anteponi posse*. Verum post longam conquisitionem dolenter sane retulit Borellius Leopoldo admiranda Magiotti inventa cum ipso periisse in ea, quae paullo ante Romam affiixerat, pestilentia. Nam cum illa consignasset chartae plagulis, has, perinde ac si nullius momenti res esset, concremaverant ii, qui ad purgandas domos illorum, quos pestilentia absumpserat, mittebantur. Borellius volens aliquo modo satisfacere summo desiderio, quo tenebatur Leopoldus, colligendi illustrium virorum monumenta, facile a Michaele Angelo Riccio impetravit litteras, quas ad eum dederat Torricellius, ut doceret de barometro a se invento, utque convinceret adscensum hydrargyri in tubo prementi aeri unice tribuendum esse. Quod vero Borellius, priusquam has litteras vidisset, potuerit eamdem rem iisdem rationibus atque argumentis, quae attulerat Torricellius, comprobare, hoc summae illius, qua valuit, perspicientiae in rebus physicis testimonium haberi debet (3). Fuerunt & alia monumenta ingenii praestantissimorum

(1) Vol. I. Epist. Clar. Vir. p. 150.

(2) Oper. geometr. de mot. gravium &c.

(3) *Haec habet Borellius in epistola quadam ad Leopoldum*. In questo proposito dirò un gusto dispiacevole, che ho avuto, vedendo una lettera della b. mem. del Torricelli diretta al Sig. Michel Angelo, nella quale accenna quella stessa ragione dimostrativa che io trovai, perchè otturando l' inferior bocca del vaso dell' argento vivo, e impedendo la compressione di

virorum, quae secum Roma Florentiam asportavit Borellius. Pertinebant haec ad amantissimum praeceptorem suum Benedictum Castellium, & ad motus aquarum scientiam, in qua is omnium fuit facile princeps. Ut vero Leopoldo ostenderet Borellius quantum in hac quoque scientia processisset, utque praeceptori, a quo summa acceperat, aliquid redderet, ad supplendum locum quemdam libri II. qui ab eo conscriptus fuerat *della misura delle acque correnti*, probandum suscepit, in definienda velocitate duarum imparium aquae molium per eumdem inclinatum canalem excurrentium perpendendas esse lineas curvas, quas sectionum gravitatis centra describunt. Est in manibus hominum Borellii scriptum, de quo tamen ingenue ipse professus est, se eodem plane contentum non fuisse, quanquam magna spe ad probandum, quod intendebat, aggressus fuerit: postea se aliud prolaturum, si invenisset meliora. Sed quo citius illud, quod susceperat non mediocre munus conficere posset, abdicatis a se ceteris omnibus non necessariis occupationibus, in suo absolvendo, edendoque Apollonio Pergaeo elaboravit. In quo opere quod putavit locum habere posse quatuor priores libros ipsius Apollonii, quos, ut commodo discipulorum suorum inserviret, nova quadam eaque faciliori & breviori ratione exposuerat, ad hoc quoque opus expoliendum se applicavit. Quod

---

tutta la regione aerea tuttavia si mantiene l'argento vivo nel cannello alla medesima altezza di un braccio e un quarto in circa: e per maggior mio martello adopra il medesimo esempio della lana, conforme io esemplificavo la cosa con molti materazzi. Alla mia venuta recherò la copia di tutte queste lettere scientifiche del Torricelli per farle stampare, acciocchè non venga l'umore a qualche Franzese di pretendere anteriorità (come già mi par che ve ne sia alcuno) sopra questo concetto della compression dell'aria, cagione potissima ed indubitata del sollevamento dell'argento vivo nel cannello.

Quod cum ab eo audüsset Leopoldus, dixit perutile quidem fore consilium, sed in aliud tempus rejiciendum. Nam haud decere arbitrabatur aliquid novae interpretationi admisceri, nisi quod ad illam unice pertineret: posse commodo suo Borellium in universo Apollonio exponendo coarctandoque eamdem operam, quam in Euclide, collocare. Etenim ea omnia, quae Euclides CCCCLXXIII. propositionibus comprehendit, Borellius in suo *Euclide restituto* ad CCXXX. propositiones redegit, hasque, quod mirabilius est, semper intellectu faciliores, saepe etiam magis generales. In proportionum vero scientia ab longo & difficili anfractu, quo illam Euclides circumscripserat, liberanda illustrandaque praesertim insudavit, idque caussam sibi dedisse universi operis Euclidei perficiendi Auctor in praefatione narravit. Digna haec putavit Borellius, in quibus elaboraret, non modo ut ostenderet se superare omnes aequales suos cognitione geometriae, sed etiam ut sterneret viam ingredientibus ad naturae scientiam, quam idcirco densissima quadam caligine obrutam jacuisse usque ad Galileii aetatem dicebat, quod nullum habuisset lumen mathematicarum disciplinarum. Quare si his multum Borellius attulit perspicuitatis & incrementi industria sua, multo studiosius etiam fontes illarum aperuit, e quibus infinitae utilitates ad omnes physicas facultates dimanant. Hoc quid & quantum fuerit ii praesertim intelligent, qui Borellii libros legent, in quibus rerum maximarum, reconditiorumque notitiae geometrice expositae passim inveniuntur, quique sciunt illius opera, exemplo atque praeceptis factum, ut a Bellinio medicina, & a Malpighio anatome ad novam, ut ita dicam, vitam revocarentur. Et anatomicae quidem exercitationes plurimae in domo Borellii instituebantur, quia iis egebat ad opus magnum contexendum *de motu animalium*, quod jam inchoaverat. Nec praefuit modo nascenti gloriae Malpighii, verum etiam multum ipsum juvit apud Messanenses suos, a quibus magnis stipendiis evocatus fuit. Sed minime invidiae reprehensionem effugit, postquam vidit tot inventis eumdem cumu-

Digitized by Google

lasse laudes suas, ut nemo ei par poneretur. Miserrimum omnino est suis bonis contentum non esse, & alienis invidere. Non enim omnia possumus omnes, & in magna rerum copia aliud alii natura iter aperuit. Illud vero, quod ipsa tum Borellio, tum Malpighio assignasse videbatur, ita ab iis confectum est, ut merito Laurentius Bellinius alterum appellaverit *virum prodigiorum in demonstrationibus*, alterum *virum prodigiorum in observationibus*. Neque istam suam tam miram doctrinam in terra solum continuit Borellius, sed etiam ad supera atque caelestia transtulit, quae sibi contemplanti sola praeclara & mirabilia, cetera minima & contemptibilia videbantur. Atque huic suo in astronomiam studio quo cumulate satisfacere posset Borellius aestivis temporibus, quibus Florentiae esse solebat, Magnus Dux Ferdinandus locum ei ad habitandum opportunum attribuit prope turrim illarum aedium, ubi quondam sedem habuit Magistratus, penes quem summa erat Reip. Florentinae, nec non in arce S. Miniatis, qui est prope urbis moenia excelsus locus. Neque hac re contentus Ferdinandus commodavit eidem magnum telescopium a Josepho Campanio singulari artificio elaboratum, horologium pendulo instructum, reliquamque astronomicam supellectilem. Principio Borellius sese ad Saturnum convertit, primusque Italorum *Systema Saturnium* Hugenii confirmavit, liberavitque suspicione erroris, quem illi objiciebat Eustachius Divinius, seu potius Honoratus Faber e S. J. quem Hugenius Apellem latentem post tabulam vocabat. Ut vero hujus rei veritatem oculis subjiceret, globum annulo circumdatum ita confecit, ut is mirabiliter repraesentaret omnes annuli Saturnii phases, ejusque umbras in discum ipsius Saturni projectas, tum quas ipse observaverat, tum quas ab Hugenio aliisque illustrioribus Astronomis descriptas repererat: satis etiam ostendebatur illa machina, quantum vacillarent atque claudicarent quae venditabant oppugnatores Hugenii. Plurimum intererat ea scire, quae non tam ad astrorum scientiae incrementum, quam ad Leopoldum Principem quodammodo pertinebant. Nam quae Hugenius, ut suum *Systema* constabiliret, & quae Divinius, ut illud

everteret, scripto mandaverant, delata ad ipsum Leopoldum, tamquam ad patronum fuerant. Cum vero Academiae Mediceae nomine scripta an. 1660. ad Hugenium a Laurentio Magalotto epistola fuisset, in qua plura erant de notatis rebus in Saturno aliisque sideribus, tota hujus rei materia a Borellio suppeditata fuit. Solis & Lunae defectiones complures idem observavit, deque lunari quadam omnium nobilissima, quae accidit XVI. Kal. Quint. an. 1666. facta ab eo descriptio edita fuit Parisiis cum notationibus Payenii (1). Sed praesertim Borellius curiosus fuit in exquirendis motibus & semita cometae, qui apparuit exeunte anno 1664., & de quo etiam libellum scripsit latens sub ficto Petri Mariae Mutoli nomine. Certi atque constantes siderum motus, & quae omni ferme tempore captae de iis sunt observationes, effecerunt, ut ex omnibus physicis facultatibus nulla esset, quae tam accuratam disciplinam, tamque facilem cognitionem haberet, quam astronomia. Nihilo tamen minus pars erat quaedam spectans ad cometas, quae latebat adhuc involuta obscuritate naturae, illustriorumque astronomorum de iis sententiae (nam Galilejus ipse inter meteora illos recensebat) tam aberrabant a vero, quam a nobis aberrant ipsi cometae. In tanta obscuritate non omnia quidem videre potuit Borellius, dum suum perscrutatus est cometam. Vidit tamen nonnulla, quae ejus miram sagacitatem declarant, quaeque digna sunt immortali memoria & gloria. Etenim non dubitavit affirmare contra Cassinii judicium cometas non circum terram, sed circum solem planetarum more converti, moverique, contra omnium antiquorum & recentiorum astronomorum auctoritatem, per curvam lineam parabolae

(1) In Ephemerid. Erudit die 6. Septemb. *De hac observatione nonnulla quoque commemorat Jo. Baptista Hamelius in Hist. Regiae Scient. Acad.* Sect. III. Cap. II.

perquam similem (1). Id consideranti facile liquebit hujus inventi gloriam non uni Hevelio deberi, qui triennio serius hac ipsa de re cogitationes suas in medium protulit. Denique Borellius diurnam cometarum parallaxim ope observationum, quae in variis remotisque regionibus haberentur, recte posse definiri affirmavit. Praeter ea, jussu Magni Ducis, subductis calculis, derivavit ex Galileii observationibus ephemerides Mediceorum planetarum; & aestate an. 1665. nullum fere diem abire sivit, quin illorum motus positionesque contemplaretur. Quoniam vero haec contemplatio occasionem ei praesertim dedit conficiendi operis, quod inscripsit: *Theoricae Mediceorum planetarum ex caussis physicis deductae*, hanc veniam mihi concedendam puto, ut paullo longius rei initium repetam. Vix dum Galilejus detexerat satellites jovis, cum cognitum est quanti id momenti esset ad definiendas locorum longitudines, & ad geographiae & rei nauticae disciplinas instaurandas. Quapropter omnes fere illorum temporum astronomi sese converterunt ad eorumdem motus indagandos, observandaque phaenomena, spe ducti posse aliquando veras illorum theorias definiri. Periescius omnium primus, opem ferente Morinio aliisque astronomis, hanc rem tentavit, sed brevi abjecit, diffidens se eo, quo intendebat, posse pervenire. Rei difficultas minime quidem tardavit industriam Simonis Marii, & Jo. Baptistae Hodiernae, sed suum quisque opus adeo infeliciter confecit, ut ii fortasse melius consulturi gloriae suae fuisse videantur, si se ab ea re abstinuissent. Ex quo factum est, ut astronomiae studiosi omnia a Galilejo & Keplero expectare viderentur. Galilejus quidem nulli pepercit industriae, ut satis hominum expectationi faceret, & XXVII.

---

(1) *Legenda est omnino epistola, quam hac de re Borellius ad Leopoldum Principem dedit. Extat in I. volumine epistolarum ad eumdem Leopoldum pag. 130. & 131.*

Digitized by Google

ferme consumpsit annos in observandis jovis satellitibus; cumque extremo tempore oculorum lumina amisisset, concessit amico & discipulo suo carissimo, uti supra diximus, Vincentio Renerio notata a sese, non dubitans quin opus, quod inchoaverat, ab illo perfici posset. Quod haec magna ex parte misere perierant, nullo non tempore concupivit Borellius, ut aliquis exurgeret, a quo tandem theorias Mediceorum planetarum haberemus. Ne magnum hoc onus sibi imponeret obstabant non animi, sed corporis infirmitas, & multae ac variae, quibus erat implicatus, occupationes. Volens vero aliqua ratione succurrere, & viam, ut ita dicam, commonstrare difficillimum & longissimum iter ingredientibus, opus, de quo supra mentionem fecimus, in lucem hominum emisit. Ut planetarum Mediceorum phases iis simillimae, quas e terra in luna conspicimus, verique illorum motus (& duplicem quidem motum habent, unum circa jovem, alterum circa solem cum ipso jove, quem consequuntur ut comites) cognoscantur referanturque in tabulas, necessarium esse ait Borellius fingere cogitatione nos primum ex jovis centro, deinde ex sole intueri ipsos satellites; ac postea redeuntes ad terram legibus opticis definire omnia eorumdem phaenomena, qualia nobis apparere debent pro diversa positione & motibus non solum satellitum & jovis, sed etiam terrae. Hunc terrae motum non expressit Borellius, sed adumbravit, timens iniquitatem temporum, & reminiscens Galileii infortunia. Quod vero Jo. Dominicus Cassinius non alia processerit via, quam commonstrata a Borellio, ut veros ab apparentibus satellitum motus distingueret referretque in tabulas, quas primum edidit an. 1668. hoc maxime gloriosum ipsi Borellio fuit. Intellexit enim Cassinius posse contrario ordine ex observationibus e terra habitis inferri motus satellitum, quales e sole conspicerentur, & hac tandem via motus veros ab apparentibus secerni, & inveniri veram eorum positionem & motum, quo circum jovem versantur. Nec minus illud laudandum, quod Borellius, analogia duce, ex cognitis lunae phaenomenis perceperit satellitum orbes per ellipticas lineas ferri, illique subjectos esse

Digitized by Google

inaequalitati, quam centri aequationem astronomi dicunt. Sed fortasse in eo peccavit, quod nimium tribuerit ipsi analogiae, dum joviales satellites easdem prorsus, atque lunam, pati inaequalitates sibi persuasit. Notum est enim etsi ab una & simplicissima naturae lege planetarum motus regantur, hos tamen in diversis planetis non modo diversos, sed interdum etiam contrarios esse pro diversa eorumdem planetarum positione, figura, massa atque distantia. Et quidem quarti satellitis nodi, & fortasse etiam tertii, motu versantur directo, contrario nempe atque lunares. Caussae & principia physica motus astrorum, quae Borellius exposuit, quanquam mirum illius acumen ostendant, minime tamen commemoranda videntur, postquam Newtonus veram, cui universa natura obtemperat, legem e tenebris in lucem vocavit. Et haec quidem in prima operis parte. In secunda describit modum, quo fieri debent observationes satellitum, & inde horum theoriae elici; versaturque maxime in vestigandis varietatibus, & inaequalitatibus latitudinum, in notandis inclinationibus orbitarum satellitum in jovis orbitam, nec non positione nodorum horumque motibus; in quibus omnibus rebus maxima porro sunt momenta ad cognoscendum tempus, quo durant eclipses, quo satelles quartus ex umbra jovis emergit, & quo demum secundi ad illam accessus, ex eademque recessus videri possunt. Utitur multis in locis Borellius observationibus suis, harumque ope invenit satellitum orbitas non solum in jovis orbitam, quod quidem facile erat inventu, sed etiam in sese mutuo inclinatas esse, cujus rei veritatem postea Cassinius probavit aliis observationibus, quod allatas a Borellio minime sufficere judicaverit. In his vero observationibus faciendis, ac praesertim in mensurandis maximis satellitum a jove digressionibus adhibuit Borellius artificium quoddam excogitatum ab Hugenio, seu potius a Candido Bono, qui multo ante quam Hugenius suum vulgaret inventum, hac ipsa de re cum Borellio communicaverat. Aptatur tubo optico in communi vitrorum foco tenuissimum aeneum filum, & ad perpendiculum cum parallelo motus diurni jovis componitur. Putavit autem Borellius pos-

Digitized by Google

se utilius in locum fili substitui reticulum totum jovis complectens discum, traducto alio per centrum filo, quod cum linea maximarum ab ipso jove digressionum plane congruat. Idem docuit in extremo libro quae sua fuerit ratio & via in notandis declinationibus satellitum ab jovis orbita. Subductis enim calculis prius, & quidem ingeniosissime, invenit angulum, quo jovis orbita ad parallelum motus diurni jovis inclinatur: mox in communi vitrorum foco sic duo collocavit fila, ut eumdem ibidem angulum complecterentur. Merito Cassinius admonet propositam a Borellio rationem haud locum habere posse, nisi quando sol versatur in nodis orbitae jovis, quo tempore si haec e terra conspicitur, minime a recta linea recedit. Sed id non fugisse Borellium ex eo judicari potest, quod ipse affirmaverit aptissimum observationibus instituendis esse tempus, quando jupiter est acronicus, omnique latitudine caret. Videtur Cassinius nonnulla alia voluisse in Borellii libro reprehendere (1): sed hunc satis superque defendunt quae in extrema leguntur pagina, quaeque hic referre juvabit. *Ex his*, inquit, *quae satis prolixe exposita sunt, quilibet animadvertere poterit quam difficilis & laboriosa sit inquisitio theoricarum Mediceorum; requirentur enim exactae observationes, continuatae per plures annos summa diligentia habitae, quae cum minime a me effici possint ob aetatem atque ob gracilem & infirmam corporis constitutionem, non dubito quin posteri aequi bonique consulant haec mea monita & animadversiones, quibus mediantibus poterunt jam dictas theorias reperire, praelata face, ostensaque via, qua incedendum sit, ostensisque difficultatibus omnibus, quae hujusmodi inquisitionem impediunt, & insuper quomodo possint evitari*. Inter planetas, in quos maxime oculos conjecit Borel-

(1) *Vide librum, cujus est inscriptio*: Diverses ouvrages d' astronomie par M. Cassini a Amsterdam 1736. in 4.

lius, fuit & venus. Cumque ad Leopoldum Principem scribens monuisset eum de quibusdam observationibus suis, ipsi praedicere se posse putavit visum iri illum planetam duobus integris diebus, qui erant XII. & XI. Kal. Majas 1662., ante & post solis occasum. Expectavit Borellius singularem rei novitatem non sine incommodo valetudinis in altissimo prope Pisas monte. Ne vero videret, impeditum se fuisse ait a nebuloso caelo. Ipse quoque notavit aliarum errantium stellarum cursus progressionesque, & quosdam Astronomorum emendavit errores de iis stellis, quae fixae dicuntur, quod mihi satis erit commemorasse. Ex his observationibus eas, quae aut magnitudine, aut novitate praestabiliores erant, communicabat Borellius non cum Principibus Mediceis solum, sed etiam cum Academicis suis, qui non putabant esse alienum institutis Academiae de rebus quoque caelestibus inter se disserere. Sed hi in experimentis capiendis illustres maxime esse voluerunt, quod hac unice via prohibere se posse putarent perversum illud & praeposterum philosophandi genus, quod solam rationem in consilium adhibet, & per quod in omnia naturae arcana praecipiti festinatione penetrare se posse homines confidebant. At Borellius, qui, si quis unquam alius, fuit acerrimo ingenio, altissimoque animo, non una palma poterat esse contentus; quare modo geometrae, modo physici, modo anatomici, modo medici, modo mechanici, modo chemici, modo astronomi, modo hydraulici gerebat personam, sicque gerebat, ut semper a capite, quod consectabatur, cuperet arcessere, & fontes, unde omnia dimanant, videre. Non semper quidem verum attigit, semper tamen magnas aperuit vias, per quas possent homines ad veritatem pervenire. Quid in tota recentiorum physica majoris aestimatur momenti ad explicanda naturae phaenomena, quam vis, ut appellant, attractionis? Quanquam inter commenta Borellius adnumeravit vim esse in natura, qua distantia corpora mutuo velut amore se traherent, sensit tamen vim quamdam, ut ille ajebat, magneticam universis materiae inesse particulis, qua si perfecte sese contingerent, arcte adeo cohaererent, ut non sine difficultate divel-
le-

lerentur. Quin & gravitatis vim sic a natura inditam affirmabat corporibus, ut si non a terra attraherentur, sponte tamen sua, ingenitoque conatu quodam ad ejus centrum contenderent. Vidit nempe Borellius ea, qua valebat in rebus physicis perspicacia, vim gravitatis, cujus imperium vel in planetis agnovit, ab impulsu sane nullo, quem mirifice celebriores illius aetatis philosophi erant amplexati, pendere posse. Dum vero explicare voluit quare aqua in tubis capillaribus adscendat, quamvis veram haud assignaverit caussam, talem tamen assignavit, ut, ablegata a natura attractione, nulla probabilior afferri potuisse videatur. Simul & illud ostendit, minime locum habere posse in hujusmodi phaenomeno prementem aerem, aliasque caussas, quas physici illorum temporum falso ostentabant; quod quidem maximam meretur laudem: bene enim Cicero: *omnibus fere in rebus, maxime in physicis, quid non sit dixerim*. Norunt omnes quid tribuerit Newtonus contractioni venae in mensuranda vi & quantitate effluentis aquae ex vase perforato, quantaeque hujus rei caussa excitatae sint controversiae inter Danielem Bernoullium, & Jacobum Ricatum. Fuerint haec gloriosa summis iis viris: at meo judicio major etiam laus Borellio debetur, quod iis ceterisque omnibus praeiverit in hac contractione venae observanda, quanquam neminem probaturum esse putem, quam ipse hujus effectus caussam rationemque attulit (1). Cetera, quae de fluidis corporibus tradidit Borellius in libro *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, si cum iis conferantur, quae Newtonus suis *in mathematicis principiis*, aliique recentiores physici docuerunt, facile quivis intelliget eumdem plurimum accendisse luminis ad res occultissimas patefaciendas. Miror vero hominem tantae perspicaciae eodem ferme captum errore fuisse, quo Famianus Miche-

(1) *In lib.* de mot. nat. a gravit. pendent. Prop. CXXX

finius, ut arbitraretur aquam haud premere aeque latera ac solum alvei, per quem excurrit. Cumque iis temporibus, quibus Michelinii liber de dirigendis fluminibus editus est, adversus hanc sententiam multa & gravia objecisset Michael Angelus Riccius, non potuit Borellius continere iracundiam suam, usque eo ut abalienati animi a Riccio, quocum veterem & summis semper cultam officiis amicitiam habebat, signa dederit. Caussam vero Borellio defendendi Michelinium hanc fuisse arbitror, quod illius cogitationes scripto ipse explicaverat, cum Michelinium nescio quid impedimenti scriptione probibuerit, quodque patrocinium ejusdem tamquam legitimi tutoris Michelinius ipse imploraverat. Porro, ut ex litteris Borellii ad Leopoldum Principem conjici potest, hac in re differebant inter se Borellii & Michelinii opiniones, quod hic nullum esse aquae pressum in latera, ille vero non magnum esse opinabatur; & fortasse post allatas a Riccio rationes suspicatus etiam est aquam eadem vi premere latera ac solum alvei, sed nescio quomodo nonnulli malunt eam, quam semel adamaverunt, sententiam, etiam si ratio convellat, pugnacissime defendere, quam ingenue lubentibusque animis se hallucinatos esse fateri. Quaedam alia, quae ex morientis voce excepit, litteris mandavit Michelinii cogitata Borellius, nonnulla etiam sua, sed tanti minime putabis, ut per ea aquarum scientia vel minimum aucta fuerit. Utilius & gloriosius in iis dies noctesque insudabat, quae ad animalium motum spectabant. At priusquam hoc majorum vigiliarum opus appareret, optimum factu existimavit si ei viam stravisset aliis operibus, quae universam de motu doctrinam bono in lumine collocassent. Initio scripsit *de vi percussionis*. Scribendi autem hanc ei dedit occasionem ille *afflator & animator* (sic appellabat Robertus Boyleus Leopoldum Mediceum) *omnium praeclarissimorum operum*. Jam saepe ex eo audierat Borellius Galilejum secum queri solitum fuisse, quod summa senectute perditaque valetudine prohiberetur explicare & proferre in medium multa & mirabilia, quae de vi percussionis excogitaverat; & idcirco a se Roma Florentiam advocatum Torricellium

fuisse, datumque socium ipsi Galilejo, ne tanti viri, tantaque de re cogitata perirent. Excepit quidem Torricellius ex Galileii sermonibus nonnulla in hanc rem, quae sunt exposita in quibusdam orationibus, quas dixit in Academia Etruscae linguae custode ac moderatrice. Verum cum hae orationes tum non extarent, cumque relatum esset Borellio conjectura potius judicasse, quam demonstrationibus probasse Torricellium vim percussionis infinitam esse, hanc rem ipse tractandam suscepit. Quod cum narrasset Leopoldo, arrisit ille, *& pertexe modo*, inquit, *quod instituisti: est enim materies digna facultate tua.* Vulgavit itaque Borellius an. 1665. librum, qui inscribitur *de vi percussionis*, cujus in ingressione examinat naturam motus, impetus & celeritatis projectorum corporum, ingeniose valideque convellens opinionem illorum, qui affirmabant hujusmodi corpora idcirco motu continuo ferri, quod ab aere, qui retro eadem urget, impellantur. Docet enim hunc motum oriri ab vi impressa & interna aequaliter in omnes partes mobilis corporis distributa; & hanc vim in uno collectam corpore sic extendi & rarefieri, ut partim remaneat in percutiente corpore, partim in percusso. Quanquam difficile est cogitatione consequi, qua ratione possit vis movens, id est simplex qualitas ab uno in aliud transire corpus, nihilo tamen minus laus est Borellii non mediocris vidisse tantum amittere vis percutiens corpus, quantum acquirit percussum, sicque constituisse praecipuum dynamicae fundamentum. Quin immo cum pluribus in locis doceat corpus, cui semel inditus motus, necesse esse, nisi aliquid impediat, eadem in aeternum tempus celeritate moveri, non ignorasse videtur inesse corporibus proprietatem, ut vocant, inertiae. Ignoravit tamen reactionis principium, quod omnes sciunt quanti momenti sit in motus natura explicanda. Quae ipse persequitur de quantitate, de proprietatibus, & de proportionibus virium, quas varia percussionum genera inter se habent, & ex corporum resistentiis existunt, talia sunt, ut nihil in praeteritis relinquere voluisse videatur. Non ab re sunt quae Cap. XIV. tractat de motu mixto ex circulari aequabili, & ex descensivo

Digitized by Google

accelerato (dabunt mihi veniam lectores, vel potius gratiam habebunt, quod perspicuitatis caussa verbis utar interdum scientiae propriis, quamquam non plane Latinis) centrum versus ejusdem circuli, quem motum neque per circuli peripheriam, neque per parabolam, neque per helicen ejus naturae, quem putabat Fermatius, fieri probat: quo loco refellit etiam quae tanquam *demonstrationem physico-mathematicam* jactabat Ricciolius adversus telluris motum. Defensionem Fermatii suscepit Stephanus de Angelis, Riccioli vero Michael Manfredius, quorum utrique respondit Borellius duabus doctissimis epistolis, quas dedit ad Michaelem Angelum Riccium, quaeque sunt in manibus hominum. Post haec constituere nititur Borellius leges, quibus tranſunditur motus in percussione corporum, neque id admodum feliciter praestat, quod ei, ut diximus, esset ignotum reactionis principium. Captus enim eodem, quo Cartesius, errore putat occursum corporis duri quamvis immobilis non posse extinguere vim percutientis, sed tantummodo illi inferre impedimentum, ne suam conficiat viam, ipsumque cogere, ut retrorsum flectat, quod idem affirmat de duobus corporibus, quae aequatis motibus sibi obviam eant. Non tamen negat motum interdum extingui posse; & revera extingui in corporibus, quod fieri dicit quando ea in obices incidunt, qui non percutiendo reluctantur, qualis est gravitas in corporibus sursum projectis, & tenacitas partium in corporibus mollibus vel flexibilibus, & generatim resistentia quaelibet, quae ab mortua, ut recentiores physici loquuntur, vi proficiscitur. Hinc motum extingui non posse docet momento temporis, sed ad id requiri innumeros contrarios impulsus mortuae vis: quin potius in illam propendit sententiam, ut putet eamdem semper esse in natura quantitatem motus, adeo ut generatio novi motus nihil aliud sit, quam diffusio sui ipsius, & transitio ex uno in aliud corpus; extinctio vero nihil aliud sit, quam impressio motus aequalis & contrarii, cujus caussa cum semper vigeant in corpore duo contrarii conatus, videtur illud ad quietem redigi. Praeter caussam reflexi motus in corporibus duris aliam agnoscit in

iis corporibus, quae ab ipso flexibilia, vulgo vero appellantur elastica. Haec enim habere dicit facultatem quamdam, ob quam ab agente corpore compressae partes, cum postea aequali vi sese iterum explicent, illud vicissim urgeant atque impellant, efficiantque, ut renascatur in ipso aequalis motus, & contrarius illi, qui in ipsarum partium compressione perierat. Transit inde ad motus ab interiori principio genitos, affirmatque necessario existere in rerum natura vivida quaedam & actuosa corpora, quae ex se ipsis moventur ob insitam iis a Deo virtutem, & hanc nunquam immutari, & nunquam destrui posse a contraria vi; sic ut impediri illa quidem possint, quin ex uno in alium transeant locum, minime vero ad quietem cogi. Ad hanc rem explicandam utitur Borellius exemplo hominis, qui a prora ad puppim eadem velocitate, qua navis, movetur. Is enim locum haud mutat, quamvis minime quiescat. Ab hac interna virtute semper actuosa, & ab illius repetitis ictibus caussam deducit motus uniformiter accelerati, cum prius demonstrasset quamlibet externam caussam, etsi continenter impellat corpus, non uno tamen semper tenore atque perpetuo motum illius accelerare posse. Animadvertit etiam non ab omni interno principio motum uniformiter acceleratum gigni posse, sed ab illo tantummodo, quod uno semper tenore, & unam partem versus impellit corpus, quodque minime incumbit impulso corpori. Post haec ingeniosissime sane per experimenta demonstrat grave corpus vel sibi ipsi relictum, vel sursum quomodocumque projectum suo descensus motu aequalia spatia aequalibus temporibus percurrere; & projectionis gravitatisque motus, quibus unum idemque cietur corpus, integros sic permanere, ut quisque suos consequatur effectus. Quibus positis, quaerit quem natura in descensu corporum gravium habeat finem, atque hunc minime in eorum motu, vel in eorum accessione ad tellurem, sed in quiete reperit, qua sint in ipso telluris centro. Hinc transit ad investigandam caussam, ob quam continenter idem descensus acceleretur. Refutatis prius Gassendi aliorumque philosophorum sententiis, suas postea proponit. Ex his autem illam verosimiliorem

Digitized by Google

putat, quae minimas particulas gravium corporum propria quadam virtute praeditas esse ponit, a qua ad telluris centrum finis caussa, quem voluit natura, dirigantur. Haec autem virtus sibi semper aequalis cum desiderium non expleat suum, nisi corpore ad terrae centrum deducto, aequales novosque semper in ipso renovat impulsus. Nemo est in Newtoniana philosophia mediocriter versatus, qui non videat in quas difficultates incurrat hujusmodi sententia. Nihilo tamen minus gratia habenda est Borellio, quod ab errore deduxerit homines, cum eos docuerit gravitatem non posse oriri a mechanico externo impulsu, & posse corpora moveri sine contactu alterius corporis, a quo impellantur. His quasi gradibus accedens ad praecipuum operis sui argumentum, ostendit tempus semper notari posse, quo in cadente corpore concepta jam velocitas minor sit quacunque alia velocitate ab impulsu orta, exinde feliciter concludens gravitatis vim minorem semper esse qualibet vi projectionis. Praetereunda arbitror, quae Auctor parumper a proposito digrediens tradit de magnetica attractione, quod haec dormientis potius somnia, quam philosophi judicia esse videantur. Potius illa commemoranda forent, nisi vererer fatigare lectores, quae de mollitie, duritie, elasticitate, & fluiditate corporum exponit; post quae rediens ad propositum, non plane se contentum dicit, ut probet percussionis vim infinitam esse, ratione illa, quae nititur differentiae, quae est inter pondus premens & percutiens corpus in figendo clavo, quapropter aliam luculentiorem affert ab eo deductam, quod minimum quodcumque corpus impactum librae brachio attollere potest praegrande pondus alteri appensum brachio, & vincere contrarium gravitatis nisum quantumvis magnum. Hinc sapienter dilutis iis, quae objici poterant, explicandum suscipit tremorem percussorum corporum, quem comparat pendulorum & laminarum elasticarum vibrationibus. Id ut melius comprehendatur, intelligi jubet corpora minimis quibusdam armillis flexibilibus, & per infinitos poros distinctis composita, quae quidem armillae per ictum alicujus corporis compressae, cum pristinam figuram recuperare nitun-

Digitized by Google

tur, alternatim producantur & contrahantur, in quo proprie tremor consistit, necesse est. Rationem autem investigans quare armillae in eo statu compressionis ab externo ictu inductae non perseverent, a corporibus mollibus corpora flexibilia distingui jubet. In illis partes ita transferuntur, ut si exempli caussa plumbi lamella flectatur, cum violenter in oppositis lateribus particulae constipentur, & rarefiant, quae compressae sunt suis e locis expulsae in poros confugiant, quos aliae particulae vacuos reliquerunt; quare cum jam usquequaque eadem sit lamellae densitas, non est cur ad pristinum illum statum redire debeat, aut possit. Non idem in chalybis, aut vitri lamina contingit. Quanquam enim in ea sit eadem compressio & dilatatio particularum, non tamen eadem translatio fit: quapropter cum pori alicubi plus aequo coarctentur, alicubi plus aequo amplificentur, necessario consequitur, ut aer ambiens, & innumera praecipue corpuscula sua se virtute moventia aut ignea, aut lucida, aut magnetica, aut aliorum generum in corporibus ipsis insita, & per eos, de quibus loquimur, poros errantia majorem vim in angustioribus, ob majorem quam nanciscuntur oppositionem, exerceant; ex quo facile fit, ut eosdem poros rursus amplificent, atque hinc particulas ad priores contactus, & corpus ipsum ad pristinam figuram redire cogant. Quod ut confirmet ab exemplo termometri in aquam calidam immersi, in cujus vitro eadem fere contingunt, cujusque effectus veram explicationem ipse primum a se allatam gloriabatur, similitudinem transfert. Haec, quam probavit Borellius, sententia, quamvis in multas gravesque dilabatur difficultates, ob id tamen commendanda est, quia hoc differre corpora elastica ab mollibus docet, quod horum partes, contra ac fit in illis, ab propriis nativisque contactibus in alios prorsus aequales, & aeque validos transferantur. Cui principio si generalem materiae attractionem adjunxisset Borellius, ipse profecto destinatam Newtono laudem praeripuisset. Idem cum observasset in gravium corporum casu ab actione gravitatis, replicatis ictibus, valde vehementem impetum paullatim produci, nec non repetitos ictus, quanquam admodum

Digitized by Google

leves, in pendulo etiam vasto mirae cujusdam velocitatis caussas esse posse, consecutionem elicit, quae παραδοξον illi videtur, id est parvam eamdemque debilem vim Impetus se ipsa majoris aliquando caussam esse. Ex rebus autem hactenus explicatis occasionem sumit Borellius ea tentamina corrigendi, ex quibus Gassendus, Mersennus, aliique inferebant, onera super trutinae lancem imposita, & per alterius corporis in altera lance ictum elevata, esse in proportione impetus, quo fit idem ictus: quo loco impetum percussionis, & gravitatem, aut pondus corporum non posse alterius alterum esse mensuram ostendit. Tum alia multa promit egregia vel ut auctores, quos diximus, vel ut Aristotelem convincat opinantem graviora in ipso motu, quam in quiete evadere corpora, hoc argumento ductum, quod securis magno quovis onere pressa, non tam profunde subjecta corpora findat, quam impetu quodam certo agitata atque vibrata. Demonstrat itaque Borellius nullum a motu oriri ponderis incrementum; ac demum explicat qui possit a solo gravis corporis pressu fieri aliquando cavum in corporibus mollibus aequale illi, quod ab ictu levioris corporis fieret, quin inde inferri queat vim gravitatis aequalem esse vi percussionis. Ita opus concludit, ac monumentum aere perennius, in quo si errata quaedam deprehendantur, nemo tam sit inhumanus, quin egregio Auctori non alium seculo magistrum & ducem, quam se ipsum, ea facile condonet (1). His veluti positis fundamentis, alia plura, quae ad gravium corporum motum pertinent se in lucem prolaturum pollicitus est, quod & praestitit, sed antequam de iis dicamus, rerum ordo postulat, ut exponamus reliqua memoria digna, quae ipse in Etruria gessit. Malpighii patrocinium suscepit ad-

(1) *Vide sis Christiani Hugenii judicium de hoc opere in libro epistolarum ad Leopoldum Medicaeum Tom. I. pag 217.*

adversus Jo. Finchium, qui obstinate negabat illum omnium primum vidisse in thunnis, & xiphiis, aliisque similibus piscibus nervum opticum non ex capillamentis, vel funiculis in fasciculum collectis, ut in homine & quadrupedibus, sed ex complicata quadam membrana constare. Quae exaravit Borellius pro amici defensione (non enim tum rupta, aut laxata summae inter eos conjunctionis vincula erant) relata fuere in volumen, quod inscribitur: *Malpighii opera posthuma*. Hoc volumen si quis adeat, ibi quoque plures offendet Borellii epistolas ad ipsum Malpighium datas de contagiosis febribus, quae Pisas, earumque viciniam an. 1661. luctuose afflixerunt. Porro majorem vim habuit amor publicae incolumitatis ad cohortandum Borellium, ut propius contemplaretur tum in cadaveribus, tum in aegrotis harum febrium caussas & effectus, quam ejusdem timidus animus, quem solitus fuit in periculis ostendere, ad deterrendum. Ex ipsius epistolis illud quoque apparet, una cum Carolo Fracassatio, qui anatomen apud nos exercebat, multa instituisse experimenta ad exquirendum an, ex uno in aliud corpus sanguis, & per venas cibi & medicamina in ipsum corpus transmitti possent. Non est credibile quantam animalium copiam ad has aliasque tum medicas, tum anatomicas praesertim investigationes secuerit Borellius totis duodecim, quibus in Etruria fuit, annis. Haec vero aliaque doctrinae adjumenta nunquam ei non suppeditabantur a liberalitate Magni Ducis, cui erant, raro sane inter Principes exemplo, vivaria non ad pompam, aut voluptatem gustus, venationis, & piscatus, sed ad naturae scientiam amplificandam. Nec semel accidit, ut cum delati sibi essent rariores aliqui pisces, hos aut Borellio, aut Redio donaverit, ut in iis, si quid animadversione dignum erat, notarent. Et quidem inter Borellii litteras ad Leopoldum Principem nonnullas inveni, quae hujusmodi piscium anatomicam descriptionem continent. An 1666. factum est opera praesertim Borellii, ut phosphori Bononiensis conficiendi artificium, quod cum ejus inventore Helmontio interiisse existimabatur, renovaretur. Non mediocriter enim erat ille in chemicis exerci-

Digitized by Google

tationibus versatus, quas plurimum sibi profuisse ad naturae cognitionem dicebat. Nam ut belle Franciscus Baco: quemadmodum cujusque ingenium melius in adversis, aut in perturbatione aliqua insolita se prodit, quam dum omnia ex animo procedunt, sic naturae arcana longe facilius assequimur, cum per ignem, aut alia artis subsidia illa varie vexatur, quam dum itineribus suis progreditur. Inventio vero aut occultarum, aut admirabilium rerum non solum laudes, sed etiam emolumenta Borellio pariebat: saepe enim hac de caussa grandi pecunia a Magno Duce donatus est. Quanquam intelligebat Borellius se carissimum esse Mediceis Principibus, iisque inprimis debere, quod sui nominis fama non Etruriam solum, sed & remotissimas regiones peragrasset, ingenium tamen ejus inquietum & inconstans illi persuasit, ut Etruriam desereret, ad suosque Messanenses, a quibus invitabatur, rediret. Cujus rei veniam ut impetraret, praetexuit Pisani caeli intemperiem, cupiditatemque liberius ac tranquillius studiis suis vacandi. Invitissime Medicei Principes a se tantum virum dimiserunt, absentem etiam honorarunt (1), & Leopoldus praedixit ei, fu-

(1) Restando noi a pieno soddisfatti della puntual servitù resaci dal Dot. Gio. Alfonso Borelli nel tempo che ha esercitato la carica di Lettore delle matematiche nel nostro Studio di Pisa, da cui per causa delle sue indisposizioni si è licenziato, vogliamo però in segno della stima, che facciamo del suo valore, e dell' aggradimento, che conserviamo delle sue virtuose fatiche, che resti benchè assente con tutte le prerogative, honori e preminenze, come se attualmente proseguisse a leggere nel medesimo Studio, e preghiamo tutti i Principi, Repubbliche, & Signori per gli stati e giurisdizione de' quali gli occorrerà di transitare, o di fermarsi, di considerarlo come tale per corrispondere loro in simili e maggiori occasioni.

Ferdinando 21. Maggio 1667.
in Firenze.

turum tempus, quo Academiam Pisanam, Etruriamque requireret. Nihil postea accidit adversi Borellio, quin hujus praedictionis dolenter sane recordaretur; nec amplius illi licuit, quamvis efflagitaverit (1), ad suum pristinum munus redire. Id autem eo mirabilius videri debet, quod statim ac Borellius ex Etruria excessit, summum ejus doctrinae desiderium consecutum est, quodque multos postea annos sic viguit illius nomen, ut ii soli in rebus physicis & mathematicis vere docti viderentur, qui ex ejus schola prodiissent. Fuit quidem annus 1667. Lyceo Pisano luctuosus ob discessum non tam Borellii, quam Antonii Olivae, & Caroli Renaldinii, qui cum ex sententia Leopoldi primas etiam egissent in Academia *del Cimento* (2), videbatur haec diutius sine tantorum virorum opera non posse consistere. Et quidem illa non multo post esse desiit; cujus rei hanc etiam caussam fuisse reperio, quod Leopoldus Cardinalis factus totum se ad rerum divinarum studia converterit. Messanam, quam, ut diximus, alteram patriam vocabat, cum rediisset Borellius, plurima & honorificentissima amoris testimonia accepit a civibus suis: a Jacobo vero Ruffo Francavillae, ut appellabant, Vicecomite habuit amplam domum, & amoenum ac suburbanum rus, & censum ad laute vivendum. Dedecat se Ruffus Borellio ab ea aetate, qua coepit geometriae studere, & cum ipso Pisas venerat, ac quinquennium ferme vixerat elatus studio res mathematicas ac physicas noscendi. Cui desiderio suo cum satisfecisset, non putavit posse melius uti amplissimis, quae possidebat, fortunae bonis, quam si ea cum amantissimo praeceptore suo communicasset. In otio, quod Messanenses fecerunt Borellio, hoc ad ani-

L l l 2

(1) *Redius in epist. ad Bellinium, quae extat in Vol. IV. operum ejusdem Redii edit. Venet.*

(2) *Epist. 89. Vol. I. epist. ad Leopold.*

mi sui fructum atque laetitiam is ducebat esse permagnum investigare si quid rarum esset, & singulare in Sicilia, quod ad naturalem historiam pertineret, & de quo ad Leopoldum Cardinalem, ut ad hominem harum rerum inprimis curiosum & intelligentem perscriberet. Hujus vero & Regiae Anglicanae Societatis, in quam erat adscriptus, rogatu contexendam suscepit *Historiam & meteorologiam incendii Aetnei anni* 1669. quam eo, qui consecutus est anno, vulgavit. Porro homini philosopho, qui totus erat in naturae prodigiis contemplandis admirandisque non potuit non summe esse jucundum vidisse

. . . . . undantem ruptis fornacibus Aetnam
Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa.

Facta prius descriptione Aetnei montis, enumerationeque insigniorum eruptionum, & rerum, quae illas comitari solent, convellit eorum opinionem, qui igneam materiem, qualis est sulphur, nitrum & bitumen non in ipso nasci monte, sed aliunde per cuniculos ad illum deferri existimabant. Ignem non conflictu atque tritu, sed fermentatione, sicuti fieri videmus in calce aqua aspersa, ibi elici probat; quodque opus in hujusmodi accensione efficiat interjectus aer, & per foramina ac spiramenta in montis viscera intrusus, ostendit. Igne accenso, terra, arena, & saxa partim avulsa e lateribus, partim e culmine montis decidentia, concoquuntur, atque in vitreum liquorem ope salium, quibus abundare montem illum ex ammoniaci salis copia praesertim conjicitur, convertuntur. Quomodo vero ea concrescant iterum, & qui fieri possit ut delapsa in aquosos locos vel per totum annum tenues flammas emittant; quantum ex hujusmodi eruptionibus altitudo montis minuatur; qua de caussa extinguantur ignes renoventurque, prosequitur Borellius in exstrema operis parte, ubique spargens semina non tam physicae, quam chemicae doctrinae. Eodem tempore, quo haec vulgavit Borellius, edidit etiam librum *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*. Postquam exposuisset sen-

tentias Archimedis, Galileii & Stevinii, & sua quadam methodo confirmasset, convincit erroris Cartesium, qui minimas liquidorum partes nunquam quiescere affirmabat; & adversus Peripateticos multis argumentis & experimentis probat quiescentem aquam premere gravitate sua non tam subditam terram, quam se ipsam. Adeo enim alienum a vero esse ait, quaelibet suis in locis quiescentia corpora gravitatis vim haud exercere, ut hanc potius idcirco exerceant, quod quiescant. Dum diluere vult omnia, quae ab adversariis objiciebantur, rationem afferre necesse erat, cur urinatores aquae pondus non sentiant; eamque recte posuit in aequalitate virium, quibus totum premitur aequaliter corpus, quod argumento esse potest ipsum omnino postea descivisse a Michelinii sententia, pro qua pugnasse narravimus. Comprobata gravitate aquae & similium liquidorum corporum, convellit Aristotelis opinionem, quae scholas omnes oppleverat, de *levitate positiva*, apertumque facit corpora omnia, & horum quoque elementa habere vim, qua feruntur in terrae centrum; idcirco vero sursum subvolare aerem, ignem, horumque similia corpora, quod a graviori ipsa circumdante liquido pellantur. Quanta vero illa sunt, quae flammae, fumi, & aeris inprimis proprietates explicant! Illa sequitur Borellius, quae paullo ante proposuerat in Academia *del Cimento* ad comprobandum mirum aeris elaterium, affirmatque adeo comprimi & dilatari posse aerem, ut ejus moles in diversissimis hisce statibus sese habeant ut numeri I. & MM. Omnia, quae ab aeris elaterio pendent, phaenomena explicare se posse arbitratus est, si posuisset minimos aeris tubulos constare ex tenuissima virga ramosa, vel fascia in spiram revoluta. Sic enim facilius comprimi posse aerem, & statim, sublata vi comprimente, explicari, suumque in pristinum restitui statum putabat. Excogitaverat & alias hypotheses, quas in medium affert, quasque omnes illi, quam innuimus, se posthabuisse dicit. *De attractiva* vi pluribus sic disputat, ut a physica illam procul amandandam censeat; nititurque probare omnia corpora, quae attrahi videntur, aut sponte sua, aut ab externa vi aliorum corporum, a quibus am-

Digitized by Google

biuntur, impelli. Elementa illa, ex quibus aqua ceteraque constant liquida, esse ait corpora dura, inter se divisa, sphaericae similisve figurae, sic ut facile alia super alia excurrant; nec non aequali gravitatis vi praedita, qua tendant deorsum, & ad libellam sese componant. Quodlibet vero aquae elementum subtili & brevi quadam lanugine vestitum esse dicit, quae compressa flectatur, sibique reddita subsiliat. Tali modo rationem se explicare posse putat, quare in aqua nonnihil insit glutinis, & quare ipsa quibusdam liquoribus commisceri recuset. Nam aquae villi cum incidant in alterius liquoris villos, ab his flectuntur, ac retrorsum impelluntur. Ex Galileii sententia contra Aristotelem ceterosque Peripateticos demonstrat omnia gravia corpora cujusvis illa sint ponderis, magnitudinis & figurae, aequali velocitate, & hanc quidem non infinita, in inani descensura. In hoc etiam Galilejum secutus est, quod gravitatem constantem esse putaret, quamvis aliter Guidoni Grandio visum sit (t). Hic enim ex propositione CLXIV. hujus, de quo loquimur, libri, colligere se posse arbitratur, docuisse Borellium gravitatem, saltem quod ad aquas pertinet, directam, ut loquuntur, distantiarum a centro terrae rationem sequi. Quantum vero liquida, in quibus moventur corpora, illam velocitatem variare possint, antea jactis hydrostatices fundamentis, acute satis, ut illis temporibus, persecutus est, id sibi merito dans laudi, quod hanc physices & mechanices partem omnium primus illustraverit. Nam Galilejus ipse aliquid potius hac de re conjecisse, quam demonstrasse videtur. Ne vero aliquid operi deesset, novis argumentis errorem illorum convincit Borellius, qui corporibus omnia obsideri spatia, nullumque inane esse posse affirmabant; ac demum librum claudit suam de glaciei phaenomenis opinionem exponens, de qua supra aliquid innuimus. In toto hujus operis itinere

(t) Note al trattato del moto accelerato. *Vid.* opere del Galil. Tom. III.

habuit Borellius duces geometriam & experientiam, dolendumque quod his interdum hypothesis, quanquam raro, sese comitem adjunxerit. Id autem illis praesertim mirum videbitur, qui norunt omnes Academicos *del Cimento* una mente consensisse de ablegandis a physica hypothesibus: sed ego Borellio ignosco, qui habet excusationem vel temporum, vel necessitatis. Susceperat enim explicandas caussas omnium rerum, quas suis, vel alienis doctus experimentis didicerat *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*; neque id sine aliquo hypothesium subsidio praestari potuisse videtur ab homine, qui praeter gravitatem, nullas alias magis generales naturae leges agnoscebat. Edito hoc libro, quanquam dies ac noctes cogitaret Borellius de absolvendo magno & arduo opere *de motu animalium*, aliquid tamen de acerrimo illo studio, quo ferme a puero fuerat incensus (solitus enim erat XIII. diei horas in litteris consumere) remisit, volens in omnium rerum abundantia solutius ac tranquillius vivere. Id exigere ab ipso videbantur provecta aetas & gracilitas corporis (sanguinem enim in adolescentia evomuerat) & imbecillitas virium, quam contraxerat praesertim ex morbo, quo non multo postquam redierat in Siciliam, conflictatus fuit. Sed ipsa oblectamenta & solatia Borellii sibi, aliisque erant fructuosa. Peragravit maximam Siciliae partem monumenta antiquitatis, & quidquid esset admiratione dignum conquirens. Saepius dabat litteras de rebus physicis ad Michaelem Angelum Riccium, quocum opera Octavii Falconerii jamdiu in gratiam redierat, ad Henricum Oldenbourghium Regiae Anglicanae Societatis a commentariis, ad Christianum Hugenium, ad Jo. Dominicum Cassinium, aliosque Parisinae Academiae socios (erat enim in spe magna fore ut brevi in illorum numerum referretur) & ad Joannem Denisium. Narrat hic se a Borellio inter cetera didicisse acriorem esse sensum sinistri oculi, quam dexteri, hujusque rei veritatem non uno experimento comprobasse. Collegit Borellius opuscula quaedam mathematica Francisci Maurolyci Abbatis Messanensis, quem merito instauratorem mathematicarum disciplinarum appellabat, ea mente ut in lucem ederentur.

Digitized by Google

Edidit vero carmina Simeonis Raui Episcopi Pactensis, quo nemo ei fuit nec amicior, nec carior. Sic enim illum adamaverant Sicelides & Etruscae musae, ut merito in principibus illius aetatis poetis numeretur. Ut autem corrigeretur si quid minus diligenter in iis carminibus esset elaboratum, usus est Borellius opera Alexandri Marchetti; quanquam & per se ipsum id praestare poterat. Nam ut ab eodem Marchetto accepimus (1) non expers fuit ille poeticae suavitatis. Gratum quoque erat Borellio praeclarae indolis adolescentibus, qui domum suam ventitabant, commonstrare viam, quae ad philosophiam ducit, & ut fieri solet (non ut ipse dux esset) digitos ad fontes intendere. Celebrabatur etiam quotidie ejus domus maxima frequentia civium, ac nobilissimorum hominum splendore. Horum plerosque sollicitare existimabatur, ut ab Hispanorum imperio deficerent. Sed quod hujus rei nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabatur de tali tamque claro viro suspicionibus oportere judicari. Demum se ipsa res aperuit anno 1674.; cumque in conjuratorum numero Borellius haberetur, sui peccati poenam exilio pendere debuit. Scripsit Marchettus illum postea se purgasse de oblato crimine; sed ego potissimum Joanni Baptistae Carusio, aliisque gravissimis rerum Sicularum Historicis credo, qui non dubitanter affirmarunt Borellii lingua, quasi flabello seditionis, illam ambitiosorum hominum societatem diu fuisse ventilatam. Ipse pulsus Messana, exulans atque egens Romam venit, seque ad Christinam Svecorum Reginam, tanquam ad patronam, applicuit. Pro suo singulari in litteras amore Regina non modo in clientelam, sed etiam in Academiam suam excepit

---

(1) *Videnda est Epistola 109. vol. 1. epist. ad Leopoldum. Admonendi tamen sunt lectores ne omnia ad veritatem in illa epistola perscripta fuisse putent. Nam Marchettus in laudandis moribus Borellii nimium amori in praeceptorem concessisse videtur.*

pit Borellium, non dubitans eximiam hujus doctrinam magno ei ornamento fore. Quoniam vero ipsi videbatur Borellius scientiam physices tanquam filiam osculari suam, satagebat ne moeror egestasque, neve alia res ulla illum averteret a persequendi operis *de motu animalium* studio. Tamquam vero extraordinaria pensa ab illo exigebat, ut aliquod physicum argumentum interdum de scripto exponeret in Academicorum corona. Non est tamen hoc loco praetereunda Reginae, seu potius illorum temporum levitas. Haud negabat ipsa fidem praedictionibus, notationibusque cujusque vitae, quae ex natali die, aliisque astrologicis signis fieri solebant; cumque plures sint quos suus delectat error, commisit Regina Borellio, ut oratione probandum susciperet gravem injuriam Astrologiae illos facere, qui negant inter conjecturales artes illam adnumerandam esse. Paruit Borellius Reginae mandato; & quidem hominem summi judicii risisse arbitror, postquam intellexit plures extitisse, qui suas esse aliquid putaverint nugas. Post haec exposuit Reginae & Academicis collegis suis observata a se ineunte Sextili an. 1671. in Aetneo monte, ad quem idcirco redierat, ut praetermissa quaedam in sua *meteorologia incendii Aetnei an.* 1669. suppleret. Perplacuere etiam quae de forma veterum triremium, de qua dissidebant inter se antiquitatis explicatores, disseruit Borellius, harumque dissertationum exemplaria Romae extant tum in Vaticana Bibliotheca, tum apud Religiosos homines Scholarum Piarum. Neque minus gratum erat Christinae Reginae doceri a Borellio de caelestibus rebus, quas ipse & Adrianus Auzoutius, qui iis temporibus Romae commorabatur, pro parium studiorum conjunctione observabant; quin immo si quid novi in caelo extitisset, ipsa per se contemplari volebat. Summum istud Reginae studium in litteras litteratosque viros facile persuadebat Borellio, sibi Romae fore locum quietis tranquillitatisque plenissimum: sed illa postea consecuta sunt tempora, ut bona spes cum omnium fere rerum desperatione confligere videretur. Nam solutione a Svecis impedita, saepe accidit ut Reginae aerarium tantas in angustias venerit, ut necessariis vix sumptibus, nedum liberalibus,

satis esset. Ne vero partis antea copiolis frueretur Borellius, perfidia fecit teterrimi famuli (etsi fortasse heri difficillimi mores illum nequiorem reddiderant) a quo non solum pecunia, sed omni pene re spoliatus fuit. Ad ceteras miserias accessit mors Leopoldi Cardinalis Medicei, quam lugere non destitit Borellius ut sibi (& certe illius opibus sustentare potuisset casus suos) utque litteris, omnibusque ingenuis artibus fatalem. His calamitatibus acceptis, statuit quod reliquum vitae foret transigere in sinu & domo Religiosorum hominum, qui dicuntur Scholarum Piarum, a quibus invitabatur erudiendi caussa alumnos in mathematicis & philosophicis disciplinis. In quo exequendo munere, quod plurium horarum operam quotidie fere exigebat, etsi non remissus fuerit, tamen & Academiam Reginae frequentabat, & librum *de elementis conicis Apollonii & Archimedis breviori methodo demonstratis* confecit, & quod jamdiu in manibus habebat *de motu animalium* opus & accuratius tractabat, & politius limabat. Quia vero laborabat Borellius non tam ut solveret, quod XXIV. annos ante promiserat, sicque tandem ea nota essent hominibus, quae nemo adhuc docuerat, quam ut gratus in Reginam cognosceretur oblato ei munere, quo nullum esset neque nobilius, neque magnificentius, ineunte Decembri an. 1679. laetus illi nuuciavit, se jam esse paratum ad opus typis committendum. A se quoque omnia esse paratissima respondit Regina, ut res (neque sane haec mediocris erat impensae) pro dignitate operis conficeretur. Sed tempus, quod exoptatissimae editionis fuit initium, idem fuit terminus vitae Auctoris, qui sane doluit se non extremam manum potuisse imponere quibusdam locis secundi voluminis. Totam hanc rem commendavit amori fideique amicorum, ac praesertim Caroli Joannis a Jesu, qui tum sodalitatem Scholarum Piarum gubernabat. At sicuti nemo pictor inventus est, qui Coae Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquit, absolveret, sic ea quae Borellius non perfecit propter eorum, quae perfecerat, summam excellentiam nemo est persecutus. Multum tamen debent litterae Moderatori, quem commemoravimus, Scholarum Piarum, quod

ejus diligentia factum est, ut opus quam celerrime nitideque in lucem exierit; plurimum vero Reginae Christinae, quod huic rei necessariam pecuniam erogaverit. Opus dividitur in partes duas, quarum prima externos, seu, ut loquuntur, spontaneos animalium motus, altera internos, seu necessarios explicat. Principio declarat Borellius musculorum fabricam & figuram, species recenset, usum actionemque describit, studens non tam probare sua, quam contraria redarguere. Hoc facto, duplicem statuit musculorum vim, alteram fibrarum propriam, alteram a voluntatis arbitrio pendentem, quam idcirco vitalem appellat. Quanta vero sit vis ista vitalis, qua nedum brachium, aut crus, sed totum animalis corpus sustinetur, & ingentia pondera attolluntur & impelluntur, determinare nititur Borellius, nihilque profert, quod non admirationem creet. Exempli gratia mansorii hominis musculi, qui simul sumpti libram ponderis non superant, tanta vi praediti sunt (eadem ferme asserit Borellius de quatuor musculis tibiam fle- [illegible] ponderis librarum D. & ultra. Inter- ctentibus) ut haec aequet vim ponderis [illegible] costales vero musculi majorem etiam vim exercent, cum ex Borellii sententia haec proxime ad vim ponderis MLXVIII. librarum accedat. In his aliisque hujusmodi inquisitionibus illa praesertim efferunt mechanices periti, quae vectis theoriam explicant, quae tradunt modum, quo vires ipsi vecti obliquae in totidem perpendiculares converti possint, quae pertinent ad aequilibrium virium, quae minime sint parallelae, sed quae ita dirigantur, ut per idem punctum transeant, & quae exponunt contractionem & vim catenarum, quae componuntur ex annulis mobilibus rhomboidalibus, in quibus diagonalis linea perpendicularis lineae suspensionis distendi, aut contrahi possit. Haec catenarum hypothesis, quamvis Bernoullio aliisque haud arriserit, quod ipsa animalis corporis fabricae minus aptari possit, ex ipsa tamen maximas rei geometricae & mechanicae utilitates profluxisse nemo dubitaverit. Nullum est motionis genus sive ad gressum, sive ad natatum, sive ad volatum pertinens, cujus principia & effectus non sagacissime exquirat & explicet Borellius ex cognitis ad incognita gra-

dum faciens, illaque omnia studens eliminare, quae errorem gignere possent. Quam opportune vero elegantes ubique proponuntur quaestiones, & ex allatis principiis solvuntur! Cur, exempli caussa, stando alternis pedibus minus defatigemur, quam dum ab ambobus pedibus simul sustentamur; quare aves commodius stent pede in uno, quam homines; quare ipsae stando, ramisque arborum comprehensis absque casus periculo quiescant & dormiant; cur sex aut plurium pedum animalia aegrius stent quam quadrupedes; cur necessario cadere debeat equus, nisi tribus saltem eodem tempore suffulciatur pedibus; quare arte nulla fieri possit ut homo volet; quare aves & quadrupedes, minime vero homines naturali instinctu natent. Claudit Borellius priorem operis partem descriptione cujusdam machinae a se inventae, cujus ope diu sub aqua respirare posse homines putavit. Sed hanc nulli esse usui palam aperteque fecisse videtur Jacobus Bernoullius. Orditur Borellius II. partem ab inquisitione caussarum, ob quas musculi contrahuntur (in contractione enim praecipua & primaria illorum actio consistit) & postquam aliorum evertit sententias, suam quamdam, modeste tamen ob rei novitatem, proponit. Putat enim in musculos pro voluntatis arbitrio a cerebro succum nerveum instillari, huncque cum lympha & sanguine, a quibus perpetuo fibrae & carnes eorumdem musculorum, ut spongiae, madefiunt, sic commisceri, ut simul ebulliant ac ferveant non secus ac oleum vitrioli & sal tartari, indeque inflationem, duritiem & contractionem ipsorum musculorum nasci. Quae perpendens Boerhaavius optare se ait ut earum rerum, quarum vim & effectum vidisse satis gloriosum erat, se ignorare caussam Borellius professus esset, aut saltem ne in illa investiganda ab anatome descivisset: *ceterum*, inquit, *quae habet de musculis sunt certissime egregia* (1). Inter multa vero praeclara omnium consensu illa admirabiliora judicantur, quae musculorum sum-

---

(1) *De Anat. Sect. IV. Cap. III.*

mam vim probant, quae varios ostendunt motus & actiones pro varia ipsorum figura & positione; quae tendinum usum explicant, & quae satis declarant agnovisse Borellium insidere in fibris musculorum vim quamdam illorum propriam, quam tamen minime tantam putavit, quantam esse experimenta docuerunt, postquam *irritabilitatis* nomine ipsa donata fuit. A musculorum motibus voluntariis & liberis ad naturales & necessarios transit Borellius, nihilque earum rerum omittit, quae motum cordis, &, quae ab hoc pendet, circulationem sanguinis declarare posse videantur. Cor verum esse musculum ex fibris maxime spiralibus coagmentatum affirmat; illudque propterea, ut ceteros omnes musculos, eademque de caussa inflari, tendi, ac durescere. Inflatae fibrae ac turgidae cava ventriculorum arctant, & instar praeli sanguinem in his contentum exprimunt. Hunc vero violenter adeo in arterias impelli arbitratur, ut aestimet vim cordis (quis non mirabitur tantulo visceri tantum inesse robur!) centum octoginta millia pondo. Elaborarunt & alii insignes physici Jacobus Keillius, Jurinius, Morlandius, Taborius, Daniel Bernoullius, aliique non pauci in hac indaganda mensura. Sed hi tanta sunt in varietate ac dissensione opinionum, ut magno argumento esse debeat nihil dum certi nos hac in re habere. Nec minus inter se dissident ac discordant illustriores philosophi, dum volunt aestimare quantitatem sanguinis, qui unico pulsu ex corde in aortam, & arteriam pulmonalem expellitur. Tres unicas statuit esse Borellius; paullo ultra Taborius, quinque Santorinius, Lowerus duas, Keillius unam, & semiunciam Harvejus. Spontaneis & naturalibus tertium adjungit Borellius motionum genus, quas mixtas appellat, quod scilicet & libere & naturaliter fiant. Has inter praecipuum tenet locum respiratio, cujus quaenam sint caussae, quibus instrumentis, & quibus fiat modis ita ille explicat, ut multa, quae ad illud usque tempus fuerant incognita, aperiat. Ac praesertim declarat quid agat, ac quemadmodum dilatetur thorax, quod munus, quantaque sit vis costarum, musculorum intercostalium, & diaphragmatis, quod opus efficiant musculi abdominis in violenta respi-

ratione, quot quantasque utilitates & commoda ex sola respiratione capiant animantes, quomodo aer spiritu ducatur, quomodo in abditiores pulmonum recessus penetret, ad sanguinem transeat, & cum eo commisceatur. Commixtum sanguini aerem a suo elaterio, & a varia compressione viscerum, vasorum, carnium, membranarum, & cutis, a quibus circumdatur, motum quemdam tremulum consequi sibi fingit Borellius, hincque fieri ut sanguinis particulae illo motu, dum animal vivit, perpetuo concutiantur atque agitentur. Quo posito, expedite se explicare posse putavit, quod proposuerat Harvejus, qui fiat nimirum ut foetus secundinis exutus, si semel aerem hauserit, ne momentum quidem temporis sine eo vivere queat. Explicat & alias res ad respirationem pertinentes, quae versabantur in quaestione; nec solum perscrutari voluisse omnia videtur, per quae respirando vivimus, sed etiam ea, per quae suffocati vita privamur. Lactis & sanguinis naturam examinat, & quaedam etiam de succo nerveo attingit. Sed ne singula persequar, quod nimis longum esset, permulta sane a Borellio conquisita & coll[illegible] [illegible] collecta sunt de omnibus iis rebus, quae animal gignunt, formant, conservant, ac destruunt. Quam multae etiam prolatae ab eo sunt, quamque de rebus variis maximique momenti tum in mechanica, tum in physica ac medicina & caussae cur quidque fiat, & demonstrationes quemadmodum quaeque fiant! qua ex omni copia plurima & certissima argumenta sumuntur ad totius animalis οικονομιαν explicandam. Nihil dico de ordine, cum omnia geometrice hoc in opere sint disposita; & quae certa & evidentia sunt viam sternant ad occultorum cognitionem assequendam. Quapropter minime est mirandum si Boerhaavius pronuntiaverit Medicum, qui lumine tanti & prorsus *incomparabilis* operis carere voluerit, illum necesse esse in tenebris degere (1). Extitit etiam in Gallia homo do-

(1) *Stud. Med. Part. VII. de Anat. sect. III. Cap. III.*

ctina praestans Petrus Chirachius, qui utilem adeo hujusce operis Borellii lectionem medicinae studiosis putavit, ut novam cathedram in Academia Montis Pessulani excitandam testamento jusserit, e qua quis idem opus ex auctoritate publica explicaret (1). Quae res quamvis ad exitum minime perducta, gloriosissima tamen Borellio fuit. Quam vero magnifica & prorsus singularia illa, quae Bellinius flumen orationis aureum fundens praedicavit de rebus in libro *de motu animalium* contentis (2)! Illi ipsi, qui a Borellio dissentiunt, qui illum arguunt, quod nimis tribuerit mathematicis rebus, qui in ipso *de motu animalium* opere nonnulla notarunt errata, unum tamen praeter ceteros mirantur Borellium, unum dicunt in multis tenebris erroris & inscitiae, quibus obstructa erat animalium fabrica, clarissimum lumen praetulisse; primum mechanicam & geometriam ad medicinam adduxisse, effecisseque industria & ingenio suo singulari, ut quasi peregrinantes medici domum deducerentur. Quod ad errata vero attinet, quibus profecto non carent illius libri, facilis est defensio: angustos esse sensus, infirma hominum judicia, brevia curricula vitae, in profundo, ut Democritus ajebat, veritatem esse demersam, & nihil simul inventum & perfectum. Praeterquamquod quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? Non puto autem necesse iis respondere, qui accusant Borellium, quod videatur abhorruisse a politiori quadam Latine scribendi elegantia. Nam si hanc afferat rerum mathematicarum & physicarum scriptor, non asperner; si non habeat, non admodum flagitem, dummodo complectatur verbis quod vult, & dicat plane quod intelligatur. Iis potius respondebo, qui de vita & moribus Borellii sic judicant, ut ab his omnem commendationem ingenii eversam esse dicant. Fuit is quidem dif-

(1) Histoire de l'Acad. des Sciences de l'an. 1732. p. 129.
(2) Discorsi d'Anatomia Disc. I.

Digitized by Google

ficilis, morosus, invidus, ingenio inquieto, & in novas res avido; sed haec vitia magnis emendata fuere virtutibus, quae praesertim apparuerunt in extremà aetate, postquam scilicet meditatio, ratio, aerumnae, longaque consuetudo ipsarum virtutum nervos corroboraverant, illumque docuerant, quae plerumque homines appetunt & sequuntur, perexigua & minuta esse, nullumque bonum esse cum virtute comparandum. Quoniam vero inter virtutes, tamquam sol inter astra, eminet pietas adversus Deum, hujus quanta & quam illustria signa dederit Borellius ex iis praesertim apparet, quae de illo scripta reliquit Carolus Joannes a Jesu Scholarum Piarum Praefectus (1) quae dum leges facile judicabis minime ab eo, tanquam ab inerti poeta, extremum vitae actum neglectum fuisse. Monumentum habuit in S. Pantaleonis Aede, in quo haec Paulinus a S. Josepho, vir doctrina, & scribendi elegantia clarus hunc titulum fecit:

D. O. M.

JOH. ALPHONSO BORELLIO NEAPOLITANO

PHILOSOPHO MEDICO ET MATHEMATICO

CLARISSIMO

QUI AD CATHEDRAS MESSANEN. PISANAM

ET FLORENTINAM VOCATUS

ILLUSTRIA EDIDIT OPERA GEOMETRICA

PHI-

(1) *Vid. Praefationem Tom. I. Operis* de Motu Animalium.

PHYSICA MECHANICA ET ASTRONOMICA

ROMAE IN ACADEMIAM CHRISTINAE

SVECORUM ET GOTORUM REGINAE

ADSCITUS ET ANNUO CENSU AUCTUS

A SCELERATISSIMO FAMULO

EXPILATA DOMO

IN AEDES SCHOLAR. PIAR.

APUD S. PANTALEONEM SE RECEPIT

UBI ALUMNOS RELIGIOSOS

IN MATHEMATICIS

STUDIIS BIENNIO INSTITUIT

HEIC ADMIRANDUM DE MOTU

ANIMALIUM OPUS

ABSOLVIT SIMUL CUM VITA

PRID. KAL. JAN.

MDCLXXX. AETATIS SUAE LXXV.

CLERICI. REG. SCHOLAR. PIAR. E. T. H.

MAGNO HOSPITI B. M. H. M. PP.

Talem exitum habuit vita Borellii, qui ob singularem doctrinam, celebritatemque famae majori quidem felicitate dignus ab omnibus exiſtimabatur. Itaque fecit, ut vere dictum videatur: *sui cuique mores ſingunt fortunam*.

Post discessum Borellii ab Etruria nullus Pisis per novem & amplius annos fuit mathematicarum disciplinarum praeceptor. Tandem an. 1677. hoc munus delatum fuit ejus discipulo Alexandro Marchetto, qui Pontormi (hoc oppido nomen) natus erat XV. Kal. Martias an. 1632. parentibus Angelo Marchetto & Ludovica Bonaventuria. Coactus obtemperare natu majori fratri (nam pater mature decesserat) de curriculo litterarum deflectit, ut mercaturae operam daret, quod grave adeo illi erat, ut se omnium miserrimum duceret. Vicit tandem voluntatem fratris ea conditione, ut juris prudentiae vacaret, in qua praeceptorem Florentiae habuit Laurentium Librium. Sed libentius cum Musis versabatur, formaveratque adeo illum natura ad poesin, ut quae adolescentulo exciderunt carmina, vel severioribus judicibus probata fuerint. Pisas autem cum venisset, dum philosophiae operam dabat, contempsit, & irrisit etiam lepidis quidem carminibus horridum & incultum Peripateticorum philosophandi genus. Hoc tamen cum sequi cogeretur, videbatur sibi ex servitute, quasi luce libertatis recreatus reviviscere, quoties ad Musas suas se referret. Saepe etiam versus ex tempore fundebat ad lyram, quae res virorum & dignitate & doctrina principum gratiam ipsi conciliavit. Per ea tempora egregiam juvenis indolem & docile ingenium Alphonsus Borellius admiratus, peculiari cura sibi excolendum suscepit, disciplinarum, quas philosophia ac mathesis complectitur, amorem eidem inspirans, optimisque praeceptis, institutisque ejus animum imbuens. Ita sub Alphonso Marchettus profecit, ut primum Lectoris, sicuti vocant, extraordinarii munus magna cum laude obire, deinde Doctoris lauream consequi, postmodum, anno scilicet 1659. logicen docendi provinciam sibi demandari meruerit. Quod autem non leve est ejus doctrinae in geometricis rebus argumentum, ipse Borellius tantum tribuebat Marchetto, ut elementa geometriae, quae docere ipse domi discipulos tenebatur, a Marchetto doceri curaverit, quo scilicet ipse & veteranis discipulis, & operibus perficiendis suis liberius vacare posset. Ea ratione Marchetto contigit, ut cum viros alios litterarum gloria postmodum celebratos,

Digitized by Google

tum Laurentium ipsum Bellinium immortalis memoriae hominem se discipulum habuisse gloriari potuerit. Per annum integrum logicen tradens operam suam omnibus ita probavit, ut cathedram philosophiae extraordinariam adeptus sit, Leopoldi Medicei Cardinalis commendatione. Cathedram eam, nec non alteram, ad quam octo post annos traductus est, ordinariae philosophiae decem & octo fere tenuit annos non sine mediocri acuminis doctrinaeque gloria. Quo enim a Pisana Academia, Borellii maxime vestigia persequens, jugum Aristotelis prorsus excuteret, multa e recentiori philosophia promere, multum experimentis, frementibus licet senioribus quibusdam, qui veluti noctuae lucem refugiebant, tribuere non dubitavit. Sub finem primi ab eo munere suscepto anni Marchettus operi manum admovit, quod primo quidem *Galilaeus ampliatus*, postea *de resistentia solidorum* inscribere maluit. Eo autem in libro cum Galileii opinionem de solidi parabolici aequali ex omni parte resistentia, etiam cum utrinque fulcitur, confutat, tum plurima Galileii ipsius inventis, quae ad solidorum resistentiam pertinent, addit sane curiosa, quaeque magnum usum in aestimanda trabium firmitate ad domos navesque construendas habere possunt. Hac de re etiam tractandum susceperat Vincentius Vivianius ea mente, ut Galileium suum illustraret, & quantum fieri poterat defenderet, utque opus Galliarum Regi recentibus magnisque ab eo decoratus beneficiis nuncuparet. Itaque ut audivit se a Marchetto praeoccuparum fuisse, huncque habere jam omnia parata ad impressionem libri instituendam, vehementer a Leopoldo Cardinali postulavit, ne pateretur se a Marchetto anteverti: indecorum enim se putare, quae tractata & explicata ab aliis antea fuissent, in magni Regis nomine apparere. Facile annuit Leopoldus pro suo in Vivianium studio, & facile quod postulabat obtinuit pro sua auctoritate, & singularibus in Marchettum beneficiis. Constituit tamen sex mensium spatium perficiendae rei, quo consumpto, integra omnia ac libera Marchetto esse deberent. Vivianium quondie aliud ex alio impediit ne opus absolveret: quare Marchettus librum suum in

vulgus edidit an. MDCLXIX. eamque Leopoldo Cardinali nuncupavit. Extitit qui librum hunc aut omni, aut magna ex parte a Borellio conscriptum fuisse affirmaret; sed veritas ipsa flagitat, ut dicam, neque Marchettum ad hujusmodi opus cudendum fuisse ineptum, neque monumenta deesse, praesertim Borellii ejusdem epistolas, quibus contrarium concludi facile possit. Quid vero de hoc opere senserint nonnulli doctrina praestantes homines fusiori oratione prosequitur Franciscus Marchettus in iis libris, quos honori patris, ejus vitam defensionemque conscribens, destinavit, quique professione pietatis aut laudati, aut certe excusati erunt. Dum autem tempus facultatemque memorati edendi operis praestolaretur Alexander, librum quemdam alium, quem inscripsit *Exercitationes mechanicae*, vulgavit. Visus est hic minuisse potius, quam auxisse expectationem alterius libri *de resistentia solidorum*. Nihil enim in illo erat, quod vel minimum adderet Aristotelis, Archimedis, Valerii, Guldinii, Galileii aliorumque praeclaris inventis, quanquam fusius, distinctius, clarius & facilius haec eadem persequi se velle Auctor declaravit. Eodem tempore interpretationi poematis Lucretii Cari, quam solutis, ut nos Itali dicimus, carminibus fecit, quamque ante quadriennium inchoaverat, supremam manum admovit. Opus hoc non modo publici juris facere, sed & Cosmo III. Magno Etruriae Duci cogitavit inscribere: sed impiis Lucretii sententiis obscoenisque dictis offensus Cosmi animus, utrumque fieri vetuit. Quamobrem non alio modo potuisset hic gloriam, cujus supra quam credibile est, erat avidus, quamque maximam ex ea sperabat interpretatione, consequi, nisi multis amicis suis permisisset, ut eamdem privato studio sibi exscribendam curarent. Prodiit illa tandem in vulgus typis Londinensibus, curante egregio poeta Paullo Rollio an. MDCCXXII., ac deinceps alii eam ediderunt typographi. Sed fatendum est multa eosdem typographos in iis adornandis editionibus peccavisse. Non possumus vero non valde assentiri Rollio, qui nihil in poetica prodiisse affirmat superiori saeculo, quod cum Lucretii interpretatione ullo modo conferri possit; per hanc plurimum auctam Italiae, Italicaeque lin-

Digitized by Google

gnae gloriam; non potuisse tantum opus nisi a philosopho, summoque poeta perfici; feliciterque Marchettum eos declinasse scopulos, in quos plerique interpretum incidunt. Nam qui in eo laborant, ut Latina, aut Graeca verba, totidem pene Italicis reddant, quod fideles interpretes haberi volunt, inepte faciunt, atque in illa nimis attenuata diligentia graviter peccant, quoniam quidem res ipsa fit obscurior, deinde Italicae orationis dignitate cultuque destituta sordescit: & qui horum in verbis referendis religionem improbant, putidamque appellant libertatis cujusdam & licentiae amatores, his plerumque contingit, ut dum ad ornamenta toto animo intendunt, ab ipsa sententia longius aberrent, seque potius, quam poetam, quem reddendum susceperunt, exprimant. Summa prudentia igitur summoque artificio praeditum illum esse oportet, qualis fuit Marchettus, qui medius inter has duas syrtes ita navigat, ut naufragium non faciat. Omnino imaginem similitudinemque divini ingenii Lucretii in Marchetto facile agnosces, (quae dum a me proferuntur, vides jam huic me condonare velle mediocria vitia, quae nimis severus Aristarchus Dominicus Lazzarinius illius interpretationi objecit) nec utrumque magis amabis, quam cum ab angusta philosophiae via, quae etiam, docente Marchetto, fit commodior, in late patentes eloquentiae campos evagantur. Laetus prospero successu hujus interpretationis Marchettus, majora se jam audere posse putavit. Itaque hoc sibi sumpsit; ut Lucretium ipsum imitatus, quae veriora sibi viderentur philosophiae capita Italico poemate exponeret. Scripsit hac de re ad Joannem Dominicum Cassinium, sperans per eum se impetraturum, ut opus Ludovico Magno dedicaretur. Quanquam Cassinius spem hujusmodi minime extenuavit, nec poetam, rei difficultatem illi objiciens, ab incoepto deterruit, nihilo tamen minus quod magno ardore susceptum fuerat, brevi refrixit, abjectumque demum operis perficiendi consilium. Alia extant ipsius Marchetti carmina, praesertim lyrica, magna quidem laude digna, quorum alia ipse, alia Franciscus filius, quaedam etiam alii in lucem ediderunt. Suavis enim ac nitida ejus elocutio est; scatet figuris & ima-

giuibus ad vivum res, de quibus agit, exprimentibus; quidquid vult facile dicit, ut non invita trahi, sed sua velnti sponte fluere videatur oratio. Quoniam vero hoc loco sermo est de poeticis Marchetti scriptis, minime silentio praetereunda videtur Aeneidum Virgilii interpretatio, quam vel ab ineunte adolescentia suscepit, & ad V. usque librum perduxit; nec non παραφρασις Anacreontis, quae cum ad summam senectutem confecta ab illo fuisset, satis quidem declarat, ut Anacreontis, sic Marchetti Musas nunquam consenuisse. Venusta enim, elegans, poetica est; & si poetam, minime vero interpretem quaeres, non dubitabis Marchettum Regnerio, Corsinio, multoque magis Salvinio praeferre. Restat ut recenseamus reliqua illius opera, quae ad rem mathematicam pertinent; & recensuisse satis erit, quia nihil continent, quod post inventa Galileii, Torricellii, Hugenii, & Vivianii illam facultatem vel minimum auxerit. Vulgavit enim anno 1674. libellum, qui inscribitur: *Fundamenta universae scientiae de motu uniformiter accelerato a Galilaeo Galilaei primum jacta, ab Evangelista Torricellio, aliisque celeberrimis mathematicis probabilibus rationibus confirmata, nunc vero demum evidentibus demonstrationibus stabilita ab Alexandro Marchetti &c.* & anno post libellum alium, cui titulus: *Problemata sex a Leidensi quodam geometra Christophoro Sadlerio missa; ab hoc vero Germanis Italisque Mathematicis proposita, resoluta autem ab Alexandro Marchetti.* Sed nescio quo pacto ab eo, quod propositum erat, aberravit Marchettus, qua de re cum admonitus ab amicis fuisset, novum confecit opus, quod paullo post hac inscriptione vulgavit: *Septem problematum geometrica ac trigonometrica resolutio.* Erant reliqua problemata V. (duodecim enim posuerat Batavus ille) quae rei difficultate deterritus minime attigit Marchettus. Solvit tamen omnia Vivianius facile eleganterque, & ad attenuandam laudem, quam ex hujusmodi solutione minime quaerebat, librum, quem hac de re conscripsit, nominavit: *Diporto geometrico.* In quo si quis Vivianii modestiam putaret se cognoscere, vehementer erraret. Est enim magni elatique animi minora

contemnere, cum multo majora gignere se posse intelligit. Praeterquamquod Vivianius irridere prae se Marchettum volebat, cum se veluti per jocum perfecisse diceret, quod Marchettus multo studio, multoque labore perficere plane non potuerat. Erant enim inter eos simultates ex iis ortae rebus, quas caussa impressionis libri *de resistentia solidorum* accidisse paullo supra narravimus. Accedebat illa quoque caussa, quod Marchettus, ut homo levis & suspicax, indignabatur se, prout optasset, minime a Vivianio laudari, contraque existimabat in omnibus illius de se dictis aliquid semper inesse malevolentiae. Num Vivianii animum malevolentia in Marchettum idcirco suffusum existimabimus, quod affirmaverit (1) Galilejum, ejusque discipulum Bonaventuram Cavalerium omnium primos demonstrasse *momenta gravium proportionem habere compositam ex proportionibus ponderum & longitudinum*? Quam laudem, quod sibi, arroganter sane, vindicaret Marchettus, id minime ferendum esse putavit Vivianius, ceterique veritatis, non minus quam Galileii studiosi. Deforme enim est de se ipso praedicare, falsa praesertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum. Abfuit tamen a Vivianii objurgatione ira, quanquam instigarent nonnulli, ne rationem Marchetti haberet. Plurima vero in hac controversia iracunde rabioseque & dixit & scripsit Marchettus; cumque ejus scripta multorum etiam in manibus essent, quae acerbiores alere potuissent inimicitias, adfuit vir optimus, pacisque amantissimus Franciscus Redius ad illas extinguendas. Neque minus intellexit Vivianius, cum Marchettus scribendum suscepisset de cometis, qui apparuerunt an. 1680. & 1682. plus conatum fuisse, quam quantum praestare poterat. Pro sua tamen observantia in Redium, cui Marchettus scriptum suum nuncupaverat, tacendum sibi pu-

(1) *In libro, qui inscribitur*: Scienza universale delle proporzioni ec.

tavit, cui caussae accessit, quod error Marchetti, qui putabat cometas ferri per rectam lineam, & ab exhalationibus terrae oriri, communis erat Galileio, Keplero, aliisque magni nominis astronomis. Acerbiores etiam fuisse videntur controversiae, quae inter illum & Grandium intercessere. His caussam dedit Grandii ipsius dictum in praefatione libri *de quadratura circuli & hyperbolae*, quo in loco affirmavit totam illam materiem de resistentia Solidorum vel ab anno 1661. adeo praeoccupasse Blondellum, ut actum prorsus egisse videretur Marchettus. Sunt etiam qui existimant exacerbasse animum Marchetti in Grandium partam huic magnis operibus gloriam, ob quam intelligebat, illum sibi destinari successorem in munere docendi mathematicas disciplinas, quod filio & discipulo suo Angelo conferri voluisset. Simultates eas praeter scripta, quae hinc atque illinc edita sunt, haud leviter Maglisbechii mala studia videbantur augere, cum non aliud antiquius haberet, quam ut Grandium in Marchettum, & Marchettum in Grandium instigaret, ut ex litteris illius ad utrumque datis cognoscere potui. Quae in hac controversia scripsit Marchettus ad defensionem magis commendationemque sui spectant, quam ad offensionem adversarii: in iis vero, quae Grandius exaravit, major acerbitas apparet, videturque insectari & exagitare voluisse omnia Marchetti mathematica scripta, quasi hominis in hujusmodi disciplinis leviter docti. Quin & alia etiam acerbiora edere cogitabat, nisi a Censoribus, ut ipsa postulabat aequitas, prohibitus fuisset. Sic fuit Grandius ultor injuriae, & punitor doloris sui, quo maxime incensus fuit, quando Marchettus coepit irridere, & accusare etiam veluti religioni contrarium caput illud libri *de quadratura circuli & hyperbolae*, ubi Grandius docet; *eam infiniti vim agnoscendam, ut etiam, quod per se nullum est multiplicando, in aliquid commutet, sicut finitam magnitudinem dividendo, in nullam degenerare cogit: unde per infinitam Dei Creatoris potentiam omnia ex nihilo facta, omniaque in nihilum redigi posse*. Quis non mirabitur summos mathematicos Grandium & Eulerum tantam irridendi sui facultatem dedisse, cum alter

li-

Digitized by Google

lineis numerisque mundi principium demonstrare se posse affirmaverit, finem alter ex demonstratis ab se principiis explicari posse indicaverit? Sed missa faciamus quae falsas opiniones, quaeque acerbas controversias genuerunt. Te ita existimare volo minime defuisse Marchetto ad obterendas adversariorum obtrectationes doctrina excellentium hominum de se testimonia honorificentissima, quibus ipsius vitam refersit, quam Italice scripsit Franciscus filius, oratoris magis, quam historici partes agens. Neque minus illi gloriosum, quod expetitus fuerit ab Academia Patavina, & honorificentissimis litteris invitatus ad docendas mathematicas disciplinas, quod ut recusaret patriae & familiae caritas effecit. Duxerat ipse uxorem Lucretiam Cancellariam genere nobilissimo Pistorii natam (& Pistorienses praesertim amabat, quod ab iis civitate donatus fuerat, quodque ex eorum urbe, generosaque stirpe familiam suam ortam minus fortasse vere dicebat) ex qua undecim suscepit liberos. Inter hos quod erat unus illustri ingenio & industria, non insanire sibi videbatur, si parem summis mathematicis fore diceret, sibique successorem destinaret. Prorsus summa diligentia erat in educanda familia excitandaque ad virtutis & doctrinae studium, in ejusque ac musarum sinu dum vivebat, sensim & sine sensu senescebat, ut non intelligeret quando senectus obreperet. Extremo tempore apoplexi correptus diem suum obiit Pontormi, quo in loco rusticari solebat, postrid. non. Sept. an. 1714. Fuit ille natura comis, facilis in omnes, & ad bene faciendum, quibus posset, valde propensus: corpore autem, non illo quidem infirmo, sed tamen gracili, statura mediocri, dulci claraque voce, flavo crine, caeruleis oculis, suavi colore, atque hilari adspectu, ut ii tradiderunt, qui cum ipso versati sunt. Ad mortui tumulum in Aede Pontormi haec posita legitur inscriptio:

Digitized by Google

D. O. M.

ALEXANDRO ANGELI MARCHETTI

ET ALOYSIAE BONAVENTURAE MATRONAE

FLORENTINAE FILIO

GENERIS CLARITATE ET INGENIO CONSPICUO

PHILOSOPHO POETAE AC GEOMETRAE

PRAESTANTISSIMO

PISANAE ACADEMIAE

IN QUA LVII. ANNOS PHILOSOPHIAM

ET MATHEMATICAS DISCIPLINAS SUMMA CUM LAUDE

PROFESSUS EST

DECORI EXIMIO ET SINGULARI ORNAMENTO

NEC NON LUCRETIAE CANCELLARIAE

NOBILISSIMAE FEMINAE PISTORIENSI

EJUSDEM SUAVISSIMAE CONJUGI

PIETATE AC PRUDENTIA SPECTATISSIMAE

JOSEPH CAJETANUS PHILOSOPHIAE DOCTOR

ET FRANCISCUS JUR. CONSUL. NOBILES PISANI

ET PISTORIENSES

OPTIMIS PARENTIBUS MOESTISSIMI POSUERE

A. D. CIƆIƆCCLIV.

Digitized by Google

Quoniam de Angelo Marchetto semel iterumque mentionem fecimus, de eo nunc dicendum videtur. Nam etsi voti compos minime factus fuerit, ut patri succederet in mathematicarum disciplinarum cathedra, locum tamen in Academia obtinuit, cum an. 1704. mechanices magister declaratus fuisset. Quinquennio post jussus est nauticam quoque & militarem Architecturam docere, qua re praesertim consuli placuit Stephanianae militiae Equitibus. Quadraginta & amplius annos huic muneri praefuit (nam mortem obivit Pisis III. Non. Februarii an. 1752.) & expectationi, quam sui vel a prima aetate commoverat, satisfecisse videtur. Etenim vix compleverat XIV. annum, cum Florentiae an. 1688. typis commisit libellum, qui inscribitur: *Conclusioni intorno ai momenti de' gravi sopra i piani declivi*, neque multos post annos, antequam doctrinae insignibus decoraretur (decoratus autem fuit an. 1698.) *antiqua mathematicae elementa nova*, *facili & secura methodo contexta*, seu *Euclidem reformatum*, cui anteivit opus aliud hunc praeferens titulum: *La natura della proporzione e proporzionalità con nuovo facile e sicuro metodo spiegata*: *Pistoja* 1695. Laudarunt opus istud scriptores Actorum Lipsiensium, neque defuerunt, qui laudes quoque tribuerent Marchetto ob ea, quae de Cosmographia paucis disseruit, & ob vulgata carmina quaedam in volumine V. carminum Arcadiae Pastorum. Nil enim tam laborabat, quam ut se paternorum studiorum imitatorem ostenderet. Sed ab ejus gloria, poetica tractans, plurimum abfuit, & uterque, dum recondita & multiplici subtilique in arte mathematicorum versati sunt, minime, quod voluerunt, assecuti fuisse videntur.

Antequam Marchettus Architecturae militaris docendae onus susciperet, Quintilianus Santarellius Florentinus huic muneri praefuerat, cum illud obiisset an. 1693. Praeclara de eo fama erat, quod multam & utilem operam tribuerat Mediolanensibus vel in dirigendis aquis, vel in muniendis arcibus. Docuit & Pisis, quae ad has pertinent artes, ac naturae debitum reddidit V. Non. Maii 1709.

Diximus supra de Guidone Grandio philosophiam docente, quo

Digitized by Google

in munere si pares & superiores habuit, omnes quidem superasse videtur in tractando erudito mathematicorum pulvere. Is natus est Cremonae Kal. Octob. an. 1671. patre Petro Martyre, qui phrygioniam artem exercebat, matre Catharina Legata, cujus praesertim studiis factum est, ut liberaliter educaretur. Usus est magistris Jesuitis Paullo Rossio & Hieronymo Saccherio, qui fuit mira quadam facultate ingenii & memoriae, et Jo. Baptista Canneto viro omni genere laudis excellenti, quem collegam etiam habuit in sodalitate Camaldulensium: hanc enim Grandius ingressus est Ravennae exeunte anno 1687. Doctus ibi a Galaminio ad Peripateticorum philosophiam, haud poterat in ea acquiescere adolescentis animus, qui ex veritate, non ex opinione auctoritateque omnia metiebatur: quare, ut hujusmodi philosophiae asperitatem, quasi condimento amoenitatis mitigaret atque molliret, saepe se ad studia poetica atque oratoria referebat. Atque in his studiis quantum profecisset, cum desiderio arderet ostendendi moderatoribus suis, ab his obtinuit, ut novam instituere posset Academiam (erat enim alia instituta a Canneto ad easdem artes excolendas, ad quam tyronibus coenobii erat aditus interclusus) quae, quod aemula esse volebat alterius laudum, dicta est *de' Gareggianti*. Legi libellum, quem de hujus Academiae historia Grandius ipse conscripsit, ex quo intelligere potui saepe in ea lumen ingenii sui eumdem ostendisse modo Italicis, modo Latinis carminibus orationibusque, judicatumque de eo fuisse, seria docte eruditeque, jocosa lepide semper ipsum tractasse. Ex hac Academia binas alias generatas accepimus, hasque omnes, quoad stetere, laudabili aemulatione inter se concertasse. Romam interea mittitur ad excolenda rerum divinarum studia, in quibus Scholasticorum insulsitates & ineptias perferre debuit. Quidquid vero temporis illi vacabat a schola in evolvendis veteribus monumentis libentissime insumebat; nec facile quem dixerim plus studii acuminisque, quam illum, ad originem, omnemque historiam suae sodalitatis cognoscendam adhibuisse. Quapropter, cohortante maxime Canneto, & Martyrologium Camaldulense conficere, & S. Romualdi vitam a S. Petro Damiano conscriptam copiosissimis commentariis Monachorum histo-

Digitized by Google

riam in primis illustrantibus ornare facile potuit. Sed horum studiorum fructus maximi fuere *Dissertationes Camaldulenses*, quem tamen librum non edidit nisi an. 1707., quod illum & limari politius & probari doctissimorum hominum judicio, antequam ederetur, voluit. Quae quidem judicia non tam grata, quam necessaria erant. Magna enim constituta & parata erat Grandio adversaria credulitas suorum, qui cum primordia sodalitatis augustiora facerent, non tulissent non dicam refelli, sed in dubium revocari quaedam, quae diu & vulgo invaluerant. In his visum illud Romualdo divinitus objectum scalae nescio cujus; alia praeterea ejusdem modi, quae poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis testata rerum gestarum monumentis feruntur. Hae dissertationes, quarum prima est *de Institutione Ordinis Camaldulensis*, altera *de aetate S. P. Romualdi*, tertia *de visione scalae ejusdem & habitus mutatione praetensa*, quarta demum *de S. Petri Damiani & Avellanitarum Instituto Camaldulensi*, vestibula & quasi aditus fuissent annalium Camaldulensium, si in iis conscribendis perseverasset Grandius. Sed coactus alieno vivere arbitrio doluit in plura studia ita se distrahi, ut tanto operi absolvendo minime tempus reperiret. Missus cum fuisset Florentiam ad tradendam suis philosophiam, casu magis, quam judicio sumpsit in manus Cartesii opus, quod de *Principiis* inscribitur. Incensus cupiditate omnia perfecte tenendi, quae in illo continentur, dedit se in geometria instituendum Sebastiano Franchio, quo medico & amico utebatur Franciscus Caramellius coenobii Praeses. Ita celeriter Euclidis elementa arripuit, ut ea non tum primum ediscere videretur, sed reminisci & recordari. Quare minime est mirandum, si ei Franchius praedixerit fore aliquando ipsum longe omnium in mathematicis doctrinis principem. Porro eo brevi pervenit Grandius, ut non solum celebriorum Geometrarum inventa per se noscere, sed nova etiam ex se gignere potuerit, inter quae nonnulla theoremata fuerunt de concoidibus, & cissoidibus, quae etiam postquam omnem aetatem in hujusmodi studiis consumpserat, sibi perplacuisse affirmavit. Eodem tempore elaboravit etiam, ut opus

quod ante quinquennium fecerat de musica, geometria duce, poliret atque perficeret. Totum illud XXIV. propositionibus conclusit, qua circumscriptione nihil elegantius & ingeniosius; neque illud tamen satis unquam dignum putavit, quod in lucem hominum prodiret. Haec quoniam occulta & abdita intra coenobii parietes erant, casus incidit, quo brevi illustris & pervagata fuit fama de Grandii doctrina apud Florentinos. Accitus Florentiam fuerat nobilis quidam Germanus cognomine Bodnausenius, ut ab eo Ferdinandus Magnus Etruriae Princeps in doctrina morum instrueretur. Is, ut erat in analysi, ceterisque mathematicis disciplinis non mediocriter versatus, quaesivit illico, quosnam haberent in iisdem disciplinis praestantes viros Florentini? Cum audiisset unum inter omnes excellere Vivianium, convenit hominem illud rogitans, ut sibi punctum flexus in concoide primaria inveniret. Non invenit, sua synthesi usus, Vivianius, quod cum relatum esset ad Grandium, quid ipse posset, voluit experiri. Eventus ei ex sententia processit; neque est credibile ad quantam admirationem haec res Vivianium, Bodnausenium, ceterosque rerum mathematicarum intelligentes viros traduxerit. Quae non multo postquam acciderant, adivit Grandius Vivianium, quo ei solarium a se confectum ostenderet, rogaretque ab illo, ut nascenti prope laudi suae doctrinaeque praeesset. Ridens Vivianius manu prehendit Grandium. Heus tu, inquit, ducem & magistrum desideras? Non mihi docendus, sed collaudandus videris, quod tantam jam sis facultatem adeptus, ut non aequalibus modo tuis anteponi, sed cum exercitatissimis viris possis comparari. Hujusmodi testimonio maxime stimulatus atque excitatus fuit Grandius ad prodeundum in publicum. Prodiit autem primum, edita anno 1699. *Geometrica Demonstratione Vivianeorum Problematum cum appendice de geometrica quadratura infinitarum partium curvae superficiei conicae*. Res nota est & pervulgata Vivianium, ut illuderet, credo, analysis studiosos, quaesiisse ab iis *formam Testudinis Hemisphaericae, sed quatuor aequalibus ac similibus, similiterque positis fenestris ita interruptae, ut his detractis*

reliquum hemisphaericae superficiei sit absolute quadrabile; & extitisse Leibnitium, qui eodem die, quo accepit hujusmodi aenigma (sic enim appellabatur a Vivianio) illud ipsum non uno, sed plurimis modis, suo usus calculo solvit. Postquam haec acciderunt, Vivianius edidit *Exercitationem mathematicam de formatione & mensura fornicum*, qua non solum commemoratum problema elegantissime solvit, sed de aliis quoque fornicum generibus multa sane curiosa in medium attulit. Hanc exercitationem Grandius Latinam fecit, & in eam permulta addidit de suo, cum demonstrasset, Cavalerii methodum indivisibilium adhibens, omnia ea, quae Vivianius tantummodo proposuerat. Addidit quoque appendicem, in qua de fornicibus agens conicis, demonstravit, *quamvis portionem superficiei conicae recte esse ad portionem basis per cadentes a singulis punctis sectionis in subjectum planum perpendiculares, ichnographice determinatam, ut latus coni ad radium basis*; quo innixus theoremate docuit, quonam modo in fornice conico fieri debeant fenestrae cum parabolicae, tum hyperbolicae, sic ut quod superest quadrari possit. Hujusmodi testudines Vivianii exemplum secutus, qui novum suum velum *velum Florentinum quadrabile* nuncupavit, *tentoria, seu tabernacula Camaldulensia quadrabilia* appellavit Grandius. Num autem ipse de se vere praedicaverit primum omnium dimensum fuisse ac descripsisse hujusmodi testudines, ii facile judicabunt, qui allata a Grandio conferent cum iis, quae in acta Eruditorum Lipsiensium an. 1696. intulit mathematicus summus Jo. Bernoullius. Dum Florentiae elaborabat Grandius, ut perfectus geometra evaderet, missus iterum Romam fuit ad tradendam suis rerum divinarum scientiam. Impositam theologi personam ita sustinuit, ut non abjecerit illam geometrae. Quapropter frequentissime versabatur cum Dominico Quartaronio aliisque celebrioribus mathematicis; tantum dabat geometriae non solum, sed etiam analysi temporis, quantum scholae superesset, & ipsas interdum theologicas quaestiones illustrare se melius posse arbitrabatur, si iis geometriae lumen addidisset. Sic cum de visione Dei ageret, ut unam

rem ex. gr. ponam, exponebat discipulis suis animadversa a se se deseriebus decrescentibus, harum symptomata spatiis hyperbolicis comprobans. Mansit Romae Grandius ad Octobrem usque an. 1700. quo tempore, commendatione maxime Cardinalis Norisii, in Pisana Academia extraordinarius, ut supra diximus, philosophiae Doctor declaratus est. Ea, quae docuit, non multum a Cartesianorum disciplina abhorrebant; & quamvis non ignoraret etiam, quae alii physici & Galilejus in primis tradidissent, non tamen multus in iis erat, quod hujusmodi studia non plane ingenio suo satisfacerent. Quapropter non dubitaverim Grandium Neoptolemo illi assimiliare, quem Cicero apud Ennium dixisse narrat: *philosophari sibi necesse esse, sed paucis; nam omnino haud placere*. Studia, quae ducebant inflammabantque Grandium, ea ferme erant, quae ad mathesin spectarent: neque enim poterat tale ingenium nisi in explorata veritate adquiescere. Illa se provehere arbitratus est, si proprietates logisticae, seu logarithmicae lineae ab Hugenio extrema in dissertatione *de caussa gravitatis* propositas, minime vero demonstratas, ipse pluribus modis demonstrasset; quod cum felicissime praestiterit homo ingenio prudentiaque acutissimus, nemo existimabit rem mediocris ipsum praestitisse laudis ac gloriae. Vere enim Galilejus: *longe sublimioris ingenii est alieni problematis enodatio, aut ostensio theorematis, quam novi cujuspiam inventio. Haec quippe fortunae in incertum vagantibus obviae plerumque esse solet; tota vero illa, quanta est, studiosissimam attentae mentis in unum aliquem scopum collimantis ratiocinationem exposcit*. Nemo est, qui ignoret theoremata illa ad logisticam pertinentia magnos usus attulisse Hugenio ad explicandum motum corporum in resistenti medio, sive manu projiciantur, sive proprio pondere ipsa descendant. Sed Grandius, quanquam videbat si ea theoremata solverentur, magno physicis usui fore, non tamen physici partes agere voluit, praesertim cum dissentiret (& jure quidem) ab Hugenio, qui in ea erat sententia, resistentias mediorum crescere eadem ratione cum velocitatibus corporum. Continuit ergo se finibus geometriae:

triae: neque so'a theorematum demonstratione industriam definivit suam; multa enim protulit nova de lineis praesertim curvis earumque tangentibus, utens lineis illis, quas *Correlatas* vocavit, quarumque se inventorem dicebat. Nec immerito. Nam quamvis earum antea indicia dederint Robervallius atque Jacobus Gregorius, nondum tamen ad ejus manus eorumdem opera pervenerant, obstupuitque postquam inter Gallos & Britannos de hujusce inventionis gloria litem esse intellexit. Addidit libro epistolam quamdam ad Thomam Cevam e S. J., virum sane omni liberali doctrina ornatum, quo neminem conjunctiorem tum ipse habebat, & quocum jamdiu ei commercium erat de rebus ad mathematicas disciplinas pertinentibus. Et profecto hic erat epistolae locus opportunus & aptus ad ea, quae antea tractaverat Grandius. Agit enim de logistica ex quodam cylindro resecta, qua occasione alia multa traduntur, in quibus spiralium diversi generis origo, spiralis Archimedeae, & parabolae Apollonianae aequalitas, infinitarum parabolarum & spiralium comparatio, novus cycloidis rectificandae modus, & alia istius generis plura. Neque hoc in loco tam vera invenire, quam falsa convincere voluit Grandius, cum contenderet, Sturmium, Guarinium & Renaldinium ea in relapsos esse, quod spiralem semicircumferentiae circuli genitoris aequalem, non vero majorem esse putaverint; Borellium quoque rationem fugisse affirmantem, duas ejusdem spiralis revolutiones esse inter se, ut sunt circulares zonae, quibus comprehenduntur. Si quis vero haec minus praedicanda esse duxerit, quod nunc sublimioris analysis ope paucis lineis confici ea omnia possint, quae Grandius multis paginis exposuit, nae ille vehementer erraret. Magno enim semper in pretio fuit veterum geometria, semperque erit, quam dum tractaret Grandius, satis ostendit singulari ingenio se praeditum esse ad omnes statim noscendas vias, quibus eo, quo intendebat, perveniri posset, nec minori judicio ad rectissimam expeditissimamque eligendam. Et haec quidem facultas exercitatione atque usu adolescit, minime gignitur. Suppeditatur illa ab ipsa natura, adeoque dominatur

Digitized by Google

in omnibus disciplinis & artibus, ut sine ea nemo possit ad excellentem praestantiam pervenire. Porro homines summi summis laudibus debitam meritamque gratiam retulerunt Grandio ob edita opera *de theorematis Hugenianis, & de problematis Vivianeis*, minimeque pigebit illustriorum testimonia infra exscribere (1). Nec illud quoque ad laudem Grandii mediocre fuit, quod cum Gravesandius opera Hugenii omnia collegisset, edidissetque in lucem, locum inter ea dederit *Geometricae Demonstrationi theorematum Hugenianorum*, in qua etsi pauca quaedam notare se posse putavit, integrum tamen opus summo dignum esse geometra judicavit. Hoc opus secutum est illud, quod inscribitur: *Quadratura circuli & hyperbolae per infinitas hyperbolas & parabolas geometrice exhibita &c.* Volebat sane Grandius, tan-

(1) Ut legi, *inquit Eustachius Manfredius*, Demonstrationes tuas Vivianeas, ac Hugenianas, statim judicavi posse te cum praecipuis aevo nostro geometris conferri, & ex Italis certe conferri tecum posse, quod sciam, neminem. *Jacobus Hermannus haec ad ipsum Grandium scripsit*: Vivianea & Hugeniana theoremata magno cum acumine demonstrata dedisti, & ad multas alias meditationes geometricas methodos tuas mira cum dexteritate extendisti, qua in re & id etiam inter alia magni faciendum puto, quod omnia ad simplicissima, geometria Euclidea & Apolloniana, elementa summa cum perspicuitate revocasti, in quo potissimum geometricarum Demonstrationum elegantia consistere mihi videtur. *Isaacus vero Newtonus his verbis Grandio litteras dedit*. Accepi librum D. Viviani de locis solidis, ut & libros tuos, in quibus geometria demonstras problemata Viviani & Hugenii, & pro tanto munere gratias ago quamplurimas. Geometriam Veterum adhuc florere, & vestris eximiis inventis ac demonstrationibus auctam esse valde gaudeo. Hyeme praeterita librum de rebus opticis & origine colorum olim scriptum in lucem edidi, cuius exemplar ad te mitto. Anglice scriptus est, & sub finem invenies libellum unum & alterum de rebus mathematicis idiomate Latino, quorum gratia totum mitto. Utinam tanto judici non displiceant.

quam viam aliquam longam difficillimamque confecisset, omnibus ostendere, quale illud esset, quo pervenisset, imitatus Gregorii a S. Vincentio, Nicolai Mercatoris, & ipsius Newtoni exemplum, qui quamvis circuli quadraturam desperandam esse, utilissime tamen tentari posse putarunt. Quaesivit primo num quadratura parabolae, qualis ab Archimede proposita fuit, cum quadratura circuli commune aliquid haberet. Et quidem observavit, quemadmodum prior per infinita triangula recte procedit, sic alteram procedere per infinitas hyperbolas, quae quadrari queant, eodemque modo quadraturam hyperbolae per infinitas parabolas obtineri posse. Sed haec observatio nihil proderat Grandio, eo quia series triangulorum Archimedeorum, ut pote constans ex terminis in ratione geometrica decrescentibus, summari poterat: quod aliter eveniebat in hyperbola & parabola, quarum series constabant ex terminis diversa lege progredientibus; quapropter haud poterant nisi proxime summari. Id quamvis Grandius probe nosset, nihilo tamen minus in medium proferre statuit cogitata sua; quam rem dum aggreditur, audit nescio quid simile de hyperbola Nicolaum Mercatorem in sua *Logarithmotechnia* proposuisse. Itaque re in aliud tempus dilata, nihil non egit, ut analogiam suam longius proveheret, invenitque tandem cum per hyperbolas, tum per parabolas quadrari proxime posse circulum & ipsam hyperbolam. Hoc praecipuum fuit argumentum libri, quem an. 1703. vulgavit, nuncupavitque Jo. Gastoni Mediceo. Quoniam vero ea est circuli & hyperbolae natura, ut dimensio utriusque non nisi per infinitam seriem quadrabilium terminorum haberi possit, nullaque geometrica linea, cujusvis ea sit ordinis, se definiri patiatur, hinc e re sua fore putavit Grandius, si subsidia a sublimiori analysi petiisset. Qua de re plurimum commendatus est a Leibnitio, gratulante non tam Grandio, quam Italiae universae, quod, *illo in primis duce*, in admirabilis utilissimaeque scientiae cognitionem ipsa pervenisset. Hoc loco descripsit Grandius curvam illam lineam a se excogitatam, quam *versoriam* appellavit. Mira prorsus est hujusce lineae proprietas, quod quamvis

Digitized by Google

duplum minime excedat circuli genitoris, si tantillum circa axem versetur, solidum procreat vere infinitum. Multum & frequenter usus est Grandius hujusmodi linea in definiendis tum intensionibus lucis, tum sollicitationis, ut ajunt, gradibus, & scala velocitatum in Newtoniana gravitatis hypothesi. Quemadmodum per has scalas ad sublimiores tum physicas, tum geometricas veritates ascendi possit, suo exemplo ostendit Grandius, monens tamen circumspectione quadam opus esse, cum fieri posse diceret, ut minus cauti in hisce scalis ruinae periculum, non ascensum inveniant. Dum haec exponeret, alia quoque subjecit geometrica inventa, quae quasi aliud agenti ultro se obtulerunt, quaeque ingrati fuisset contemnere. In his numerari debet nova ratio mensurandi infinita spatia curvilinea, rectificandique innumeras curvas lineas. Proposuit postea, cum secundo typis librum commisisset, novam rationem quadrandi hyperbolam, adhibita proportione ex infinitis aliis composita, novamque intulit demonstrationem quadraturae circuli per infinita rectangula. Quae vero ad solvendum problema quoddam a Joanne Bernoullio propositum, sibique a Leibnitio communicatum exposuit eo in loco, ubi de variis modis transformandi curvas tum superficies, tum lineas in alias diversae speciei agit, talia quidem sunt, ut eo vel uno constare possit argumento, in ea geometria, quam syntheticam vocant, Grandium illa quidem aetate cessisse nemini. Et quoniam enumerare omnia, quae in ejus libris admirabilia sunt, magnum esset, juvat recensere maxima, atque ita, ut, si quibus geometriae studia minus sapiunt, ii etiam intelligant in quantum gloriae fastigium eorum ope venerit Grandius. At mirum quantum ipse tribueret suae geometriae. Per eam enim explicare se posse putabat, quomodo ex nihilo creatus sit mundus, & quomodo in ovo & seminibus insit vis earum rerum, quae ex ipsis progignuntur; ex ea nasci omnia commoda vitae, omnemque pene cogitationem mentis divinae, rationemque naturae ab ipsa pendere. Videre mihi videor Grandium, postquam infinite parvorum geometriam sua in potestate habuit, in excelso loco positum exultantemque laetitia,

Digitized by Google

quod non solum longe lateque patentes regiones unico oculorum intuitu perspicere posset, sed prope etiam superbientem, quod per eam infinitates omnes rerum & naturae peregrinari & tenere se posse confideret. Quoniam autem vir alta quadam mente praeditus non facile modum tenet, vel ultra infiniti terminos progredi se posse speravit; unde etiam cum Varignonio in certamen venit, aliisque geometris Gallis, qui Wallisii plusquam infinita hyperbolica spatia tanquam repugnantia a geometriae finibus in exilium agebant. Itaque edito libro *de infinitis infinitorum, & infinite parvorum ordinibus*, ostendit hyperbolas altioris ordinis, licet ex una parte finitum spatium comprehendant, ex alia tamen usque adeo spatium plusquam infinitum continere, ut etiam infinite majus sit eo spatio, quod ab Apolloniana hyperbola circumscribitur, quocirca spatium Apollonianae hyperbolae, licet utraque ex parte jam infinitum, quantumvis adhuc multiplicatum, semper minus ostendi quovis spatio ad unam asymptoti partem ab altioribus illis hyperbolis contento, & qualibet etiam aliquota ipsius parte; ac demum ita comparari debere spatium infinitum hyperbolae Apollonianae ad ea spatia, quae ab altioribus comprehenduntur hyperbolis, ut quaedam finita quantitas ad infinitam, ut o ad 1. De natura igitur infinitorum, variisque tum infinitorum, tum infinite parvorum ordinibus agens Grandius, tam multas hyperbolarum Wallisii demonstrationes, tamque acutas invenit, ut Anglorum caussa contra Gallos probabilior eo patrono videretur; quae res maximi fuit illi adjumenti ad hominum famam colligendam, seu potius augendam. Verum cum Varignonius non solum in sua persisteret sententia, sed quereretur etiam de Grandio, quod illam oppugnasset, hic suae existimationis esse putavit *Prostasi* quadam illa diluere, quae objecerat adversarius, intuleratque in volumen an. 1712. Actorum Lipsiensium. Necesse praesertim habuit declarare id, quod plusquam infiniti nomine vocabat, non esse magnitudinem utcumque alia infinita majorem, cum infinitae magnitudines secundum quorumvis numerorum rationes aliae aliis majores, aut minores esse possint, quin eumdem infinito-

rum ordinem transgrediautur; sed tales se intelligere magnitudines, quae ab infinitorum ordine emergentes ad ordinem altiorem eleventur, ut finitis magnitudinibus accidit, ubi ad ordinem infiniti transierint. Si haec bene posita principio fuissent, non torsisset homines doctos nominis controversia, quae quidem honorabilis est geometriae, cum in hac facultate nullus esse posse videatur disputationi locus, nisi cum minus dilucide proponitur, quid sit id, de quo quaeritur. Num vero existentibus magnitudinibus plusquam infinitis, varii infiniti gradus exprimendi potius essent per rationem duplicatam, triplicatam, quadruplicatam &c. rationis simpliciter infinitae, quam per rationem positivi ad negativum, non conveniebat inter eos ipsos, qui has plusquam infinitas magnitudines libenter agnoscebant. Et justam reprehendendi sui caussam dedisse visus est Grandius doctioribus viris, quod priorem minime sit amplexus sententiam. Dissensit etiam cum Varignonio, quod hic asseruerit angulum contactus esse aequalem angulo ad centrum circuli osculantis; & varietatem hypothesis, a qua uterque discedebat, caussam credo contentionis intulisse. Alter enim curvas ex elementis circularibus, alter ex rectis compositas animo concipiebat. Uterque sane recte. Neque enim fieri potest, ut his in rebus quis in errorem labatur, si eamdem semper hypothesim retineat, nec ab una in alteram transeat. Hujusmodi controversiae magnos rumores excitarunt, quod non tam duorum hominum agi caussa videretur, quam Academiarum Londinensis & Parisiensis. Addebant vero animos Grandio, quae de Isaaco Newtono narrabat Henricus de Nova Villa, his verbis ad eum scribens: *Te certe & tua studia amat, laudatque plurimum, ac patriae suae denuo gratulatur talem nobis & veritati contra Parisienses aemulos fautorem vindicemque obtigisse*. Fuit & alia caussa, quare Grandius pro Anglis acerrime contendere perseveraverit. Nam cum in Londinensem Academiam an. 1709. adscriptus fuisset, volebat omnibus ostendere se de ejus gloria plurimum laborare. Praeter quam quod ita natura comparatus erat, ut nescisses utrum veritatis, an contentionis cupidior esset. Qua re

factum est, ut minime ei defuerit voluntas longius protrahendi disputationem, quanquam Varignonius nullum *Prostasi* responsum dederit; sed adversarii mors, cohortationes amicorum, & quae hac de re scripto mandaverat Leibnitius, illum a proposito revocarunt. Habuit iisdem temporibus Grandius alios adversarios, quibuscum ingenium & iracundiam suam exerceret. Rogatus a Bartholomaeo Interio quid sentiret de libello quodam Lucae Antonii Portii, cui propositum fuerat ostendere momenta corporum gravium in plano declivi descendentium non habere aequalem, sicuti ex vero docuerat Galilejus, sed majorem proportionem ad eorumdem momenta, dum illa ad perpendiculum cadunt, quam habeat altitudo plani ad suam longitudinem, ingenue per litteras respondit, certissimisque argumentis probavit, non Galilejum, sed Portium errati culpa teneri, quod falso ipse sibi persuaserat corpus premere inclinatum planum vi haud quidem eidem plano, sed horizonti ad perpendiculum directa. In quo cum Portii lapsum coarguit, tum etiam Vitalis Jordani intulit mentionem, qui pari in re antea offenderat, editaque epistola affirmarat modo majorem, minorem modo esse hanc proportionem, & esse posse etiam aequalem, si quidem planum, quo grave corpus sustinetur, angulum XXXXV. graduum cum horizonte efficiat. Neque vero in eo convincendo, errorisque caussis aperiendis laborandum sibi esse duxit, rem dicens in aperto positam, si quis haec studia vel leviter attigisset. Haec Grandii ad Interium epistola, ipso, ut affirmabat, inscio, edita Romae fuit, graviterque Jordanum pupugit, quasi ab ipsa in contemptionem adduceretur. Dubitavit aliquandiu, num ei responsum redderet, quod in sene decrepito contenderet tranquillitatis amor cum gloriae desiderio. Pervicere tamen Hieronymi Tambuccii sollicitationes precesque; ejusque nomine, qui sui olim fuerat auditor, edidit Romae epistolam an. 1711., quam Josepho Davanzato nuncupavit. In ea se fore acerrimum dignitatis suae defensorem praedicabat. Tota vero ipsius defensio illo praesertim nitebatur fundamento, quod corporum gravium directiones haud sint inter se parallelae, verum omnes in terrae centrum ver-

Digitized by Google

gant. Neque eo contentus Jordanus fuit, ut pro se ipse caussam diceret. Multa praeterea senili quadam rabie criminose congessit ad deprimendam famam adversarii, quem talem esse affirmavit, ut cogitationes suas assequi non posset, minimeque propterea admirandum, si dum eas convellere voluit, in varios ipse inciderit errores. Credo ipsum postea poenituisse quod inhumane adeo provocaverit Grandium, eamque epistolam malis ominibus praelo datam votis lamentisque revocasse. Etenim alter cum finxisset ultorem esse injuriarum suarum Marium Caenigam discipulum suum, memoratam ad Interium epistolam iterum typis mandat, novisque adnotationibus ornat, quod se improbare diceret illas, quae aliena manu ad mordendum praesertim Portium antea conscriptae fuerant. Tali modo & id, quod intendebat, exquisitioribus rationibus confirmare, & quae contra objecerat Tambuccius refutare potuit. Quod vero tum ille, tum ejus praeceptor in minimis tenuissimisque rebus lapsi fuissent, id satis esse argumenti dixit, non plus eos attigisse geometriae, quam pueri solent; hocque ut magis magisque hominibus comprobaret, Tambuccium ad solutionem cujusdam problematis invitavit. Non recusavit Tambuccius doctrinae suae periculum facere, sed eo successu, ut edita *responsione ad Caenighianam epistolam*, novia reprehensionibus caussam dederit. Etsi non tam reprehensor Caeniga, quam acerbissimus accusator voluit videri in ea, quam ad Tambuccium hac de re scripsit, epistola. In hanc vero non solum retulit, quae Grandius, sed etiam, quae alii mathematici Hermannus, Fagnanius, Gallianius, & Lorenzinius excogitaverant inveneranque ad illud solvendum problema, addiditque etiam in fine nonnulla sane utilissima ad Locorum geometricorum doctrinam spectantia, ut compensaret, credo, offensionem, quam plerique ex hujusmodi scriptis querelarum & jurgii pleuis excipiunt. Ex iis, quae sunt in extrema epistolae pagina apparet, dum haec typis imprimerentur, secundo in publicum prodiisse Tambuccium partim emendantem, partim, ut est hominum vulgus, confirmantem veteres errores suos. Quid quaeris? Taeduit tandem Grandium cum imparibus adeo se dimicare adversa-

riis,

riis, & finem huic disputationi facere se debere putavit illis de Quintilio Varo Horatianis versibus.

> *Si defendere delictum quam vertere malles,*
> *Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem;*
> *Quin sine rivali teque, & tua solus amares.*

Non tamen dissimulare postea potuit Grandius sibi, quae acta fuerant, displicuisse, praesertim cum rumor esset, summum dolorem, quem in hac disputatione cepit Jordanus, mortem ei attulisse. Sed nunquam ego sum adductus ut istud credam; & ea, quae extremo tempore vulgavit Jordanus, non mediocria dedere indicia mitigati animi sui in Grandium. Dedere & aequitatis, cum professus fuisset plura falsa & plena erroris esse in epistola, quam supra commemoravimus, ad Davanzatum. Ut vero par pari referret Jordanus, Tambuccii nomine proposuit Caenigae bina problemata, quae nunquam fuisse soluta falso affirmavit is, quem habuit rerum suarum scriptorem. Etenim minime in manus ejus pervenerant dialogi quidam, in quos conjecta fuerat illorum problematum solutio, quosque exaravit Grandius, cum inter se & Alexandrum Marchettum orta esset acerrima sane contentio. Hujus initia, & tanquam semina fuerunt invidiae sensus, qui solebat lacerare Marchettum; praeterea spes filio erepta succedendi muneri suo, postquam Magni Etruriae Ducis mathematicus dictus est Grandius; denique hujus hominis liberior quaedam licentia, qua de mathematicis Marchetti scriptis judicium ferebat. Erant & malevoli, qui rumoribus improbissimis dissipatis, nascentia odia inflammare studebant. Haec inclusa aliquandiu intra unius urbis moenia, postea in apertum erupere. Namque Marchettus vulgata verbosiore, quam vel ipsius fautores voluissent, epistola ad Bernardum Trevisianum, jure se de Grandio queri posse putavit ob ea, quae de se ille scripserat, cum secundo edidisset librum *de quadratura circuli*

& *hyperbolae*. Huic autem epistolae sic respondit Grandius, ut non tam se ipsum defendere voluerit, quam proterere & conculcare adversarium, cujus in libro *de resistentia solidorum*, quo maxime is gloriabatur, triginta & ultra propositiones partim falsas, partim non bene declaratas, partim male demonstratas esse affirmavit, atque etiam probavit. Quod vero ad duo illa capita spectat, in quibus maxime versari disputatio videbatur, de solido parabolico aequalis ubique resistentiae, etiam cum utrimque fulcitur, & de infinitis *zeris* ad quamlibet finitam quantitatem generandam idoneis, in quorum altero Marchettus Galilejum emendaverat, alterum exprobraverat Grandio, hic quidem nihil non egit, ut illa infirmaret atque dilueret; sed quam vere, ii facile judicabunt, qui utrumque legerint. Quatuor in hac controversia dialogos scripsit Grandius, quorum primum tantummodo in vulgus edidit, reliquos edere ab Academiae Pisanae Curatoribus prohibitus. Ex his tamen multa sumpsit ad componendum librum, quo se, Galilejum & Vivianium purgandos, arguendumque Marchettum putavit. Nonne id agendum nobis fuit, ajebat Grandius, ut materiem subtraheremus insolentiae illius, & summorum virorum famae consuleremus? Interpretatio sententiae Galileii ad illam errore liberandam plus acuminis, quam veritatis habet. Quidni potius confessus est Grandius lapsum quidem Galilejum fuisse, quod putaverit solidum parabolicum, non ellypticum requiri, ut fulcris utrimque impositum ubivis aequaliter resistat, sed hujusmodi erratum facile ignoscendum esse homini, qui primus omnium difficillimam utilissimamque scientiam, quae ad corporum resistentias pertinet, omnino genuit? Dum haec tractaret Grandius, nonnulla ex interiori geometria petita addidit, atque attulit de suo, quae mirifice amplificasse hanc mechanices partem merito judicavit physicus summus Musschenbroekius. Non aeque tamen placuerunt nonnullis praeclarissimis viris, si Leibnitium aliosque paucos excipias, quae de creatoribus suis *zeris* in medium protulit; reprehensusque a Varignonio & Wolfio fuit, quod *zerum*, ut ipsi loquebantur, *absolutum* pro *relativo* sumere videretur. Extre-

Digitized by Google

mo in libro nonnulla emendavit Grandius de metamorphosi curvarum a se proposita in opere *de quadratura circuli & hyperbolae*, neque id tam veritatis amore fecit, quam ut adversarios occasione reprehendendi sui privaret. Et sane ingenua isthaec confessio, nec non cohortationes Fratrum Manfrediorum averterunt Josephum Verzaliam a consilio scribendi adversus Grandium, quod se velle facete, epistola quadam edita Caesenae, palam fuerat professus. Sed ut ad Marchettum redeat oratio, is quidem, quoad vixit, garrire atque obloqui non cessavit; cumque non tam argumentis, quam dicacitate cum ipso certaret Grandius, nullam amittere velle occasionem ad illum ulciscendum videbatur. Praeter cetera examinandum suscepit Calendarium ab ipso editum, collegitque quamplurima non modo acute, sed etiam ridicule & facete, ut in publico deridenda proponeret. Profecto si adversarii dignitati pepercisset Grandius, magis ipse servasset suam; meminisseque debebat viros bonos malle commemorare, se cum vincere possent pepercisse, quam cum parcere possent vicisse. Duravit isthaec concertatio ad exitum usque vitae Marchetti, qui vacuam fecit Grandio mathematicarum disciplinarum cathedram, in qua, ut diximus, praecipua constitit caussa inimicitiarum. Subinvidere Marchettus filius, aliique, sed frustra. Intelligebat enim Cosmus Magnus Dux neminem esse in Etruria, qui ex mathematica laude aspirare ad Grandium posset; quapropter e re sua fore putavit, si ejus opera uteretur non modo in docendi munere, sed etiam in omnibus iis rebus, quae mathematici prudentiam requirerent. Erat controversia inter nobiles quosdam Florentinos, num ad pistrinum faciendum in flumine Era construi posset genus illud cataractarum, quod nos dicimus *Pescaje*, quin ex ea re alvei elatio, majusque alluvionum periculum posset timeri. Jussus Grandius a Cosmo sententiam suam exponere certissimis argumentis probavit, si id fieret, periculose fieri; ex ejusque consilio judices pronuntiarunt. Tria in hanc rem vulgavit scripta, confutavitque praesertim levitatem opinionum Rondellii, qui ex contraria parte haud pauca in medium attulerat. Ea sane opinio erat Gran-

Digitized by Google

dii, turbidum quemque amnem, si cataracta quapiam per fundum ducta detineatur, materiam deponere, novumque fundum sibi substernere; idque extra controversiam est: quod autem in dubium revocari potest ad formam novi alvei spectat. Putabat eum a summa cataracta ad superiora ferri ea lege, ut alveo veteri fere parallelus fiat. Quam in rem ita ratiocinabatur. Constat inter omnes fluvium certa velocitate, quam certa facit ab initio ad finem devexitas, opus habere, ut quidquid terrae, aut ponderosioris materiae admixtum ei est, secum rapiat. Si velocitas illa minuatur, deponet materiam, & alveum attollet. Iam vero quis non videt, fluvium interposita cataracta retardari? Igitur materiam ad fundum dejiciet, primum quidem pone cataractam ipsam, donec cavum repleat usque ad cataractae fastigium; & alveum sibi muniet longo tractu horizontalem; deinde cum segnius adhuc labatur, propterea quod nihil in hoc tractu devexum habet, eaque segnities ad superiores quoque aquas transferatur; materiam & per hunc, quem diximus, tractum, & per totum superiorem alveum aliam atque aliam dejiciet, neque desistet, donec declivitates omnes adipiscatur, quas ante habuerat; has enim adeptus velocitatem recuperabit suam, & admixtam sibi materiam secum deferet. Atque his sane novus fiet alveus, qui a summo cataractae fastigio ad ultimam usque fluvii originem protendetur, vel certe ad cataractam usque superiorem si qua sit, ibique cum alveo veteri conjungetur, & hunc ipsum veterem alveum devexitate & flexu omni imitabitur. Sic disputabat Grandius, cujus argumenta perpendens Joannes Baciallius homo mathematicarum rerum scientia excultus vix aliquid invenit, quod concederet. Nam neque alveus a summa cataracta usque ad originem fluminis, aut ad cataractam aliam superiorem attolli creditus ei est, neque ibi alveo veteri occurrere, neque declivitates easdem, quas ante habuerit, sibi componere; neque omnino ad altitudinem evehi tantam, quanta putabatur. Quae ipse exposuit ad opinionem suam comprobandam, non multum ab iis aliena, quae Eustachius Manfredius hac eadem de re rogatus

sententiam ipsi Grandio objecit, legi possunt in parte I. voluminis II. Commentariorum Academiae Bononiensis. Post haec interrogatus Grandius a Francisco Ferronio de iis, quae conducere putabat ad exsiccanda ipsius praedia posita in Valle Nebulae, tribus editis scriptis, ostendit, quae commoda ex derivatione turbidarum aquarum in eadem praedia sperari potuissent, & quae detrimenta non bene antea institutae derivationes vicinis agris intulissent. Agros Pisanum, Grossetanum, aliaque loca saepe jussu Principis invisit; saepe etiam caeli salubritati civiumque utilitati consuluit. Cum de reducendo Rheno in Padum acerrime inter se disputarent Bononienses & Ferrarienses, aliique Cisalpinae Galliae populi, hujus controversiae caussa, rogatu Summi Pontificis, Grandius Romae fuit toto ferme anno 1717. ibique plurimum & voce & scriptis favit Bononiensibus. Neque id re incognita fecit. Antea enim cum Dominico Riviera Praesule amplissimo inviserat loca, unde averti, & per quae deduci Rheni aquae debuissent. Invisit iterum anno 1719., & eo, qui consecutus est, cum Praesule Rinuccinio, & tertio demum an. 1729. invitatus a Bononiensibus. Harum rerum caussa saepe Grandio congressus & colloquia fuerunt cum nobilioribus hydraulicis, omnibusque ostendit quantum aquarum scientia excelleret. Solebat vero dicere Eustachius Manfredius neminem se nosse, quem Grandio hac eadem scientia compararet, ei nimirum homo modestissimus tribuens, quod sibi merito potuisset arrogare. Vincebat enim omnes usu, diligentia atque prudentia. Praeter quam quod videbatur interdum Grandius nimium indulgere & concedere geometriae & calculis, qui quidem partes agere debent in re aquaria, sed minime primas. Etenim naturae experimentis res universa praesertim subniti debet. At si fefellit nonnunquam Grandium geometria, saepissime eumdem direxit ad veritatem, ut mihi utrunque collaudandum esse videatur, quod res hydraulicas pertractans suis erratis cautiores, & praeclaris inventis prudentiores fecerit homines. Idem vero & de ipsa scientia, deque Italia, cujus illa est propria, praeclare meritus est, cum auctor & adjutor fuisset Thomae Bonaventurio

Digitized by Google

ad perficiendum opus, quod inscribitur: *Raccolta di Autori, che trattano del moto delle acque*. Ab Archimede initium faciendum ipse putavit; obtinuitque a Jo. Bottario politissimo sane scriptore, ut in Italicum converteret, quod ad nos pervenit, ejusdem opus de rebus iis, quae aquae insident. Contulit vero ipse plurimum laboris ad contexendum librum, qui valeret non solum ad augendam collectionem illam, sed etiam ad hydrometriam amplificandam. Sunt in eo nonnulla, quae non semper cum experientia congruunt; quaeque propterea ad calculos geometriae frustra revocaveris. Sunt vero alia multa & subtiliter inventa, & eleganter firmeque probata, quibus saepe cum laude Grandii usus est Eustachius Manfredius in illis suis doctissimis commentariis ad aureum Gulielminii opus de fluminibus dirigendis. Prae ceteris plurimi facere videtur locum tractatum uberrime de impetu aquae in aggeres ad cursum aquarum quomodocumque inclinatos, quo in loco demonstrat Grandius vim, quam aqua in eosdem aggeres exercet, se habere, ut aggeris longitudo, quadratum sinus inclinationis, nec non quadratum velocitatis aquarum. Multo ante a se meditata attulit Grandius ad definiendam velocitatem aquarum, & hanc subduplicatam esse altitudinum declaravit. Huic vero innixus principio confecit tabulam parabolicam, cujus ope velocitates & quantitates aquae e vase effluentis diversis altitudinibus respondentes inveniri possent. Arbitratur aquam prodire e vasibus eadem velocitate, quam decidens corpus e suprema aquae superficie in locum foraminis acquireret. Inaequalitas fundi & riparum ex ejus sententia parum, aut nihil fluminum cursum retardat. Secutus exemplum Bernardini Zendrinii, & Joannis Bernoullii transferre se posse putavit ad motum fluminum, quae de virium compositione & resolutione tradiderunt mechanici. Inclinabat animus illius, ut arbitraretur fluminum fundum ad cycloidis formam excavari, quod haec sit curva linea celerrimi descensus, quodque aequalibus prematur ubique momentis. Haec & alia hujusmodi dum proferret Grandius, non dolere debebat, ut doluit interdum, si quispiam ab eo dissenserit. Profecto in hoc rerum genere omnis co-

Digitized by Google

gnitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est in ipsis rebus obscuritas, ut non sine caussa e doctissimis viris nonnulli invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint; alii vero, sicuti Alembertius, omnia ea, quae sciri queant, ad duo vel tria capita redigi debere putaverint. Sed id satis superque de hydrometricis Grandii scriptis: non enim omnia, quae exaravit, enucleanda, & quae gessit aut Principis jussu, aut aliorum invitatu commemoranda esse existimavi. Neque vero Bonaventurio tum primum auxilio fuit. Etenim magna in eum Grandii merita jam ante constiterant, cum ipse novam operum Galileii editionem perficiendam suscepisset. Hac in re eas sibi sumpsit partes Grandius, ut, quae inchoaverat Vivianius *de Resistentiis* ad illustranda Galileii cogitata, ipse perficeret & in ordinem redigeret. Et demonstravit quidem, qua ratione infinita solida aequalis resistentiae inveniri possent sive ex una, sive ex utraque parte in muro figerentur; sive ratio haberetur, sive non, eorumdem ponderis; sive partes ejusdem solidi, sive plura & diversa solida ejusdem nominis inter se compararentur; cujus rei omne artificium in accurata consideratione duarum figurarum, a quibus solida genita esse intelligere possumus, consistere videtur. Transtulit haec omnia Grandius in novum opus, quod injuria fortasse dixeris supplementum Vivianei, adeo sunt multa, quibus illud ornavit, quaeque attulit non solum ad illustranda, elegantissimisque demonstrationibus confirmanda, sed saepe etiam ad illins cogitata divinanda. Neque est credibile, quam multa quoque ei venerint in mentem acuta atque subtilia, cum nonnulla, quae Vivianius minus bene declaraverat, defendenda atque excusanda suscepit. In his excudendis noluit Grandius egredi fines, quos sibi Galilejus & Vivianius constituerant, eaque propter in revocandis ad geometriae calculos solidorum corporum resistentiis nullam rationem habuit illorum texturae, flexibilitatis, viriumque, quas corporum fibrae exercent, quanquam intelligeret ea omnia expendi & probari debere in tractatione artis atque usu. Nihil enim ex iis est, quod nun ad opus faciendum, quasi ad scopum collineet. Dum haec scribit, exul-

cerati animi prodit indicia: neque enim ita sibi imperavit, ut non aliquibus responderet sibi a Marchetto objectis, quamvis responsione indigna videri potuissent. Cetera suppeditata a Grandio, quae comitantur operibus Galileii, non minorem laudem merentur. Spectant ea ad motum solidorum corporum in fluidis, & praesertim ad illustranda decreta Galilejana de accelerato motu cadentium corporum. Accurate definivit plana & scalas virium, velocitatum, temporum & spatiorum, seu constans, seu varia sit gravitatis actio, sive per rectam, sive per curvam lineam corpora ipsa cadant; ostenditque mirum Galilejanarum legum usum vel in majoribus a centro distantiis, in quibus locum habere possit gravitatis varietas. Inter multa praeclara a Grandio hoc in loco demonstrata illa praestantissima merito judicantur, quae ad celebre problema de linea *Brachystochrona* pertinent. Nemo ignorat Galilejum putasse lineam celerrimi descensus circulum esse, quod erratum facile ii excusabunt, qui animadvertent, quae sit rei difficultas, & quo in statu temporibus illis esset geometria. Primi, qui palmam in hoc stadio tulere, fuerunt Joannes & Jacobus Fratres Bernoullii, Newtonus, Leibnitius, & Hospitalius; sed nemo eorum arbitratus est ad id, quod volebant, perveniri posse via veteribus geometris usitata. Hanc secutus est Grandius felicissime; nec sane dubito, quin si exposita ab ipso pervenissent ad manus Joannis Bernoullii, idem dicturus fuisset, quod, accepta, quam Newtonus fecit, ejusdem problematis solutione, pronuntiavit, *se nosse leonis unguem*. Post haec librum Grandius vulgavit de sectionibus coni, in quo pressius ac clarius exposuit inventa Apollonii. Mirabitur fortasse aliquis hominem, qui longe plurimum in geometricis rebus valebat, descendisse ad elementa scientiae tradenda. Sed ipsum non tam propria gloria, quam publica utilitas delectabat: quanquam ex eo labore plurimum cepit gloriae. Etenim non solum celebriores Italicae scholae, sed etiam exterae complures utilissime illo se uti posse judicarunt, quod neminem parem haberet elegantia, & copia rerum cum brevitate conjuncta. Paullo postquam haec edidit Grandius, dono misit Regiae Lon-

Londinensi Academiae libellum, cui nomen inditum *Florum geometricorum manipulus*. Lectissimi sane flores, quos geometriae hortus a prima adolescentia ab eo cultus, & semper auctus suppeditaverat. Horum nomine ipse signavit figuras, curva linea quadam per aliquot foliorum ambitum ab uno centro se se explicantium ducta, circumscriptas. Habet vero pro numero foliorum flores *bifolios*, *trifolios*, *tetrafolios*, *pentafolios*, *exafolios*, quibus methodi gratia addit *unifolios*. Lineae, quae flores generant, *Rhodoneae* ab ipso appellantur. Hae autem per terminos incedunt infinitorum ramorum ab eodem centro prodeuntium, nec non aequalium sinubus angulorum in data aliqua ratione respondentium angulis, quos ipsi rami cum recta datae positionis comprehendunt. Constans illa angulorum ratio Rhodoneae ipsius ratio propria appellatur. Simplex Rhodonea est, quae unica perficitur circulatione, duplex quae duplici, triplex quae triplici, atque ita deinceps. Ejusmodi Rhodonearum proprietates praecipuas elegantissime enucleat Grandius, spatia & perimetros dimetitur, omnia XII. propositionibus complectens. Harum proprietatum ea maxime commemorabilis mihi videri solet, quod Rhodonea, quae unica circulatione perficitur, dimidium sit ejus circuli, a quo circumscribitur; quae vero binis, aut quae ternis circulationibus gignitur, ea duorum triumve circulorum dimidium aequet, idemque proportione de reliquis dicito. Ad haec nonnullas earum partes, quin etiam integros flores exhibet, qui absolute quadrari possint. Erat haec spinosa quaedam tractatio atque aspera, quam tamen expeditam explicatamque reddidit industria sua, calculis praesertim longissimis ad synthesin redactis, qua in re mira ejus perspicuitas, elegantia, brevitas fuit, & quasi bonum illius ingenii proprium atque perpetuum. An vero natura cum flores atque arbores alit, succum iis alimentumque sufficiat ea lege, quae ad Rhodoneas generandas maxime est necessaria, hujus rei pervestigationem physicis integram reliquit. Et tamen ita rem esse inclinabat animus ut crederet; eo quia facilis & prona sit ejusmodi curvarum ab circulari figura derivatio, ac verisimile sit nutrientem humorem in orbem

diffundi. Haec si stent, illud consequi videbat, plantarum figuram aliam esse in seminibus, aliam in ipsis plantis maturitatem consecutis. Etenim Rhodoneae nondum evolutae nil nisi circulos imitantur. Exceptus cum adprobatione plausuque omnium liber animos Grandio addidit; quare altero libro alios flores complexus est, sive curvas alias, quas honoris caussa dicavit Claeliae Borromeae ingeniosae juxta ac nobili feminae; eamque ob rem *Claelias* appellavit; quarum generatio a Rhodoneis superficie tenus differt, quod illae in curva, hae vero in plana describantur. Id vero ad detegendam illarum cum his convenientiam mirifice prodest, eo quod applicationi innitatur plani ad innumeras superficierum curvarum species; sicque geometrica illa apparet simplicitas, qua a planis ad solida gradus fit, & quae maxime ad generales constituendas methodos conducit. Est autem Claeliarum genus unum, quod maxime consentit velis a Vivianio quadratis, de quibus supra mentionem fecimus; idque contingit cum constans angulorum ratio, qua determinantur sinus, per quorum extrema curva linea ducitur, est ratio aequalitatis. Adjecit operi corollarium, quo nova traditur *mesolabii* construendi ratio ad geminas proportionales expeditissime inveniendas. Utraque pars operis in lucem edita an. 1728. postero deinde anno in Italicum e Latino conversa studio Thomae Narduccii Patricii Lucensis, viri in omni geometriae parte praestantis, Lucaeque recusa est. Accesserunt quaedam ab Auctore ipso additamenta, ex quibus aliisque indiciis intelligere possis, iu his inventis valde sibi Grandium placuisse. Auxerant etiam iis dignitatem nobiles Angliae Mathematici, qui Rhodoneas illas miris laudibus ornarant, atque in *Transactiones Philosophicas* retulerant duobus continuis mensibus Quintili & Sextili an. 1723. Neque tum primum decoratum est ab Academicis Londinensibus Grandii nomen. Ab eo enim tempore, quo ipse in Academiam fuit cooptatus, arbitratus est posse suo jure quodammodo sibi vindicare, ut quaecumque mitteret probarentur, & civitate donarentur. Multum valuit ad conciliandam hanc doctrinae opinionem *Epistola geometrica in systema sonorum*

Digitized by Google

Narcissi Archiepiscopi Armachani, quam rogatu Laurentii Magalotti scripsit, quaeque relata fuit in volumen *Transactionum* anni 1709. Secundo & tertio auctiorem postea edidit Grandius, quod ea non mediocriter gloriaretur. Et merito quidem, cum minime ignoraret illam maxime probasse Newtonum & Halleyum, ejusque commendatione praesertim factum esse, ut ipse in Academiam adsisceretur. Proposuerat Narcissus problemata quaedam, quae maxime idonea putavit ad acusticam provehendam, analogia ducta ab iis, quae de propagationum reflexione & refractione lucis iis temporibus demonstrata fuerant. Aenigmata potius, quam problemata dixisses; obscure adeo proponebantur, ut ne inspecta quidem, quae iis adjuncta erat, figura, Auctoris mentem assequi te posse putares. Hanc divinare aggressus Grandius existimavit Narcissum in ea fuisse sententia, sonoras undas in hyperbolas sinuari concentricas, ita ut spatium omne, in quod diffunditur sonus, sit solidum hyperbolicum, cujus basis sit terrestris hemisphaerii superficies, altitudo vero ipsius terrae diameter. Hac re posita, investigavit, quas in curvas inflecti deberent radii phonici, ut omnes eodem tempore ad hyperbolici hujus spatii fines appellerent; invenitque has esse alias hyperbolas, quibus undae omnes sonorae ad perpendiculum secentur. Neque hac investigatione contentus Grandius, quaesivit etiam qua proportione aeris densitas in diversis a tellure distantiis decresceret, si quidem radii phonici eidem ac radii lucidi refractionis legi obtemperantes in memoratas hyperbolas flecterentur; deinde, quae foret lex refractionis, si dum radii phonici in easdem flectuntur lineas, aeris densitas eadem proportione cum augescente a tellure distantia decresceret. Ex his plura infert jucunda quidem & ingeniosa, minime vero ad usus physicos transferenda; nam, ut ipse Grandius initio epistolae animadvertit, luminis ac soni proprietates immane quantum inter se discrepant. Quae adhuc retulimus Grandii geometrica scripta talia quidem sunt, ut eum in magnorum geometrarum numero collocent; si vero ea praesertim spectes, quae ante annum 1710. exaravit (nam post id tempus visus est nonnihil

in suo cursu constitisse) non dubitabis quidem cum nobilioribus, qui iis temporibus floruere, geometris ipsum comparare. Neque hac una laude contentus theologi quoque & antiquitatis investigatoris nomen sibi ipse merito arrogavit & in suis libris inscripsit. Utramque vero se agere personam putavit, cum scriptum quoddam Jacobi Laderchii de S. Damiani vita non confutaverit modo, sed & mordaciter carpserit, editis *Colloquiis* quatuor, quae inscripsit: *calculus*, *ferula*, *scutica*, & *censura*, quibus postea addidit quintum, cui nomen *manubrium scuticae*, asperiori etiam sale aspersum: sed hoc minime in lucem vulgavit. Negotium quoque habere voluit cum Fidele Soldanio Monacho Vallis Umbrosae, adversus quem emisit *epistolas* quasdam *apologeticas*, latens sub Vitalis Martii nomine. Sua enim interesse putavit confirmare, quod protulerat suis in Dissertationibus Camaldulensibus, S. Romualdum Magistrum fuisse S. Jo. Gualberti, & ante hunc *Umbrosa* in *Valle* habitasse. Habuit etiam Grandius, harum dissertationum caussa, adversarios alios, & in his (reliquos enim haud commemorandos esse putamus) Apostolum Zenum. Edito hic scripto sane eruditissimo, probavit Grandium XVII. annis citius notasse tempora, quibus Petrus Urseolus Venetorum Dux ad Principatum perveuit, & eo se abdicavit. Quae cum starent, plura alia, quae Grandius in signandis temporibus ortus obitusque, gestorumque quorumdam S. Romualdi, affirmaverat, corruere necesse erat. Quaedam ad Urseolum pertinentia emendavit Grandius in eo, quem de ejus vita vulgavit, libro an. 1733. rogatu Petri Garzonii Veneti Senatoris praestantissimi. Quod vero ad Romualdum spectabat, visus sibi est posse in sua vetere permanere sententia. Ajebat enim Romualdum in vitam introiisse an. 917. atque ab ea excessisse an. 1007. quae decennio citius accidisse affirmabat Zenus. Ex multis, quas habuit Grandius, controversiis nulla profecto acrior & molestior fuit illa, quam ei Bernardus Tanuccius, ut alibi innuimus, intendit. Scripserat Grandius ad Josephum Averanium Latinam epistolam, in qua multa sane collegerat idonea ad convellendam Henrici Brencmanni, aliorumque opinionem,

quae oppleverat Italiam, Pandectarum codicem, quem diu possedere Pisani, extitisse temporibus Justiniani Caesaris; hunc juris prudentiae thesaurum ipsos reperisse Amalphi, dum hanc urbem an. 1135. depopularentur, & in patriam adsportasse; ac demum eosdem Pandectarum jure non antea uti coepisse, quam exeunte saeculo XIII. Porro certissimis antiquitatis monumentis probavit Grandius a Saeculo XII. & ante Amalphitanam vastationem Pandectarum juri Pisanos fuisse subjectos, & vel ante illa tempora juris Justinianei cognitionem atque interpretationem nonnullis in Italiae locis, ac Bononiae praesertim, in honore fuisse. Hujus vero rei principium se invenisse gloriabatur in iis, quae Robertus e Monte Monacho Beccensis Coenobii ad Chronicon Sigeberti Monachi Gemblacensis addidit. Haec enim habet ad annum MXXXII. *Lanfrancus Papiensis, & Garnerius socius ejus, repertis apud Bononiam legibus Romanis Justiniani Imperatoris, operam dederunt eas legere, & aliis exponere*. Non aeque certa statuere se posse dixit Grandius de loco, unde Pandectae Pisas delati fuere. Conjiciebat tamen aut Bononia per Bulgarum, aut Constantinopoli per Jo. Burgundium, utrosque Pisanos jurisconsultos, illos in Etruriam venisse, quam posteriorem conjecturam superiori praetulit Grandius, cum secundo epistolam suam typis commisisset. In hac quaedam esse putavit Tanuccius in se acerbe dicta, quae ulcisci & persequi statuit. Multa in publico proposuit ad attenuanda non modo adversarii argumenta, sed existimationem etiam & famam, quae perpetua obrui oblivione merentur. Studuit & concitare Pisanos in Grandium, criminans hunc ingratum injustumque fuisse, quod ipsos Pandectarum inventionis gloria privare tentaverit. Paria paribus sic respondit Grandius, ut se quoque defensorem nimium litigiosum concitumque ad rixam ostenderit. Cum vero in eo reprehensus fuisset, quod dixerit: *antiquiorem fortasse mentionem Pandectarum apud Petrum Blaesensem occurrere, qui floruit an. 1160. nec universum Digestorum opus, sed duntaxat ejus lacinias aut fragmenta innotuisse Ivoni Carnotensi & Gratiano*, nihil non egit, ut objecta sibi ab adversario, respondens ad singula, dilueret. Eo factum est, ut

Digitized by Google

iterum prodierit in publicum Tanuccius, qui etsi pugnacissime defenderit sententiam suam, Pisanos inventores fuisse Pandectarum, horumque perfectam cognitionem habuisse Ivonem, Gratianum, aliosque illorum temporum scriptores, rem tamen ita egit, ut excusans aestum quemdam gloriae & aetatis praeteritam acerbitatem improbare videretur. Nihilo tamen minus edita a Tanuccio magis magisque incenderant Pisanos in Grandium, adeo ut ipse verens populi natura asperi injurias & convicia, aliquandiu domi se continuerit. Haec dolentes, qui Academiae praeerant, obtinuerunt a Magno Duce, ut ipse juberet finem aliquando scribendi fieri. Fraenum aliquamdiu momordit Grandius, mox impotentia elatus sub Bartoli Luccaberti nomine novum librum, Faventiae dum esset, vulgavit, quem ad rejicienda omnia adversarii dicta, & ad sua confirmanda plurimum valiturum sperabat. Is vero liber, ut Florentiam pervenit, magnos excitavit rumores, parumque abſuit, quin publice, cum flammis jam esset damnatus, combureretur. Quamvis judicatum fuerit eruditius & elegantius, quam antea, tum Grandium disputasse, & multa protulisse ad illustrandam historiam juris prudentiae sane utilissima, nemo tamen approbavit, illum vulnera, quibus aliqua obducta esse cicatrix videbatur, refricasse. In eo etiam merito reprehensus est, quod ad conciliandam quibusdam dictis suis auctoritatem opusculum *de interpolatione Gratiani*, quod tum ex sua officina exibat, finxerit a Diomede Brava Patricio Tranensi confectum fuisse, editumque Bononiae an. 1694. Nihil severe pro rei indignitate respondit Tanuccius; plurimumque ii laudandi sunt, qui pacem inter hos viros honoratos & in Pisana Academia principes conciliarunt. Pacis conditio fuit, ut se abstineret Grandius a confutando libro Joannis Baptistae de Vico *de novae scientiae principiis*, cujus auctoritate abusus erat Tanuccius. Neque hoc solum fecit, sed nullum etiam responsum dedit Brencmanno, qui oppugnator sententiae suae fuerat. Ad eas laudes, quas Grandius a multis, & praesertim a Ludovico Muratorio & Uberto Benvolientio accepit ob convictos vulgares errores de inventione Pandectarum, & ob bene de-

claratum tempus, quo valere & vigere coepit in Italia Justinianeum jus, addidit plures suas; existimavitqne posse eadem de se praedicare, quae de Augusto effert Macrobius. *Soleo*, inquit ille, *in Augusto magis mirari quos pertulit jocos, quam ipse quos protulit; quia major est patientiae, quam facundiae laus; maxime cum aequanimiter, aliaque etiam jocis mordaciora pertulerit*. Sane indignissima mihi fuisse videntur odia Pisanorum in Grandium, qui si quis unquam alius de illorum urbe atque Academia bene meritus fuerat. Narravimus supra praeclaris consiliis suis Pisani agri salubritati utilitatique illum prospexisse. Quidquid corrogabat pecuniae, Pisani coenobii commodis destinabat, quod per viginti omnino annos rexit, cuique bibliothecam satis copiosam, & pecnniam ad eam quotannis augendam legavit. Egit cum Muratorio, ut plura antiqnitatis monumenta ab se collecta, quaeque Pisarum laudes mire illustrabant, ederentur. Illo consiliario & auctore, astronomica specula Pisis aedificata est; illo doctore, tanquam ad mercaturam geometricarum artium quamplurimi ad Academiam veniebant; adeoque celebrabatur illius nomen, ut decus ac lumen ipsius Academiae esse videretur. Hujus optimorumque studiorum caussam egit adversus calumniantes Jesuitas, a quibus doctores ii, qui a minutis insulsisque Scholasticorum disputationibus ad naturam contemplandam adolescentes traducebant, Cathocae religionis hostes vocabantur. Hortari illi non cessabant proficiscentes ad Academiam, ut si quando inciderent in Anatomicos, Chemicos, & Physicos praesertim, a quibus in experimentis habendis opera consumeretur, *averterent oculos, ne viderent vanitatem*. Multa etiam stulte & arroganter conscripserat ex illorum numero quidam cognomine Briga, ad rapiendos in invidiam Pisanos Doctores, cum Florentiae *Philosophiam novo-antiquam* (sic enim inscribitur poema quoddam Thomae Cevae) emisisset. Mentes enim angustae, humiles, Peripateticorum opplerae tenebris & sordibus nomina ipsa magnorum hominum, splendorem illorum gloriae nec intueri nec sustinere poterant. Facile autem fuit semidoctos quosdam trahere in suas partes,

qui audaciam virtutis, furorem fortitudinis, temeritatem consilii nomine appellabant. In tanta rei indignitate minime silendum Grandius putavit, atque *Diacrisi* Latinis versibus conscripta, Praefationis & Poematis auctores levitatis convicit. Ex quo intelligi potest pluris illi fuisse Academiae, quam amici (jamdiu enim amicitia conjunctus erat cum Ceva) dignitatem. Cum natura impelleretur Grandius, ut prodesse vellet quamplurimis, in primisque docendo, rationibusque prudentiae tradendis, non est credibile quantos labores hujus rei caussa pertulerit. Extremo autem tempore volens etiam post mortem consulere mathematicarum disciplinarum studiosis, illarum elementa perficienda, & vulganda suscepit. Itaque in librum, quem *de sectionibus coni* edidisse diximus, plura utilissima addidit; neque ita multo post typis mechanicam commisit, in qua pauca desideres, quae ad sex antiquorum machinas, ad pendulorum motum, viresque percussionis & gravitatis pertinent. Nam opticam & algebram multo antea sic tractaverat, ut nihil absolutius & elegantius iis temporibus fieri potuisse videatur. Elementa item Euclidea in Italicum convertit; postea Institutiones arithmeticas & geometricas ex se genuit; in quibus postremis laudabis praesertim ea, quae spectant ad proportiones inter segmenta rectarum duarum a punctis extremis laterum cujusvis anguli ductarum in latera opposita, atque inter eorumdem oppositorum segmenta laterum. Hac in re adeo processit Grandius, ut Ptolemaeum, Theonem, Reinaltum, ceterosque longe post se reliquerit. Iis vero, quibus elementorum tractatio minus digna illius summa doctrina videbatur, respondere solebat; non segetibus solum & vineis res rusticas laetas esse, sed pomariis etiam & hortis, tum pecudum pastu atque apum examinibus, tum florum omnium varietate. Efferebatur vero laetitia, cum contemplaretur uberes suorum laborum & vigiliarum fructus in optimae spei, quos instituebat, adolescentibus; tantumque aberat ab invidentiae sensu, ut, si quis eorum longius processisset, ipse esse vellet ejusdem doctrinae ingeniique praedicator & testis. Nonne exultabat animus illius, cum de Thomae Perellii, & Josephi Ver-

Vernaccinii ingeniis mira prorsus praedicaret? Quid non egit, ut ab omni lapsu contineret collegam suum Claudium Fromondium, cum videret ipsum novitate rerum nimium delectari? Quam saepe sua laude cohonestavit Thomam Narduccium Patricium Lucensem, & litteris excitavit ad mathematica tractanda? Scripsit ad eum aliquando de viribus, ut ajunt, vivis aestimandis, quas augeri eadem proportione cum massa & velocitate facile Cartesianis concedebat: sed adeo infirmavit praecípuum, satisque notum Hermanni, quicum sibi res erat, argumentum, ut hunc, si minus de pristina sententia deduxit, ejus tamen argumenti levitatem fateri coegerit; ad id dogmata Camusii de viribus elasticas laminas comprimentibus aliqua ex parte emendavit; ac demum falsum esse probavit argumentum, quod pro Cartesianis excogitaverat Lovillus, quodque Fontenellius in Parisiensis Academiae an. 1728. commentaria retulerat. Dives Grandius opibus doctrinae, hanc facile communicabat cum omnibus, ac praesertim cum iis, cum quibus amoris vinculis conjungebatur. Non est vero credibile quantum curaverit, ut optima studia florerent apud Camaldulenses suos, quorum coenobia dum invisit, *Visitatoris*, ut appellant, decoratus munere, multa emendavit, multa instituit, quibus nunc etiam stat Camaldulensium dignitas. Dum erat Romae an. 1734. hujus muneris caussa, Pontificis jussu cognoscere debuit de Galli cujusdam Episcopi litteris, quibus contendebat, adversus Caesariensis Concilii decreta fieri, si eo anno Pascha VII. Kal. Majas celebraretur, & XIV. lunam paschalem cadere in XV. Kal. ejusdem mensis. Scripto probavit Grandius minime novas esse hujusmodi expostulationes; sed Ecclesiam tenuisse semper atque servasse Nicaenorum Patrum praescripta. Quod vero ad XIV. lunam spectabat, hanc unice defensionem habuit, non videri illam incidere in XV. Kal. Majas, qui tum dies erat Saturni, sed in sequentem, quod circa mediam noctem contingeret. Ceterum hac in re Grandius Cassinii aliorumque summorum astronomorum sententiam secutus fateri minime dubitavit a perfectione abesse, quae Gregorius XIII. sciverat ad corrigendum Calendarium, & quoties in hunc sermonem dela-

beretur, solitus erat dicere, maximas laudes deberi Aloysio Lilio, mediocres Christophoro Clavio, & nullum esse cyclum, qui omni vitio careret. Dum agit cum Pontifice Grandius, oblata est ei occasio declarandi maximas utilitaies, quae sperari potuissent, si ad exitum pervenissent consulta a se de derivanda ex Pado quadam portione aquae, cujus ope Rhenus facile ad mare usque fluere posset. Sententiam Grandii una voce & consensu approbarunt Bononienses; sed Romani judices, cum quadriennio disputatum esset, repudiarunt. Dona habuit Grandius a Pontifice, singularesque honores ab omnibus iis, qui haud erant ignari, quid valeat sapientia. Cum satisfecisset *Visitatoris* muneri, & repulsam a suis summae dignitatis accepisset, Pisas remeavit, ubi si vitam otiosam sine labore & contentione (& quietem profecto defatigatus illius animus postulabat) traduxisset, minime fortasse in tanta, quanta perferre debuit, mala incidisset. Exeunte an. 1737. coepit vacillare memoria, idque malum brevi adeo crevit, ut aegre nomina eorum, quibuscum versabatur, meminisset. Nihilo tamen minus a schola, a studiis, & a scriptione noluit cessare, quae cum praestare sine summa difficultate non posset, non erant sine dolore & miseratione spectantium. Hujus infirmitatis signa dedit in epistolis, praefationibus & scholiis, quae tum addidit suis geometricis & mechanicis Institutionibus, ceterisque in rebus, quae scriptoris, non geometrae prudentiam (nam res ipsae adhuc in memoria haerebant) requirerent, quanquam intelligentium judicio pauca quaedam sunt etiam in iisdem mechanicis Institutionibus, in quibus Grandius errasse videtur. Cunctantem & prolatantem adhibere remedia ingens vis morbi adorta est, summaque debilitas consecuta exeunte an. 1740. Stupor etiam paullo post ipsum oppressit, sic tamen ut intelligeret se miserrimum esse, & illam, quam tum vivebat, minime esse vitam. Hoc in statu cum sexdecim & amplius menses fuisset, mortem obivit IV. Non. Quint. an. 1742. Quoad sivere tenues reliquiae virium rem sacram facere, & publicis precationibus adesse voluit, quod religiosus homo pio Dei cultu unice se recreari diceret. Collegae illius

non solum luctu, sed etiam pompa exequiarum, laudatione, & monumento mortuum honorarunt. In monumento vero hoc legitur elogium.

D. GUIDONI GRANDIO CREMONENSI CAMALDUL. ORD. EXGENERALI

ANNOS XX. MONASTERII HUJUS ABBATI

IN PISANO LYCEO PRIMUM PHILOSOPHIAE

DEINDE MATHESEOS PROFESSORIS CELEBERRIMO

GEOMETRAE NULLI SECUNDO

EDITIS INGENII PRAECLARIS MONIMENTIS CLARISSIMO

THEOLOGO SUMMO PONTIFICII ET CAESAREI JURIS

HISTORIAE CUM SACRAE TUM PROFANAE PERITISSIMO

QUOD TEMPLUM HOC PRETIOSA SUPELLECTILE

MONASTERIUM AEDIFICIIS BIBLIOTHECA

REDITIBUSQUE EIDEM ATTRIBUTIS LOCUPLETARIT.

D. AUGUSTINUS FORTUNIUS FORZONIUS-ACCOLTIUS MONACHUS

EIDEM BIBLIOTHECAE PRAEFECTUS

VIRO DE UNIVERSO ORDINE DE LITTERARIA REPUBLICA

DE SE OPTIME MERITO

PERENNE GRATI ANIMI MONUMENTUM.

OBIIT IV. NONAS JULII CIↃ IↃCCXLII.

AETATIS SUAE ANNO LXXII.

Cum tanti viri imaginem exprimere voluissem, plus quidem negotii suscepi, quam meae vires paterentur, neque dubito quin multa praete-

Digitized by Google

rierim, quae ad ejus singularia in rem litterariam merita bono in lumine collocanda valuissem. Neque sane erat homo, qui de se praedicari noluisset, cum & laudes quaereret vel ab iis rebus, in quibus excellere minime putabatur. Vere quidem ajebat eam vim ingenii, qua quis in sublimiori geometria valet, non multum a poetica facultate discrepare, eaque propter Latina praesertim carmina pangens, *inter amabiles vatum ponere se choros* minime dubitavit. Quam vere tu videris, quamvis facilis & expeditus esset ad versus faciendos, quos & ex tempore fudisse narratur. Sane quod spiret adhuc, quod placuerit, quod expetitus fuerit a summo Pontifice Clemente XI. a Sardiniae Rege, a Veneto Senatu, quod ejus nomen vel ad remotissimas regiones pervenerit, id totum fuit mathesis, in qua arte quam sit difficile excellere, ii viderint, qui ejus arrogantia ita subnixi ambulant, ut omnes prae se contemnant. Atque hoc loco minime praetereundum putamus, de Borellio, Marchetto & Grandio plura etiam nos alibi narrasse, quae non ita coarctanda esse putavimus, ut minus lucide appareret qui quantique fuerint viri.

CAPUT XV.

De Anatomes Magistris.

JOannes & Petrus Ruschii fratres, de quibus superiori in volumine diximus, sic obierunt munia, quae sunt anatomicorum propria, ut per eos quoque steterit hujus cathedrae dignitas. Petrus naturae cum cessisset an. 1625. locum fecit Valerio Nervio Pisano, in eo quod pertinet ad Chirurgiae cathedram. Ut consuleretur vero anatomes studiosis, anno post Pisas venit Danus quidam, qui Florentiae suam in hac facultate peritiam probaverat. Expleto anno, Patavium concessit, ex qua urbe in patriam, unde bellorum caussa discesserat, rediit. Itaque an. 1627. commissum fuit Joanni Bellavitae, de quo etiam alibi diximus, ut una cum medicina anatomen quoque doceret: sed ex eo nisi mediocres tulerunt fructus discipuli. Uberiores, & praestantiores capere potuerunt ex Jo. Baptista Ruschio Joannis filio, qui postquam logicam, & per aliquot annos practicam medicinam docuerat, an. 1634. extraordinarius, & postmodum ordinarius anatomes Magister declaratus est. Is bene posuerat initia adolescentiae, cum diligentissime operam dedisset Graecis & Latinis litteris, quae maxime studia in prima aetate, tanquam in herbis, significant, quantae fruges industriae sint futurae. Tantum evigilabat in studio, ut cum ageret XXVI. aetatis annum, edito Pisis an. 1631. libro *de visus organo*, in gloriam eorum, qui inventores & magistri dicuntur rerum anatomicarum, venire se posse speraverit. Postquam satis diligenter in eo exposuit, quid de hoc organo ceteri ante eum anatomici tradiderant,

Digitized by Google

communem se cum patre habere laudem ait, quod omnium primi vitream membranam detexissent (1). Quam vere tu videris. Morgagnius quidem (2) & Hallerius (3) hujus inventi gloriam dant Falloppio, qui vel ab anno 1561. hac de re satis multa vulgaverat. Antecessisse quoque videntur Ruschium Sylvius, Cojterus & Fabricius ab Aquapendente in notando Galeni, aliorumque errore, qui putarunt ab aracnoidea indui tantummodo anteriorem, minime vero posteriorem crystallinae lentis partem. Sunt & alia quaedam in eodem libro, quae minus vere a Ruschio prolata fuisse videntur, quaeque minime consentanea sunt recentiorum anatomicorum observationibus. Nihilo tamen minus magna de Ruschii doctrina fama percrebuit, ut multi ejus audiendi caussa ex remotissimis regionibus Pisas advenerint. Hujus rei testem habemus summum virum Thomam Bartholinium (4), minimeque assentationis crimen veritus est Claudius Berigardus, cum de eo talia memoriae mandasset (5): *singulari quoque vir ingenio Jo. Bapt. Ruschius, qui hanc adeo gloriam in Pisano Lyceo sibi comparavit, ut solus rem medicam & anatomicam, si forte aboleretur, suscitare possit.* Praetermittimus aliorum virorum de eo testimonia honorificentissima, & nunquam sane curam & diligentiam in instituendis adolescentibus ab eo desiderarunt Academiae Praefecti (6), quamvis

---

(1) Pater meus (*sic ipse*) haloideam agnovit, sed araneae conjunxit, araneum dicens, non crystallinum modo, sed & vitreum humorem investire.

(2) Epist. Anatom. XVII. n. 22.

(3) Physiol. Tom. V. p. 392.

(4) *Pag.* 10. *Dissertationis* de Peregrinatione medica.

(5) Circ. Pis. Part. III. in Praefat. & Circ. X. p. 337.

(6) *Cum de eo referret ad Principem an.* 1636. *Gherardus Saracinius ait*. Gio. Batista Ruschi cominciò a leggere logica ott'anni sono colla solita provvisione di 45. Scudi. Nel 1632. ebbe aumento fino a 70. Scudi. Nel 1633. cominciò a leggere teorica medicina senz'aumento, siccome ha continua-

infirma, & saepe etiam aegra valetudine esset. Cum deerant laqueo suspensorum cadavera, animalia secabat, & auctor est Franciscus Bonamicius (1) quaedam ab eo se didicisse de bestiarum foetu, & hujus nutritione. Quo in genere studiorum eo major erat Ruschii contentio, majorque laus, quod solus in tam praeclaro stadio decurreret,

---

to fin ora. Parimenti nel 32. fece la notomia a prova, & ebbe per regalo Sc. 60. nel 33. non vi fu comodità di corpo per tagliare, nel 34. fu arruolato per anatomista con doversi dichiarare la sua provvisione in altro tempo, ma in quell' anno non esercitò perchè fu malato. Al principio del presente studio fu dichiarato Anatomista ordinario, con promessa di dichiarargli la provvisione in Pisa . . . . Il Dot. Gio. Ruschi Padre del Supplicante cominciò a leggere Chirurgia nel 1576. con provvisione di 45. Scudi, e in due volte ebbe aumento fino a 90. Scudi, avendo durato di leggere fino al 1586. nel 87. fu arruolato Anatomista con provvisione di 130. Scudi, e lassò al Dot. Pietro suo fratello la lettura di Chirurgia. Ebbe più aumenti, e nel 1609. fu dichiarato Anatomista ordinario con provvisione fino a 270. Sc. e nel medesimo anno ebbe ancora un' aggiunta di nuova lettura di medicina pratica. Finalmente nel 1616. ebbe aumento fino a S. 330. e poco dopo morì. Il Dot. Pietro esercitò egli ancora dopo la morte del fratello l'Anatomia, ma per esser di minor valore fra lettura d' anatomia e chirurgia non ebbe più di Sc. 250. in tutto. Aggiungo che nè il Dot. Gio. nè il Dot. Pietro hanno mai letta Anatomia in altro tempo, che nei giorni del taglio, i quali sono intorno a 15. quando ci è un corpo solo, e intorno a 30. quando ce ne sono due, leggendosi sempre due lezioni il giorno. Trovo che il Dot. Bellavita in due anni, che tagliò un corpo per anno, ebbe di regalo 90. Sc. l'anno, ma perchè non diede soddisfaziona non fù più adoperato, e però vivente lui fu ammesso alla prova il Supplicante. Innanzi il Bellavita tagliò il Dano un corpo solo, ed ebbe per regalo 150. Scudi, ed era stimato valoroso. Il Supplicante è tenuto di molto ingegno, e di grande studio. Ha molti scolari, per i quali si affatica con sua lode, & è osservante a puntualissimo nel leggere.

(1) De alimento lib. V. Cap. I. p. 620.

Digitized by Google

neque ullum haberet aut itineris ducem, aut adjutorem laboris. Neque se continuisse videtur in medicis & anatomicis exercitationibus. Etenim an. 1642. petiit a Magno Duce, ut sibi potestas fieret diebus festis feriatisque tradendi, quae ad physionomiam pertinent, qua in re ejus & discipulorum votis satisfactum est. Quod saepe oculi, quemadmodum animo affecti simus, loquantur, & ita speciem oris natura formasse videatur, ut in ea penitus reconditos mores effingeret, & vocis etiam moderatio, & orationis vis, & incessus motusque omnia corporis indicet mores, de his rebus omnibus sic disputari potest a philosopho, ut ab eo boni aliquid, tanquam salutare ad vivendum cum hominibus, adsciscì possit. Ad insignem illam latissimeque patentem doctrinam, quam sibi in omni fere eruditionis genere comparaverat Ruchius, multa a natura habuit adjumenta, acre ingenium, excellens judicium, memoriam plane singularem: plura etiam adjunxit ipse ab industria: diligentiam enim adhibebat ad omnia incredibilem, eodemque studio sibi & auditoribus consulebat. Itaque ex illius immatura morte (1), quae accidit an. 1649. magnum Academia accepit detrimen-

(1) *Huic magnificum monumentum positum fuit in Aede S. Frigdiani cum hac inscriptione, quae saeculi infcetissimi imaginem exprimit.*

D. V. M.

Joannis Bap. de Ruschis Civ. Pis. Phil. Med. & Anatomiae in Patria Acad. ultima laude Publici Professoris praecipiti occas. moderata difficili judicio diluto longa arte ac periculoso experimento superatis quum ingenii magnitud. etiam de brevi. vit. contenderet solicita mors ne diem vitaret inevitabilem festino letho soporavit agentem annum XLIIII. Antonius Ghirlandarus avunculus & haeres Innoc. X. P. M. subpraefectus domi, quod aemulat. vel odio de mortal. erept. fuerat reddidit immortalitati hoc monumento amoris ac pietatis ergo. A. M. DC. LIII.

Digitized by Google

mentum, non solum quia magnum amisit virum, sed etiam quia plurimum imminuta fuit anatomicae cathedrae dignitas. Nullius enim nominis fuisse videtur Jo. Franciscus Ridolphius, ipse quoque Pisis ortus, qui per quadriennium eamdem rexit, postquam per annum orba magistro fuerat. Mortuo eodem, anno 1655. Thomas Belluccius (1), de quo alibi diximus, vices anatomici supplevit, & anno post locum fecit Claudio Auberio Lotharingio, qui cum paullo ante Patavio Florentiam accessisset, non potuit non summe esse commendatus Ferdinando II. ab ipsa opinione doctrinae. Itaque omni diligentia, atque liberalitate retinendum putavit. Saepe cum ipso locutus est Claudius de iis, quae in secandis animalibus aut per se noverat, aut ab aliis didicerat, & ex studio, quo haec quaerebantur audiebanturque, colligere potuit, quam bene positurus esset operam in novis investigandis. Habuit porro Alphonsus Borellius ab eo magna adjumenta ad noscenda quaedam, quibus uti meditabatur in conficiendo opere de motu animalium, & quod ejus testimonium honorificentissimum putamus, hoc loco referre minime pigebit. *Has omnes imaginationes* (inquit ille) *aperte rejicit accurata recentiorum anatomica observatio, quorum primus fuit clar. Auberius, qui dum Pisis anatomiam*

(1) *De eo haec retulit Philippus Magalottus Academiae Curator Litteris datis IV. Kal. Aprilis 1656.* Ebbero principio fino da lunedì passato dopo desinare le lezioni della Notomia con frequenza grande al solito, e maggiore talvolta del consueto, per quanto mi dicono, così perchè già molto tempo non se n'erano fatte, come forse per curiosità ancora di sentire il nuovo Professore pro interim il Sig. Dot. Bellucci. Ha egli cominciato con buon cuore, dimostrando ancora di non aver perdonato a fatica per riuscir bene: se poi sia per dare intiera soddisfazione in materia, che se niun altra lo richiede, questa crederei io, che volesse uomini consumatissimi, non saprebbe fin'ora la mia debolezza giudicare.

profiteretur in meis aedibus an. 1657. *mihi & claris. Malpighio, & aliis ostendit in testiculo ovis elixato totam ejus molem constare ex innumeris candidis columnaribus filamentis, ad instar vermiculorum extensis ab ambiente tunica nervosa ad testis axim intermedium. Tales fibrae repletae erant succo lacteo seminali, in quibus facta levi compressione guttatim succus ille effluebat. Sed multo clarius hoc patuit in testiculis apri M. D. E. Ferdinandi II. jussu mactati eo tempore, quo solent haec animalia coire, quando scilicet eorum testes valde turgidi sunt succo seminali, & tunc vasa illa, quae pulli gallinacei pennas fere aequant, distincte absque ulla praeparatione conspiciuntur .... Postea idem Auberius, meo suasu, pulcherrimam hanc observationem typis excudit, addita eleganti aenea figura Florentiae an.* 1658. Non ultra biennium usa est Academia Auberii opera, & postquam per annum siluit Anatomes cathedra, locum an. 1659. dedit Jo. Finchio nobili Britanno cum CCCCL. centussium mercede. Litterarum amor & philosophiae studium, quod praesertim in Mediceorum Principum aula excoli audierat, invitavit ipsum ad visendam Etruriam, in quam vix pedem intulit, cum singularibus honoribus affectus fuit. Multa enim de eo fama nuntiaverat. Quidni felices illos, ut Plinii verbis utar, appellabimus, quorum industria non per internuntios & interpretes, sed ab ipso Magno Duce, atque ab ejus fratre Leopoldo, non auribus solum, sed etiam oculis probabatur? Affectata aliis scientiarum cupiditas, illis ingenita atque innata, quo fiebat, ut cum doctis hominibus, quasi cum liberis parentes, versarentur. Nec sane mediocris momenti illa fuisse putaveris quae Finchius illorum oculis subjicere consueverat. Ut unam rem exempli caussa ponam, testem adhibebo Berigardum, qui de chylo sermonem habens haec ait: *trahitur non meseraicis, uti credidit tota antiquitas, sed venis quibusdam minutissimis, quas Neoterici lacteas vocant, eo quod incisae reddunt succum lacteum. Illae ab intestinis per mesenterium dispersae quamplurimos immittunt ramos ad pancreas, jugularem dextram, & inde ad cor per ductus,*

quos praeclare ostendit Jo. Finchius nobilis Anglus in Lyceo Pisano Anatomicus Ordinarius, ut & multa alia scitu dignissima, coram Serenissimo Magno Duce, non minori laude ac gloria, quam Guilelmus Harvejus decus inclitae suae nationis, cujus & ille spes altera dici potest. Quin etiam, si Deo placet, ductus alios ostensurus est ad mammas atque uterum pertinentes. Scimus etiam ex Borellio (1) coram Magno Duce de torpedine multis disseruisse Finchium, tantumque huic tribuisse, *ut qui tremore paralytico vexabatur, affirmaverit . . . . sibi molestum dolorem brachii per duos dies intulisse piscis illius contactum.* Fuerant quaedam de nervo optico alterius piscis, de quibus minus inter se convenerunt Finchius & Borellius ipse, quae dissensio caussam dedit hujus scripto, quod inter Marcelli Malpighii opera posthuma locum obtinuit (2). Quando haec litteris mandavit Borellius, aberat Finchius ab Etruria. Veniam enim ab Magno Duce obtinuerat revisendi Romam Neapolimque, ac vicinas regiones una cum Thoma Penis ipso quoque Britanno (3), quos

(1) De mot. animal. Part. II. p. 441.

(2) Pag. III.

(3) *Hujus itineris gratia has litteras dedit Leopoldus Princeps ad Michaelem Angelum Riccium XVII. Kal. Octobr. 1663.*

Viene a cotesta volta il Sig. Giò. Finchio Cavaliere Inglese, per passare a Napoli, ed intanto osservare costì quel che vi fusse di curioso, che non fusse stato da lui veduto l'altra volta che fu in Roma, e conoscere i più insigni per virtù. Questo Signore è molto amato, e stimato dal Sereniss. Granduca, e da me, per la sua virtù, come forse per la medesima sarà anche ben noto a VS., e si diletta grandemente della Filosofia, ricercando con curiosità non ordinaria le cose Naturali, e la verità di esse. Viene in sua compagnia il Sig. Dott. Tommaso Penis, ancor'egli ripieno di virtù, e suo amicissimo; e perchè desiderano d'avere qualche in-

Digitized by Google

studiorum similitudo ita conjunxerat, ut omnia communia haberent. Multa observavit, ac non pauca collegit ad naturalem historiam pertinentia, ut non tam sibi, quam suis Maecenatibus satisfaceret. Neque multos post menses ad suum pristinum munus rediit *titulo*, sicuti testatur Adrianus Vanden-Broechius, *medici Reginae Britanniae honestatus*, quem honorem vere anni 1665. Rex auxit, cum ei commisisset negotia sua apud Magnum Ducem (Residentem dicunt) procurandi. Neque hic constitit Regis ipsius liberalitas. Decennio enim post misit eum Legatum ad Turcarum Regem, & ubicumque fuit, feliciter expertam Mediceorum Principum amicitiam omni officiorum genere coluit, & desiderium nova investigandi aluit. Cum primum in Etruriam venit secum habuit anatomicum sectorem, quo nemo peritior iis temporibus fuisse videtur, quique appellabatur Tilmannus Tructwyn Rurae-Mundano-Sycamber. Ejus manus oculatas dixisses, nec credebat nisi quod vidisset. Hic quoque addictus aulae, & fortasse Academiae Pisanae fuit, nec desuut testes, qui affirmant illum mortem obiisse Florentiae ineunte anno 1678., postquam diu medicinam quoque exercens operam suam Nocosomio S. Matthaei tribuerat (1).

Quo plus cupiditatis & studii videbantur afferre Medicei Principes ad noscendam miram animantium corporum fabricam, eo plus anatome apud nos in honore erat. *Hanc unam* (ipsos alloquens

---

troduzione appresso persona che sappia indirizzargli acciò possino sodisfare al loro virtuoso genio: e sapendo io che il mezzo di VS. può sommamente essergli favorevole, mi piglio sicurtà d' inviargli a Lei, con fiducia che essi sieno per riconoscere nel medesimo tempo la di Lei singolare cortesia, e la parzialità del mio affetto, che anche in ciò bramo di dimostrargli. Prego però VS. a voler somministrare a detti Signori quelle notizie, che li bisognano, e si accerti pure di fare a me cosa gratissima; mentre resto ec.

(1) *Vide Targionium* Tom. I. p. 275. notizie degli aggrandimenti ec.

Digitized by Google

aiebat Bellinius) *prae ceteris non in Lyceis solum vigere voluistis, & Litteratorum conventibus, sed apud vos in aula, in cubilibus, ac penetralibus vestris, Principes, meditari, loqui, peritos consulere, testes oculatos adhibere anatomicis observationibus, easque admirari semper atque extollere, nunquam tamen satis pro merito laudatas praedicare*. Itaque quicunque ex diversis regionibus Florentiam convenirent opinione doctrinae commendati, singularibus honoribus ac praemiis afficiebantur. Quam liberaliter hisce temporibus acceptus Stenonius, quantisque in rebus adhibitus! Is in Florentino S. Mariae Novae Nosocomio una cum Finchio, & Laurentio Lorenzinio documentum dedit singularis industriae atque acuminis in quaerendis rebus, quae tum aut incomprehensae, aut non bene perceptae dicebantur; is cum Redio Zootomiam & Naturalem historiam sic excoluit, ut multa antea incognita invenerit; is demum nullum abire diem sinebat, quin ad aulam accederet cum dono novarum rerum, quas observaverat atque collegerat. Adjungebat ad singularem doctrinam rariora atque difficiliora genera virtutis, quibus fiebat, ut summis laudibus ab omnibus ad caelum efferretur. Sed nolo plura de eo nunc dicere, quod ipsius vitam declaraverim, & quod, quamvis officia multa tribuerit Academiae nostrae, nullum tamen in ea munus exercuit.

Gloriose sane tum medici, tum anatomici munus exercuit Carolus Fracassatius Bononiensis, qui antequam ad nos an. 1663. veniret, medicinam in patria docuerat, sequens maxime vestigia Hippocratis, ut ex ejus *Praelectione medica in Aphorismos* edita an. 1659. intelligi potest. Quanquam tum Bononiense Lyceum abundaret philosophiae doctoribus, perpauci tamen erant, qui experientiam consulerent, nec mediocria sane ferre debuit Malpighius, cum ex Pisano ad ipsum redux ea exponeret, quae senes ignorare pudebat. Quare si erat aliquod levamen, id erat in uno Fracassatio, quocum anatomes studia exercere pergebat. Cum vero ab ipso sejunctus est, gaudere se dixit, quod theatrum bellissimum ille invenisset in aula Mediceo-

rum Principum, apud quos cetera inter exposuit, quae de nervi optici, & linguae structura, de gustus organo, aliisque hujusmodi rebus anatomicis aut per se, aut conjuncta opera cum aliis, saepe lumen praeferente Malpighio, detexerat. Harum rerum omnium certissima monumenta habes in hujus scriptis, & memoriae prodidit Fracassatius ipse quot Pisis, quot Florentiae coram Magno Duce habuit experimenta de viscerum & pulmonum fabrica, de causa apoplexis ob intercepta vasa in pectore, de aeris ductu in animantibus corporibus, de sanguinis concretione per infusos diversi generis liquores, deque remediis (1), quibus saluti eorum subveniendum putavit, quibus hoc impendebat malum. Leopoldus ipse Mediceus scribens ad Finchium testimonium tribuit honorificentissimum doctrinae & diligentiae Fracassatii (2), cum affirmasset lenivisse eumdem desiderium ipsius absentis in administrandis rebus anatomicis, quarum caussa levatus onere docendae medicinae fuerat. Unum si addidisset ad reliquas laudes, ut sivisset aliquid prorogari temporis ad id, quod pactione finierat manendi in Academia Pisana, ad immortalia illius in hanc merita maximus hoc facto cumulus accessisset. Plurimum vero gavisi sunt Bononienses, quod an. 1668. tantum magistrum recuperassent, & laus ipsius, quae gratissima memoria omnium civium erat inclusa, publica etiam auctoritate testata est. Nihilo tamen minus non amplius biennium in patria mansit, & suadente Malpighio, & lenocinante mer-

(1) *Vid. ejus Dissertationes* de Cerebro *&* de Lingua *inter Malpighii opera, & in Transactionibus philosophicis Academiae Londinensis an. 1667. n. 27. Art. II. narrantur, quae ad liquorum in sanguinem infusionem pertinent.*

(2) Veramente in quest' anno si è lavorato molto nell' Anatomia, & il Terenzi, ed il Fracassati, che vi hanno discorso sopra, hanno fatto bene la loro parte, ma non ci erano il Sig. Cav. Finchio, ed il Sig. Dott. Tommaso, che vuol dire assai.

Digitized by Google

cede DC. & amplius centussium, an. 1670. onus suscepit regendi primam medicinae cathedram in Messanensi Academia. At non multo post is, qui se beatum putabat, propterea quod ab illustrioribus Academiis appetebatur, & omnium sermone celebrabatur, extinctus est, sed bene acta vita in labore tolerando, atque in animi virtutibus colendis magnum morienti attulit solatium. Extitit, qui monumentum illi poneret cum inscriptione (1), & locata quoque ejus effigies fuit eo in theatro, in quo tanta cum nominis sui gloria Bononiae chirurgiam & anatomen docuerat.

---

(1) D. O. M.

Carolo Fracassato Bonon. Philosopho & Medico collegiato quem proprio exemptum Lyceo medicaeque & anatomicae cathedrae Pisis destinatum studiorum mater indoluit quem Messanensis Civitas vix suae primarium universitatis experta inopinato sublatum funere ingemuit Viro omni litterarum genere vere spectabili Joseph Marzarius e Sora utriusq. Universit. Artist. Prior Aeternum posuit Anno XPTI. MDCLXXII.

OPERA EDITA

Epistolae Anatomicae de Lingua & Cerebro: *Extant inter epistolas Anatomicas Marcelli Malpighii*.

Epistolica Dissertatio responsiva de Cerebro ad Marcellum Malpighium: *Extat in* Bibliotheca Mangeti, *in qua etiam extat*

Exercitatio epistolica de Lingua ad Jo. Alphonsum Borellium.

Lettere due a Marcello Malpighi sulla struttura de' Polmoni: *Extant inter opera posthuma ejusdem Malpighii*.

Orazione in morte di Bartolommeo Massari Filosofo e Medico: Bologna 1655. in 4.

Praelectio Medica in Aphorismos Hippocratis: Bononiae 1659. in 4.

Digitized by Google

Sane conjunctiori (1) succedere haud poterat Laurentius Bellinius: successit autem an. 1668., & gravi ac periculoso morbo impeditus novae cathedrae munia obire minime potuit, nisi ineunte anno 1670. (2). Quanquam hoc sit in more positum, ut qui semel orationem habuere, quae haberi solet, cum quis primum Academiae fores ingreditur, non surgant amplius ad dicendum oratorio plane modo, ad regendam licet novam cathedram vocentur, Bellinius tamen motus Fracassatii exemplo de studiis anatomes, deque hujus disciplinae praestantia atque utilitate sibi dicendum putavit, & qui antea sic laudaverat philosophiam, ut hoc bono nullum optabilius, nullum excellentius mortalium generi Dei concessu ac munere datum videretur, multa quoque & ornate, & honorifice & graviter praedicavit de illa disciplina, quam profiteri debebat, & a qua in aetatis flore summam famam collegerat. Habuit statim in quo illam exerceret, cum capitalis criminis reus morte tum mulctatus fuisset. Quando vero haec cadavera praesto erant, bis in die anatome administrabatur, & quod in

(1) *In libro* de gustus organo *Fracassatium appellat* virum sibi amicissimum, & adeo unanimia genii, ut vel fata, si liceat mihi fingere, arbitrio meo unanimem magis conformare non possim, nisi quod hoc unum habet ille unde differimus, quod omnis eruditionis, omnis doctrinae, & bonae mentis est planus.

(2) *Ne quid detrimenti Anatomes studiosi acciperent, decrevit, qui Academiae res curabat, Ferrantes Capponius*, che durante la malattia del Bellini tutti li Lettori di medicina facessero tre lezioni per ciascheduno, e però in casa di Monsignore Marsilj fece fare un' imborsazione delli detti Professori, e così si tirò a sorte il Lettore, e le lezioni che gli dovevano toccare a leggere, e lo fece avvisare a tutti anticipatamente acciò si trovassero preparati. *Eo in loco, quo haec narrantur, additur*: Domenica 17. Marzo (1669) lesse Notomia il D. Pagni sopra il corpo di un ermafrodito morto allo Spedale, ed ottenuto per singolar concessione di S. A. S.

in hac facultate excellere putabatur Bellinius, & quod valebat eloquentia, nullius unquam exaudita est vox libentius. Mihi autem ignosci volo, si hoc loco referam, quae alibi de tanto viro multis verbis narravi, non quod mea magni faciam, sed quod maxime interesse puto Academiae nostrae, ut tota vita noscatur hominis, a quo singulariter ornata fuit, quippe vere de eo praedicatum a Boerhaavio *in tota disciplina medica reperiri neminem, quem jure huic praeferas, vix unum forte vel alterum haberi, quem comparare illi liceat*. Porro huic contigit in primis, ut homines & voce, & scriptis, & exemplo doceret, quam mirabiles ex mechanica possit medicina utilitates percipere, novamque pene scientiam efficeret, quam mechanicae medicinae nomine appellamus. Sed ab initio est ordiendum. Natus is est Florentiae patre Hieronymo, matre Magdalena Angela Minuta civibus Florentinis III. Non. Septembris an. 1643. Duro admodum principio usus est adolescentiae. Nam & patrem, paternaque bona magna ex parte amisit, aliisque conflictatus domesticis aerumnis, parum abfuit, quin de litterarum curriculo, quod a prima aetate incredibili expectatione ingressus erat, deflecteret. Sed his malis non mediocre levamen inveuit in liberalitate Ferdinandi II. qui cum ex eo aliquando quaesiisset, quam in facultatem esset propensior, audivissetque eum praesertim ferri in medicinam, ceterasque physicas facultates, Antonio Olivae, & Joanni Alphonso Borellio ipsum instituendum dedit. Principio Oliva ei Gassendi dogmata explicavit; postea in Galileii scriptis ipsum exercuit; ac postremo suam quamdam propriam philosophiam illi dictavit, in qua multa, quae experientia duce per illos dies detecta fuerant ab Academicis *del Cimento*, quorum in numero erat Oliva ipse, continebantur. Coepit etiam Oliva erudire Bellinium in medicina: sed, quod ei raro dabatur facultas discedendi a latere Magni Ducis, non admodum poterat suorum discipulorum utilitati servire. Nihilo tamen minus multa se didicisse ab Oliva profitebatur Bellinius, quem frequentavit toto illo tempore, quo is in Etruria fuit, & absentem etiam coluit, praesertim cum ab eo

Digitized by Google

de rebus medicis saepe consuleretur. Eodem tempore dedit etiam operam Francisco Redio, quem sibi principem ad suscipiendam & ingrediendam medicorum studiorum rationem extitisse dicebat, & Alexandro Marchetto, a quo mathesis elementa accepit. Sed majora sunt, quae a Borellio habuit doctrinae adjumenta; cum ab eo non solum in mathematicis disciplinis, sed etiam in philosophicis & in anatome eruditus fuerit, quorum summorum virorum praeceptis, bonitate ingenii, & industria prope incredibili, brevi eo pervenit, ut omnibus esset admirationi. Instituerat per illa tempora Borellius suum immortale opus *de motu animalium*, ad quem motum investigandum, cum necesse ei esset magnam animalium copiam secare, sibi assidue adesse Bellinium sectionum adjutorem volebat. In hoc officio cum esset occupatus Bellinius, fortunate ei evenit, ut quaedam vasorum capillamenta in cervae rene, ad extimam usque illius superficiem pertingentia, animadverteret. Hoc cum novum esset, desiderium in illo excitavit diligenter inquirendi renum fabricam atque naturam. Invenit itaque falso creditum ab anatomicis hanc duram, solidam, carnosam, nullisque fibris, aut saltem paucis intextam esse, totamque constare ex fasciculis canaliculorum, & capillarium meatuum, per quos urina in pelvim effluat. Laetus hoc invento Bellinius illud in lucem protulit, edito an. 1662. Florentiae libello, quem inscripsit; *Exercitatio anatomica de structura & usu renum ad Cosmum III. Etruriae Principem*. Non tamen est celandum de pelvis tubulis, & renum canaliculis, & horum in papillas iis tubulis exceptas conjunctione aliquid innuisse, quamvis perobscure, omnium acutissimum anatomicum Bartholomaeum Eustachium in eo, quem an. 1563. vulgavit *de renibus* libro, qui cum prorsus latuisset Bellinium (erat enim liber rarissimus) ne Eustachii quidem mentionem fecit eo loci, quo veterum & recentiorum anatomicorum opiniones de renum fabrica recensuit. Paucis post mensibus, quam *Exercitationem* suam in vulgus ediderat Laurentius, audit Eustachii librum extare, huncque ipsum per illos dies Magnum Ducem Ferdinandum dono accepisse. Facile concessum

avidissime pervolvit, doluitque vehementer illum minime advenisse in tempore, quo sic potuisset, qua in re secum Eustachius conveniret, aut dissentiret, ingenue aperteque exponere. Timuit etiam, ne aut negligentiae, aut fraudis insimularetur; sed inanem fuisse timorem ex eo intelligi potest, quod omnes, & vel Malpighius ipse (1) cujus auctoritas nemo ignorat quanti in hoc rerum genere facienda sit, una voce consenserunt, hujus inventi laudem Bellinio praecipue deberi; signandosque pelvis tubulos proprio inventoris nomine ad memoriam illius sempiternam. In extrema *Exercitatione*, ubi Bellinius disserit de renum usu, ex Borellii sententia docet, qua ratione serum a sanguine in renibus separetur, quam sententiam quoniam pluribus comprobavit Borellius in cap. IX. voluminis II. operis de *motu animalium*, ad illud volumen rei anatomicae studiosos delegamus. Haec Bellinii *anatomica exercitatio* usque eo celebrata est a doctis viris, ut brevi

(1) *Digna quidem sunt quae exscribantur Malpighii verba.* Eustachius, *ait ille in operibus posthumis p. 37. edit. Amstelod.* censet renes corpus esse continuum, in quo exculpti sint, veluti in cera stylo excavati sulci, per quos excurrit, & percolatur urina. Bellinius autem, & ipsa natura exhibent renes glandulis miliaribus compositos, & aggerie fistularum & vasculorum, quae speciem carnis fibrosae habent, intus tamen cava & tubulosa sunt. Quare Eustachius vidit diducendo renum carnem, aggeriem videlicet fistularum Bellini; vidit, inquam, spatia, & oblongos sulcos inter fistulas locatos, quos pervios ab urina credidit; non tamen est assecutus existentiam tubulorum a Bellino propositorum, qui expressione fluidi, & mente attinguntur, & sunt germana, & vera urinae via. Liquido igitur patet geminas hasce positiones toto caelo distare, & naturam propius attigisse Bellinium, quam Eustachium, & ponere has sententias easdem omnino esse, idem extare, ac si quis diceret manum integrari quatuor spatiis, idem esse ac dicere manum componi quinque digitis articulatis ... Pauca haec pro tutela charissimi amici & veritatis habui. *Haec ille.*

quatuor annorum spatio quinquies typis impressa fuerit; neque illud minoris existimandum est, quod Gerardus Blasius vir doctrina praestans illam ipsam appendice quadam monstrosorum fenum exornavit. Cui contigerat ut tam gloriosa haberet doctrinae testimonia atque insignia, poterat quidem illa vulgaria contemnere, quae impertiri solent iis, qui in publica aliqua Academia studiorum cursum expleverunt. At Bellinius noluit a more institutoque majorum discedere, & post. id. Septembris an. 1662. Pisis ab Alexandro Marchetto lauream philosophiae & medicinae accepit. Declaravit autem quanti illum faceret Magnus Dux Ferdinandus, quod aliquot dies, antequam laurea insigniretur, ipsum ad profitendam logicam in Academia Pisana raro & fortasse singulari exemplo elegerit, quodque non multo post ad cathedram Philosophiae traduxerit; in quibus exequendis muneribus nihil detrahebat de celebritate & frequentia auditorum juvenilis aetas, quin immo, cum haec admirabilitatem magnam faceret, alliciebat atque invitabat. Neque tam doctrinae copiam in Bellinio homines auspiciebant, maximisque efferebant laudibus, quam elegantiam Latinae orationis. Nam quamvis haec, ut ex ejusdem scriptis judicium facere licet, non semper puris & electis verbis, dicendique modis esset composita, vere tamen hoc videor posse contendere, Bellinium omnes, qui tum Pisis erant, uno excepto Benedicto Averanio, doctores hac laude superasse. Sed istud ille curabat in primis, ut sua haec doctrinae atque intelligentiae professio doceret homines per abdita naturae permeare, verumque in occulto latens inquirere sine praejudicata opinione, & in assentiendo cavere non solum a temeritate, quae a sapientia dissidet plurimum, sed etiam a facilitate, adeo vera illa Demeae apud Terentium esse putabat:

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, aetas, usus semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa, quae te scire credas, nescias,
Et quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Sicuti autem dies multas delet opiniones, ita alias confirmat, si in his certa insit judicandi & assentiendi nota; ex quarum numero illae quidem fuere, quas proposuit Bellinius *de gustus organo*, triennio postquam memoratam *Exercitationem anatomicam* ediderat. Hujus scribendi operis occasionem ei obtulit Borellius. Nam cum quodam die ad ipsum venisset, interrogavissetque, num quidnam novi: *habeo sane*, respondit Borellius, *de quo te certiorem faciam. Accepi enim a Malpighio litteras Messanae datas, quibus narrat membranas quasdam in lingua antea incognitas se detexisse*. Postquam attentissime Malpighii epistolam legisset Bellinius, *nunquam ante hoc tempus*, inquit, *in mentem venit oculos, manusque linguae admovere; nunc Malpighii exemplo lubet nos quoque in hanc rem magna & diligenti observatione dignissimam operam conferre*. Stimulos admovente Borellio, qui sane bene noverat singulare Bellinii acumen, vidit hic plura, ob quae omnium, & vel ipsius Malpighii sermone plurimum celebratus est. Inter haec fuerunt papillae illae, quae cum in una parte linguae, ut in apice & in lateribus, sint frequentiores, in alia, & quo magis ad fauces vergunt, sint rariores, in alia demum nullae, gustatum in iis habitare putavit Laurentius; sic ut ubi ipsarum copia major, citius validiusque; tardius & levius ubi minor, ubi autem nullae, gustus nullo modo sentiatur. Has papillas, figura & positione similes esse dicebat Bellinius uvarum racemo, aut lauri baccis, seu potius pratensibus fungis inter herbulas enascentibus, quod pili inter easdem papillas emergunt. Dum haec Florentiae observabantur a Bellinio, Borellius Bononiam nuntiavit Carolo Fracassatio Malpighium novi aliquid, quid tamen istud esset celans, in lingua invenisse. Haec vix ab illo intellecta sunt, deliberavit statim in lingua periculum facere summae suae perspicientiae atque solertiae, quibus admirandam humani corporis fabricam solitus erat investigare & consequi. Peracto opere, significavit Borellio quae a se essent animadversa, quae cum prorsus congruerent cum iis, quae Bellinius notaverat, uterque eorum amici gaudium ob novarum rerum inventionem (non enim eos invi-

dia vulgarium hominum vitium premebat) gavisus est. Eodem tempore litterae quoque Borellio venerunt a Malpighio, quibus declarabat, se papillas in lingua observasse. Ex quo factum est, ut illarum inventionis gloriam communem Bellinius habuerit cum Malpighio & Fracassatio, conjecturae vero, quod in iis sensus gustandi insideat, tanquam propriam sibi arrogaverit (1). Quam opinionem priusquam in suo *de gustus organo* libro exponeret, posuit in medio illustrium non anatomicorum modo & medicorum, sed & philosophorum sententias de sede hujusmodi sensus, deque iis rebus, quae illum excitent ac moveant, & unamquamque suis ponderibus prius expensam rejiciendam putavit. In hoc autem examine cum pro re nata de salibus, a quibus saporem gigni minime dubitabat, disserendum suscepisset, omnibus ostendit quam in chemia esset exercitatus, de qua facultate solitus erat dicere illius fumum stultis offundere caliginem, sapientibus vero hominibus splendidissimum lumen afferre ad ingredienda naturae penetralia. Sed nil tam optabat quam humani corporis fabricam noscere, ut ne aestivis quidem temporibus se contineret, quin inter cadavera versaretur; communicabatque observationes suas non cum Borellio solum, sed & cum Fracassatio, & Nicolao Stenone, hominibus quidem summis, quos ita amabat, ut cum nullis viveret conjunctius. His aliisque laboribus, quos sine intermissione Bellinius impendebat in litteris, fracta illius valetudo fuit, gravemque in morbum incidit, ex quo minime se convaliturum putavit. *Turbatus ordo corporis universus*, ita ille suum hunc miserabilem casum descripsit, *excitatus tumultus intestinus, vitiata munia, fractae vires. Hinc paullatim non distribui nutrimentum, diffluere alvum, cohiberi discursus sanguinis, febre corripi, aestu jactari, & quod unum petere*

(1) *Hermannus Boerhaavius in* praelect. Acad. §. 487. *refert, suffragioque suo approbat experimenta, quibus Bellinius usus est ad suam opinionem confirmandam.*

videbantur tot impetus, angi mirifice caput, atque incendi, violentis ictibus creberrime concuti: quo capitis cruciatu cessante, quasi ejus excidio, pacata seditione, mitiora facta sunt omnia: sed velut invidioso Duce sublato, minimum quiescit plebs, quae sui impos, ac regi nescia, mox inconsulto rapitur in mutua vulnera, atque ex se ipsa perditur, subito afflicta corporis parte principe, saevire morbum intensius, & me ad extrema deducere. Tunc ego lustrare me totum, & undique occurrere argumenta discriminis mei. Haerens imis visceribus humor nocentior, aridae fauces, sitisque nullus sensus, consumens ardor intrinsecus, inquies, dormitans, lassitudo virium & consternatio, ubique macies & pallor, & imago cadaveris, dubia mens, & quod maxime lacrimabile, in tanta malorum eluvie opinio nullius mali, quam tamen si quando mei compos factus recta periculi cognitione corrigebam, de me facilius desperabam, iis subsidiis, iisque subsidiariis destitutus, quae illa necessitas postulabat. In hoc cum esset statu Bellinius Pisas venit Magnus Dux Ferdinandus. Vix ille noctem ab itinere quieverat, cum hominem ad Bellinium misit, qui ei nuntiaret valde se de illius aegritudine dolere, quique eidem grande argenti pondus deferret, & omnia summa suo nomine polliceretur. Jussit etiam illius lectulo continuo adesse eos ipsos sapientissimos medicos, quibus valetudinem suam commiserat, & e suo penu parari tum medicamina, tum morbi solatia, suppeditarique eidem omnia illa, quae vel ipse laborans exigeret. Adeo vero anxie de illo sciscitabatur, dolenterque adeo de gravi ipsius periculo loquebatur, quasi Academia Pisana in unius capite discrimen esset habitura. Evasit ex morbo Laurentius, fueruntque gratulationis fructus nova munera, quae a Principe amantissimo accepit. Cum vero ab eodem postulasset vacationem a studiis, ita obtinuit, ut quae ceteris dari solent stipendia operae & laboris, ipse haberet otii & quietis praemium. Tot tantaque beneficia non minus litteris, quam Bellinio decora adeo gratum illius animum inflammarunt, ut melius se auspicari minime posse putaverit demandatum muneris do-

Digitized by Google

cendae anatomes, quam ab eucharistica oratione, quae divina in se merita Mediceorum Principum exponeret atque illustraret. Quam orationem cum anno post typis mandasset, ut esset perpetuum grati animi sui testimonium, in fine illius extare voluit demonstrationem quinquennio ante a se excogitatam cujusdam propositionis, quae in mechanica reputatur maxima, & veluti illius fundamentum. Propositio autem haec est: *momenta inaequalium facultatum ab inaequalibus longitudinibus pendentium sunt in ratione composita ponderum & longitudinum*. Ab hac demonstratione Alexander Marchettus initium fecit operis *de resistentia solidorum*; & homo plusquam satis esset gloriae avidus de Bellinii invento in praefatione libri sic loquitur, ut ejusdem inventi laudem sibi cum illo (injuria quidem, ut ex certissimis scimus testimoniis) communicandam putaverit. Paullo ante quam Bellinius illam eucharisticam orationem haberet in magna auditorum frequentia, suam probaverat jam omnibus eloquentiam, qua, dum studia in Academia instaurarentur, adolescentes ad ardua & magna quaeque suscipienda excitaverat. Profecto Bellinius cuivis par esse poterat in inveniendis argumentis, iisque apte concinneque disponendis, luminibusque sententiarum (quanquam his interdum deesset, ut diximus, incorrupta Latini sermonis integritas) ornandis. Nec minus, cum e superiori loco doceret discipulos, apparebat in eo vis egregia dicendi. Dicebat autem memoriter quae scripto prius notaverat, a quo etsi saepe discederet, nunquam tamen haerebat, reliquaque semper similis consequebatur oratio. Quanta vero copia rerum & varietate instructa esset ejus eloquentia satis dici non potest; idemque fateri non dubitavit multos, & magnos, & difficiles se suscepisse labores, ut si non semper recondita & nova, novo tamen semper modo, proponeret auditoribus suis. Hic tamen non effugit quorumdam collegarum suorum invidiam, cujus erat caussa,

Vel quia nil rectum, nisi, quod placuit sibi ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quae
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Ne-

Neque non erat apertum venisse quoque Bellinium in odium illius, qui Academiae praeerat; quam ob rem multas is ferre debuit acerbitates. Haec ille intuens, cum quemadmodum adversariorum suorum offensionem sedaret, nesciret, & quorsum evaderet, timeret, ad Leopoldum Cardinalem Mediceum (mortuus enim erat Ferdinandus Magnus Dux) confugit, ab eo opem consiliumque petens. Ne vero, quae in se erant invidiosa, invidiosiora faceret, & ne quid de summa diligentia remitteret, quam anatomes studiosis praestabat, non putavit servandum esse promissum, quo se obligaverat Ferdinando, intra quadriennium conficiendi vulgandique opus, quod omnem de respiratione doctrinam complecteretur. Cujus operis si cupis totam formam cognoscere, ex qua quale aedificium futurum fuisset, facile conjicies, epistolam, qua illam suam eucharisticam orationem Magno Duci nuncupavit, adibis. Non parum quoque ad ejus remorandam industriam valuisse reor dolorem, quem ex morte cepit tum Ferdinandi ipsius, tum ejus fratris Leopoldi, quasi cum iis omnes spes suae interiissent. Cum experrecta tandem ejus virtus fuisset, coepit acrius & vehementius medicinam colere & ad communem utilitatem, & ad propriam delectationem. Nullum enim arbitrabatur majus aut melius a Deo datum homini munus illa facultate. Cum vero in evolvendis medicorum libris omnem cognitionem multis obstructam videret difficultatibus, summamque esse in rebus obscuritatem, & in judiciis infirmitatem, non sine caussa eo pervenire se posse, quo cupiebat, saepe diffisus est. Nec ille tamen defecit, studiumque exquirendi veri reliquit; intellexitque tandem tum se fore prudentem medicum, si in medicinae subsidium artem mechanicam praesertim vocaret. *Homines*, querebatur olim Hippocrates, *ex manifestis obscura considerare non noverunt; cum enim artibus utantur similibus humanae naturae, id ipsum ignorant. Divina enim mens edocuit ipsos sua ipsorum imitari, ita ut cognoscant quae faciunt, & non cognoscant quae imitantur*. Profecto cuinam contemplanti organa, quibus vel totum corpus, vel illius partes moventur, forfices, infundibula, folles, vectes,

Digitized by Google

trochleas, siphones, valvulas, reliquumque humanarum artium apparatum non inferendum esse videtur, corpora animalium iisdem mechanicis legibus esse subjecta, quibus machinae arte extructae subjiciuntur? Nec tamen, etsi triginta ferme sint saecula, ex quo medicina a Graecis profecta, nobisque quasi per manus tradita, studiose excolatur, medicorum ullus fuit, qui haec satis noverit, aut si quis novit, uti Cartesius, & Borellius, nullus certe ante Bellinium extitit, qui mechanicae scientiae fontes aperiendo ostenderit ex iis tantam utilitatem ad medicinam manare, ut nisi hoc subsidio sit instructa, perfecta medicina minime dici possit. Et quidem ipse in eo potissimum gloriari videbatur, quod hanc partem relictam expleverit, nullis adminiculis, sed, ut dicitur, marte suo. Huic tamen gloriae aliquid detraxisse videntur consequentes medici, cum saepe animadvertissent eos ad spem fuisse inanem restituendae medicinae devolutos, qui in sola constitissent mechanica. At Bellinius hujus, &, quod caput est, experientiae, ceterarumque physicarum disciplinarum praesidiis sibi comparatis, sui, & artis, quam profitebatur, dignitatem augere potuit. Cum vero nihil ei esset antiquius hominum utilitate, adesse omnibus illis minime recusabat, qui operam & consilium a se requirerent. Memor praeclarae Hippocratis sententiae, qua docemur, medicinam nihil aliud esse, quam prudentiam, adeo diligens & attentus erat in minimis quibusque rebus observandis, quae non solum ad morbum, sed etiam ad caeli, locorumque naturam, ad aegroti habitudinem, consuetudines, affectionesque pertinebant, adeo cautus providusque in remediis decernendis, neque iis acrioribus, sed blandis atque simplicibus, qualia natura amat, adeoque usu callidus, & ad conjiciendum divinandumque acutus & perspicax, ut jure de principatu medicinae cum Francisco Redio contendere potuisset. At si Bellinius occupatus profuit civibus suis, non minus iis prodesse voluit otiosus, cum proposuisset sibi de maximis in medicina rebus scribere, *de urinis, de pulsibus, de sanguinis missione, de febribus, & de morbis capitis, & pectoris*. Quibus editis libris an. 1683. merito laudatus fuit, *quod*

Digitized by Google

in indaganda morborum natura (libet verba gravissimi viri Boerhaavii proferre (1) *ab ipsa inceperit natura, nec fingendo, sed observando, non mutando, sed indagando, non amplificando, sed enarrando, apparitiones horum varias exposuerit, atque iis demum aggressus sit ingenium abditum detegere, eventa praevidere, atque invenire remedia*. Has autem laudes quia fortasse communes Bellinius cum paucis habere poterat, noluit Boerhaavius summum virum suis propriis fraudare. Itaque haec subjungit. *Id vero, in quo egregie prae omnibus se jactare, in quo serio illi triumphare licet, est, quod actiones hominis sani aut aegroti experimentis deprehensas juxta inviolabiles mechanices leges explanaverit ex data corporis fabrica atque detecta conditione humorum. Observavit certe tantam in his castitatem, ut rarissime equidem admiscentem deprehendas quidquam, quod a rerum natura alienum precario assertum, vel ex obscuritate dubium appellare fas sit. Neque . . . . in eo reperies unius alteriusve actionis explicationem mechanicam structurae corporis congruam, sed vel omnium fere, quae in sanitate aut morbis apparent phaenomenon, reddit rationem veram, legibus conformem Harvaejanis, vel ita tradit fundamenta, ut cetera inde sponte fluant, nulloque toediosi laboris fastidio inveniantur*. Haec quoque gloriosa Bellinio fuerunt, quod idem Boerhaavius se semper in illius scriptis suspexisse dicebat perfectam cognitionem & scientiam anatomes atque

(1) In Praef. ad oper. Bellinii. *Hallerius autem* in Vol. II. method. stud. med. p. 139. *edit. Venetae ait*: Principium praesagiendi in febribus sumit a calore, qui intendatur aquae portione diminuta, qua restituta, urina sanae redeat similis. Inde veterum praesagia mechanice interpretatur. In pulsibus plenus est & simplex: in lib. *de febribus* agit de crisibus, quas non esse ad aliquot dies superstitiose adstrictas, sed pertinere ad subactionem humoris morbosi, quae cum tempore fiat, recte advertit.

chemiae, prudens sincerumque judicium de aliorum observationibus, omnium rerum dispositionem atque ordinem, & necessariam illam mathematicorum rationem concludendi ex diligenter exploratis principiis, quam primus in medicinam Bellinius invexit. Fuerunt & alii insignes medici, & in his Archibaldus Pitcarnius, Baglivius, Scriptores Actorum Lipsiensium, & Antonius Cocchius, qui judicarunt, nullos in medicina ad legendum iis libris esse potiores; Bellinium prae ceteris vidisse verum maximisque erroribus hominum animos liberavisse, & omnia tradidisse, quae pertinerent ad declarandum quid antecedat, quid comitetur, quidque sequatur morbos illos, quorum tractationem sibi assumpsit. Tot & tam praeclara judicia facta a doctissimis viris de iis, quae commemoravimus, Bellinii operibus, stimuli erant illi laboris, & industriae ad alia jam instituta perficienda. Sed cum doctrinae fama, & fortuna, quae etiam in medicina non parum dominatur, plurimum adauxissent magnitudinem curarum in medendo alienis malis, cumque propriis etiam afflictaretur (contraxerat enim ex defatigatione oculorum lippitudinem, quae crebro adeo & vehementer refricabatur, ut de visu metueret) minime tempus scriptioni reperiebat. Interim illa acciderunt, quae Bellinius pluribus narravit in epistola, qua sua *Opuscula* Archibaldo Pitcarnio misit, ictus in dextro crure, ad spinam tibiae tuber, seu, ut ille appellat, corniculum, compactum ex frustulis ossis in grana dissolutis, mixtisque cum succo osseo, scalptura & sectio novies usque repetitae, & cruciatus summus dolorum. Propter curationem cum diu domi se continere debuisset, quaesivit levamentum aegritudinum in renovatione illorum studiorum, ex quibus promere aliquid se posse sperabat, quod ad illustrandam magis cognitionem animalis, sive illud in naturali statu esset, sive in non naturali, conduceret. Itaque persecutus est quae coeperat jam tradere *de contractione naturali* (1), & *villo contractili*, & *missione sanguinis*, po-

(1) *Praeter vim irritabilem per experimenta cognitam, etiam hypothesin de fi-*

steaque ea exposuit, quae pertinent ad fermenta, glandulas, separationes, ad fluxum liquidorum, ac praesertim bilis, ad primos generationis motus, ad motum cordis tam intra, quam extra uterum, & ad ovi fabricam. His autem omnibus expositis, non dubitavit Bellinius in eo gloriari, se totum id declarasse, quod satis esset ad noscendam animalis naturam. Ut vero iis satisfaceret, qui scire cupiebant quonam pacto alatur & crescat animal, & quo pacto semen ejus generetur, & ex semine procreetur foetus, magnum opus sumpsit in manus, quod inscribere meditabatur; *de lapillatione*, *de nutritione & augmentatione*, *de generatione seminum ex plantis atque animalibus*, *& generatione foetuum ex seminibus*. Sed hoc, ut & alia hujusmodi nonnulla, quae magna ex parte confecerat, quorumque summum ipse rerum naturalium studiosis excitaverat desiderium; fatales exitus habuerunt, quod nunc aut jaceant omnia in tenebris, aut misere fortasse perierint. Miror equidem Thomam Puccinium, qui ab ejus latere nunquam discedebat, ut semper aliquid memoria dignum ab illius sermone exciperet, minime curam suscepisse, ut tanti viri, tantisque de rebus cogitata ad nos pervenirent. In qua jactura habemus praesertim, quod doleamus, amissionem operis, cui titulus erat, *Theoria ovi*, & de quo ipse Bellinius multa magnifice praedicaverat in libro *de motu cordis*. Vidit ille primus omnium canaliculos aeris in ovo ab acuto angulo ad obtusum ductos ac directos, ex quo visu occasionem sumpsit perscrutandi quid possit aer, & qua ratione opus suum efficiat in formando, alendo, excludendoque pullo, ceterisque animalibus, & vel ipsis etiam plantis procreandis (1), qua ex

---

brae fabrica mechanica ad eam vim explicandam proposuit, qua in re illustriores medici ejus subscripserunt sententiae. Haller. method. stud. med. de Anat. sect. I.

(1) *Experimenta, quibus haec se probare posse Bellinius putavit, profert confir-*

re praecipuae ovi partes conflentur, & quem usum unicuique istarum natura assignasset. Nec minus sedulo quaesivit quam similitudinem cognita in ovo ad alia corpora habere possent. Sic ex transitu aeris, ut unam rem exempli caussa ponam, in amnium ovi colligere se posse putavit similem transitum aeris ex pulmonibus in sanguinem. Hoc fuit semper proprium Bellinii, cum aliquid in rerum natura detexisset, rem cum re comparare (1), ut quod commune inter se haberent, earumque consentanea & consequentia reperiret. Tali modo ex scintillula illi interdum casu oblata magnum accendebat lumen, quo multa obscuritate naturae antea involuta in adspectum lucemque hominum proferebat. Quoniam vero cujusvis hominis est errare, non dissimulabo Bellinium specie veri interdum deceptum fuisse. Sed ejus errata nec multa, neque magna fuerunt, habueruntque semper aliquid excusationis, quae probari posse videretur. Praeter quam quod hujusmodi errata splendore doctrinae, & magnitudine inventorum adeo obscurantur & obruuntur, vix ut appareant in Bellinii scriptis. Cujus rei maximum illud reputari debet indicium, quod Archibaldus Pitcarnius haec eadem scripta interpretatus fuerit in quadam Scotiae Academia; quodque non defuerint in Gallia illustres medicinae magistri, qui discipulis suis *theses ad mentem Bellinii* propugnandas proponerent, quasi renovare vellent Pythagoreorum exemplum, quos ferunt tantum auctoritatis tribuisse illi, quem in philosophia ducem sequebantur, ut, cum ex iis quaereretur, quare illud esset, quod affirmabant in disputando, respondere soliti fuerint, ipse dixit; ipse autem

---

matque Boerhaavius eo loci Praelectionum Academicarum, *ubi pulmonis fabricam exponit* §. 200. & §. 497. *ubi de nutritione*, & §. 650. *ubi de seminis masculini ortu agit*.

(1) *Quam felix esset Bellinius in hujusmodi comparationibus ostendit Boerhaavius* Praelect. Acad. §. 259. *ubi exponit cogitatum illius, quo statuit glandularum fabricam ductui intestinali similem esse*.

erat Pythagoras. Etsi in ipsa Gallia non defuerint homines prudentia summa in medicis studiis, qui magna vi evertere studuerunt, quod posuit Bellinius in principio operis *de missione sanguinis*, hunc scilicet, secta vena aliqua, velocius currere tum in ipsa vena, tum in venis & arteriis eidem proximis, non defuerunt quoque pari, aut majori doctrina viri, & in his Albertus Hallerius (1), qui & rationum pondere & magna experimentorum copia Bellinianam sententiam propugnarunt. Habuerunt & suos adversarios illa, quae de stimulis, & de villo contractili tradidit Laurentius, sed nemo nunc dubitat nihil illis inveniri potuisse firmius; & non pauci arbitrantur etiam ex iis quodam modo fluxisse *irritabilitatis* doctrinam, quae in medicina adeo dominatur, cujusque illustratio & provectio maximam peperit gloriam Hallerio, ejusque discipulis. Gloriatus etiam est Joannes Baptista Morgagnius se patrocinium Bellinii suscepisse contra illius oppugnatores (2); quod idem praestiterant antea Marcellus Malpighius, Carolus Fracassatius, & Antonius Valisnerius. Quaesivit hic aliquando ex Bellinio, quem cursum ipse tenuisset, ut ad tantam rerum physicarum scientiam perveniret, non dubitans quin si Bellinius se ipsum exprimeret, in eo perfectam, quam quaerebat, medicinae speciem posset contemplari (3). Tot tantorumque virorum judiciis de Bellinio expositis, facile quivis intelliget eos, qui labefactare tentarunt constitutam ab eo medicinae disciplinam, conatos esse clarissimis rebus tenebras obducere. Tanta autem vis doctrinae atque ingenii ne discederet ab oculis Academiae Pisanae, atque Etruriae, factum est auctoritate & consilio Francisci Redii. Nam cum an. 1683. mortuo

---

(1) *Vide ejus librum, qui inscribitur*: Deux memoires sur le mouvement du sang & sur les effets de la saignée fondés sur des experiences. A Lausanne 1756.

(2) *Vide illius epistol. anatomic. II. art. 88. & seq.*

(3) *Quae respondit Bellinius retulit Valisnerius ipse in Vol. II.* del Giornale de' Letterati Venezia 1710.

Digitized by Google

Antonio Pighio Veronensi anatomes doctore in Patavino Lyceo, magnis stipendiis Bellinius invitaretur, ut in illius locum succederet, neque alienus esset ab oblatis conditionibus accipiendis, obstitit Redius, qui pro jure suae amicitiae a Bellinio exigere se posse putavit, ne Etruriam desereret: si majora cuperet, confideret porro doctrinae virtutique suae, & opinioni, quam de eo omnes habebant, propriique Principis munificentiae. Et quidem Cosmus III. cum singularia de Laurentio praedicari audiret; quodque plurimi is faciebat, cum nemo fere exterorum alicujus nominis in Etruriam adventaret, quin statim de Bellinio sciscitaretur, magnum accessurum aulae suae ornamentum putavit, si illo medico uteretur. Is adhiberi coeptus est an. 1695. cum assecla fuisset Magni Ducis in itinere, quod hic Lauretum religionis caussa habuit. Sed ea postea acciderunt, ob quae maxime immutata fuit Cosmi voluntas in illum. Facile enim patebant ejus aures accusationibus, nec sane tanto viro inimici deesse poterant. Horum in numero erant pharmacopolae, quorum in se odium concitaverat, quod multis non soleret medicaminibus aegros curare; medici, qui supra se excellere Bellinium, ab eoque libere interdum argui multorum inscitiam minime pati poterant; aulici, quibus displicebat ejusdem mos simplex, apertus, ab omni assentatione alienissimus, & in suis exponendis judiciis liber; hique omnes fortunam necessitatemque in culpam convertentes clamare coeperunt ad aegros Bellinium non medicum, sed occisorem adduci. Tantum quidem valuerunt horum voces & machinae, ut qui antea, tanquam medicus nobilissimus atque optimus ab omnibus fere quaerebatur, coeperit contemni; ipseque Magnus Dux se ab illo nullo modo velle curari profiteretur. Neque hic constitit inimicorum iniquitas. Injecta enim ipsi Cosmo suspicio fuit, hominem, qui semper castissime religiosissimeque vixit, non recta de Deo divinisque rebus sentire. Videbat haec Bellinius acerbissima offensione animi, neque aliorum fortunae recordatione suam consolabatur. Quis non dolet adhuc Socratis mortem, Anaxagorae vincula, Heraclitii infortunia, & ne vetera tantum repetamus, Rogerii Baconis

vin-

Digitized by Google

vincula, oblata crimina Galilejo, Carteſio, aliiſque hujus praeſtantiae viris, quibus nihil aliud obfuit, niſi excellentia doctrinae? Quam saepe Florentia aut re, aut molimine renovatum vidit Epheſiorum exemplum, qui cum Hermodorum civitate expuliſſent, ita locuti eſſe dicuntur: nemo de nobis unus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio in loco & apud alios ſit. Si reperiebat aliquod levamen Bellinius, id erat in litteris, ſed ab his doloris magis oblivionem, quam medicinam petere videbatur. Quae oblivio ut ſe facilius caperet, dum ſcribebat, ſinebat mentem, quacumque vellet, vagari, ſectabaturque genus. eloquentiae varium, copioſum, nullo illigatum ordine, elatis tranſlatiſque ſaepe incenſum verbis, & ut appellare ſolebat Plato, qui illius exemplum dedit, dithyrambicum. Huic rei argumento eſſe poſſunt duodecim, quas in Florentina Academia Etruſcae linguae cuſtode & moderatrice habuit Orationes de anatome, quaſque edendas curavit Antonius Cocchius, ornavitque elegantiſſima doctiſſimaque praefatione. Teſtatur hic ſe certo ſcire minime propoſitum fuiſſe Bellinio erudire Auditores ſuos, ſed delectare, adhibita quadam in dicendo ſpecie & pompa, fallere etiam, cum niſi docti ſentirent de induſtria illum verba magis, quam res, tenebras magis, quam lumina conſectatum fuiſſe. Ex iis tamen judicari poteſt quam copioſus & elegans eſſet ad dicendum. Hactenus retulimus Bellinii ſcripta partim ab eo, partim ab aliis in vulgus edita, quibus anatomen & medicinam illuſtravit. Profecto, ſi diutius & tranquillius vixiſſet, multo plura haberemus, quod homo perſpicaciſſimus in earum facultatum meditatione dies ac noctes verſabatur; quodque natura propenſus erat ad docendum, rationeſque prudentiae ceteris tradendas. Neque minus manſuetiores muſas adamavit, cum quibus praeſertim commercium habere voluit calamitoſo illo tempore, quo cum maxime eum florere oportuiſſet, tum vivere etiam taederet. Vir natura ſublimis & acer non humile ac tenerum, ſed magnificum & robuſtum poeſis genus ſecutus eſt; & quamcumque legeret rem ita tractabat, ut eum nunquam nervi, animique, diveſque vena deficerent. Vide-

batur esse in sua potestate inflammatio mentis, & aestus quidam poetici furoris, a quo etiam agitabatur & extra se rapiebatur, cum in contemplatione rerum ad physicas, quas profitebatur, facultates pertinentium versaretur (1). At Franciscus Redius, cui molle ac facetum carmen annuerunt Camoenae, desiderasse videtur, ut Bellinius interdum illos suos furentes impetus cohibuisset, & magis exquisitam, non odiosam tamen, qualem castas virgines decet, munditiam atque elegantiam in suis carminibus adhibuisset (2). Contra ea Laurentius Magalottus, ut sunt hominum judicia varia, admirabatur praesertim in Bellinio grave & severum, & succi plenum scribendi genus, neque dubitàbat, quin ornatam quoque assequi ille potuisset concinnitatem. Ex quo factum est, ut cum ab amicis suis poesi deditis exigeret carmina, quae laudes *Buccherorum* celebrarent, nihil non praestiterit, ut a Bellinio non carmen modo, sed & poema impetraret. Paruit Bellinius hominis amicissimi voluntati, condiditque illud suum poema,

---

(1) Bollono i miei pensieri, *ait ille ad Valisnerium scribens*, quando si aveglia in essi la considerazione del moto, e del momento, in cui a me pare che si racchiudono sì profondi, e sì impensati misterj, e che riducono il discorso della natura, e di Dio ad una facilità e ad una chiarezza, e insieme ad una grandiosità sì maestosa, ch'io mi sento rapire al solo nome di sì onnipotente strumento del gran Fattore delle cose, e ne divengo così estatico e fuor di me, e così impetuoso e tutto per me ribollente d'una entusiastica veemenza, ch'io non sò nè quel che fo, nè con chi, nè come io tratto.

(2) *Bella & festiva est Redii epistola ad Magalottum, ex qua conjicere licet quid ipse de lyricis Bellinii carminibus sentiret. En epistolae exemplum.* Eccole una lettera del Bellini. Ma adagio un poco. Vi sarà a suo tempo una canzone. Ma zitti. Io ne ho veduto uno squarcio terribile, che rassembra ad una rupe del monte Parnasso avelta dalle forze di qualche terribil terremoto, ed in questa rupe son venute giù a precipizio anche le Grazie tutte belluccie, ma colla veste rotta, e col viso infangato. Datum Florentiae die 1. Septembris 1684. Franciscus de Redibus.

quod inscripsit *la Buccheride*, & in quo novum ludicrae poesis genus exprimere voluit. Ex eius lectione facile intelligi potest quanto ingenio praeditus esset Laurentius. Nam modo lepido humilique stylo serpit humi, modo grandia professus in sublime fertur, tantasque in res, tamque varias lectorem rapit, & grata adeo novitate moratur, ut fateri necesse sit, Musas ei quidquid vellet loqui, & audere dedisse. At si probatur ab omnibus, qui intelligens habent judicium, istud Bellinianum poema, nostra etiam major, quam reliquorum debet esse laudatio. Ceteri enim quam eleganter ac lepide, nos etiam quam facile ac celeriter illud confecerit scimus. Ludicri poematis prooemium esse voluit festivissimam, & omni urbanitate conditam orationem, ex illarum genere, quae a nobis appellantur *Cicalate*, quam dixit an. 1699. in Florentina Academia Etruscae linguae moderatrice. Difficile est hujusmodi orationum, quae ad hilaritatem & risum excitandum unice sunt factae, argumenta describere. Inter multa, quae acute & facete Bellinius in hac sua collegit, sunt nonnulla, quae exponunt quo pacto concitetur risus, quomodo existat atque erumpat, quidque efficiat, & quam apti semper fuerint Etrusci ad illudendum hominibus. Diu desiderarunt Italicae poesis amatores, ut hoc poema cum suo prooemio in lucem emitteretur. Id enim non praestitum fuit nisi anno 1729. cura & diligentia eruditissimi viri Thomae Bonaventurii. Quae ipse praefatus est de diversis *Bucche-rorum* generibus, origine, usibus, eosque fabricandi arte, & de pretio, in quo vel ab antiquissimis temporibus habiti fuerunt odores, qui terram sapiunt, non tam eruditionem, quam elegantiam scriptoris ostendunt. Reliqua, quae extant, Bellinii Italica carmina, si pauca lyrica excipias variis in locis sparsa, minime typis sunt impressa; eorumque vidi ego quatuor libellos autographos apud nobilissimum humanissimumque virum Rupertum Pandolphinium. Nam hujus patruo Pandolpho Senatori amplissimo, & de litteratis viris optime semper merito testamento legavit Bellinius omnia sua scripta, nec non bibliothecam, & quae hanc ornabant, septem marmoreas summorum viro-

rum imagines, a praeclaro artifice Jo. Baptista Fogginio exculptas. Eo libentius harum imaginum mentionem feci, quod eae, ipsisque appositae Latinae inscriptiones satis declarant Bellinii liberalem, pium & gratum animum erga praecipuos doctrinae atque gloriae suae auctores, Galilejum, Borellium, Malpighium & Redium. Quam saepe, & quam honorifice de iis etiam mentionem fecit suis in sermonibus, suisque in scriptis! Galilejum quasi quemdam Deum philosophorum se venerari dicebat: neminem superiorem Redio ponebat tum suavitate orationis, tum prudentia in medicina facienda, tum diligentia & acumine in investigandis naturalibus rebus: appellabat Malpighium magnum & secretissimum naturae Mysten, cujus inventa dum meditabatur, aut ipsum commemorabat, semper sibi obversari animo quiddam humano majus dicebat, tam ille subtiliter penetrat in naturae viscera, & ex iis eruit quod nunquam expectares. Videbatur vero satiari non posse mira prorsus, & singularia praedicando de Borellio, quae non tam merito tribuebat, quam amori (1), cujus tanta fuit vis atque magnitudo, ut quando illum Romae morte extinctum sensit, ad non breve tempus plane exanimatus jacuerit. Miror equidem hominem, qui tanto studio affectus erat in amicos, nec minori ferebatur in propinquos, cujus rei non mediocre est illud indicium, quod ex suis etiam angustiis aliquando fratrum & sororum sustentavit tenuitatem, averso semper animo fuisse ab uxore. Duxit ineunte anno 1696. hortatu magis amicorum, quam sua sponte Eleonoram Mannoziam celeberrimi picto-

(1) Dar gloria all' anima grande dell'immortal Borelli è obbligo e sfogo della mia gratitudine, che devo e voglio professarli altissima e sempiterna; e devo e voglio così, perchè egli con tal tenerezza m'amò, e in insegnamenti così profondi mi ammaestrò, che ei fu mio sempre riverito signore, e mio sempre amato maestro finchè egli visse, ed è mio sempre quasi adorato nume da che egli è morto. *Ita Bellinius* nel discorso I. d' Anatomia, *in quo alia plura sunt de Borellio digna prorsus, quae legantur.*

ris Joannis a S. Joanne neptem, quae nupta antea fuerat Jacobo Antonio Gualbertio civi Florentino. Delitescebat haec in conopeo, quando Laurentius prima nuptiarum nocte cubiculum ingressus est. Prosiliit illa repente, nescio quid inclamans, ut pueri metum aequalibus injecturi solent. Stomachans Laurentius hujusmodi ineptias: moriar, inquit, si tecum cubabo; quod ut faceret, utque in gratiam cum uxore rediret, a qua non cubili solum, sed etiam domo sejuncta vixit magno cum rei suae detrimento, nullis amicorum precibus potuit adduci. Sunt & alia testimonia, ex quibus dijudicari potest saepe Bellinium incidisse in odiosam morositatem atque severitatem. Quae severitas ex ejus quoque vultu apparebat, unde risum hilaritatemque exulasse dixisses. Raro etiam loquebatur, & saepe eum vidisses manu mento admota in tanta meditatione versari, ut nihil is sentire, nihil cernere videretur. Solitudinem semper amavit, sed postremis vitae suae temporibus prae sollicitudine ac stomacho, quem ei fecerunt illius inimici atque obtrectatores, inter quos maxime eminebat Joannes Andreas Monelia, homo potens & apud Principem gratiosus, sed majorem in modum audax atque petulans, vix pedem domo efferebat. Dictitabat tamen hortulum se emere velle, ubi se interdum oblectare posset; sed cum propter non mediocrem pecuniae summam, quam pendere uxori quotannis cogebatur, copiolae illius essent extenuatissimae, nunquam huic desiderio satisfacere potuit. Maximum levamentum aegritudinum petebat ex occupationibus studiorum; ab his autem requiescebat, si requies appellari potest continua actio atque agitatio mentis ad verum inquirendum intentae, quando meditans suo in cubiculo ambulabat; effeceratque, sicuti ego accepi, frequenti & repetita ambulatione canaliculos quosdam in ipso pavimento. Quamvis solitudine, ut ita dicam, aleretur Laurentius, non tamen a se excludebat illos, qui lumen consilii, doctrinaeque suae requirebant. Requirebant autem omnes ii, qui excellentium hominum virtutem imitatione & laude, non invidia & malevolentia dignam judicabant. Nonnullos etiam discipulos habebat, quos domi erudiret; & quamvis va-

catio illi data fuisset ab exercenda Pisis anatome, identidem tamen ad vetus suum munus redibat: neque profecto toto sexennio ab Academia aliquando abfuisset, nisi caruisset cadaveribus hominum suspendio extinctorum, quibus, ut mos erat illorum temporum, uteretur in ostendenda humani corporis fabrica. Haec & alia multa Bellinii in litteras merita, quo studiosius iniqui homines abscondere & opprimere curabant, eo magis apud aequos apparebant atque eminebant. Hinc saepe fiebat, ut ab absentibus de rebus medicis consuleretur; cumque gravi & periculoso morbo opprimeretur Clemens XI. P. M. de eo, suasu Joannis Mariae Lancisii, relatum est ad Bellinium, qui sententiis consultisque suis metum omnem in spem, ut idem Lancisius scriptum reliquit (1) potuit convertere. Minime vero inanem fuisse spem eventus comprobavit. Illud etiam honorificentissimum fuit Bellinio, quod cum Antonius Valisnerius judex factus fuisset acerrimae controversiae, quae extitit inter Didacum Zarillium & Lucam de Albiziis de ingressu aeris in sanguinem, noluit de ea judicium ferre, nisi prius Bellinii sententia cognita. Atque hoc Bellinio cum Valisnerio & de Albiziis convenit, venam in humano corpore nullam esse, per quam minime aer pervadere possit, quippe qui tanta subtilitate praeditus est, ut vel tenuissimos capillos ultra quater centies millies hac dote superet. Haec cum exponeret Laurentius in Italica epistola ad ipsum Valisnerium, locos graves ex philosophia tractavit, suoque more mirabilem attulit dicendi copiam; quare fecit ut vere, de se praedicasse videatur: *se nihil nisi magnificum & excelsum, omnique rerum & verborum copia refertum delectasse*. Haec magniloquentia Bellinii, quod maxime est mirandum, in extrema etiam virium, & vitae illius defectione apparuit. Nam cum ejus mens esset unice in Deum intenta, ita de divinis rebus loquebatur, ut particeps jam factus esse

(1) Voto del Lancisi alla vita del Bellini Part. I. delle vite degli Arcadi illustri p. 121.

Digitized by Google

videretur illius beatitudinis, ad quam adspirabat. Postrema, quibus vitam clausit, verba fuerunt, *son finito*, precationesque eae, quibus Christus spiritum suum Patri commendavit. Morienti ceteros inter adfuerunt illius amici & heredes Pandolphus Pandolphinius & Vincentius de Ambra, quorum opera factum est, ut exequiae, quae tanto viro persolutae fuerunt in Aede S. Felicis, haberent & dignitatem & pompam. Condita cum mortui corpore haec fuit inscriptio, quam Antonius Maria Salvinius amici memoriae concessit.

LAURENTIUS BELLINI HIC SITUS EST HIERONYMI FILIUS

IN PISANO GYMNASIO ANATOMES

PRAELECTOR EMERITUS

REGIAE CELSITUDINIS

COSMI III. MAGNI ETRURIAE DUCIS

ARCHIATER

IN POETICIS RHETORICIS GEOMETRICIS PHILOSOPHICIS

MEDICIS SUI SAECULI FACILE PRINCEPS

OBIIT FAMA AETERNUM VICTURUS

AN. MDCCIII. VII. IDUS JANUARII

AETATIS SUAE LXI.

Sane miraberis nullum tanto viro positum fuisse monumentum, quanquam minime caruit laudationibus, & numismate, quod ei vivo dedicavit illustris artifex Hieronymus Ticciatus. Qua dedicatione altissimus illius animus gloriae percupidus impense laetatus est. Etenim levis hominis semper esse putavit lucem splendoremque effugere, veramque gloriam, tanquam fructum laborum & virtutis, repudiare.

Dum adhuc in vivis erat Bellinius, coepit anatomica tractare Joseph Zambeccarius Pontremulensis, qui an. 1681. ad nos venerat or-

dinarius practicae medicinae praeceptor cum CC. centussium mercede. Nam ad levandum aliqua ex parte Bellinii ipsius laborem an. 1690. Magnus Dux decrevit, ut hic acroases haberet in theatro anatomico, quando praesto erant cadavera, ille vero statis diebus tum domi, tum in schola. Cum anno vero 1704. successisset in Bellinii locum, tenuit hunc ad annum usque 1729. quo naturae concessit. Fecit quidem sedulo, ut tanti viri desiderium leniretur, utque consilio & opera prodesset auditoribus suis. Neque tam homines in eo suspiciebant physicarum rerum doctrinam summam, quam singularem morum bonitatem, quibus nominibus laudatus etiam fuit a Francisco Redio (1). Cum primum docere coepit anatomen, eam rationem inivit, ut aliorum inventa illustriora ob oculos poneret, indicaretque quae superessent ad miram noscendam corporis humani fabricam. Qua re fiebat, ut non modo ab se dimitteret discipulos suos ab omni eruditione instructissimos, sed etiam cupidissimos novi aliquid investigandi. Erat in docente perspicuitas, atque explicatio mira, facile fluens oratio, variaeque doctrinae crebris quasi luminibus distincta. Vel antequam ad Academiam accederet, probaverat omnibus quam diligens & constans esset in hujusmodi investigationibus, editis experimentis ab se aliisque factis de visceribus iis, quae ab corporibus licet sint abscissa vitae tamen parcunt animalium. Libellum hunc editum Florentiae an. 1680. Redio nuncupavit, atque ex eo praesertim cognosces, quem usum habeat splen, fel, & jecoris λοβοι, & quam a vero aberraverit Franciscus *Sylvius de la Boe*, qui in ea erat sententia bilem a jecore minime per canalem epaticum intestina versus ferri. Extremo in libro sunt nonnulla, quae mirum in modum Redii sententiam confirmant de chelidonia herba, cui homines nimium creduli vim tribuebant liberandi caecitate animalia quaedam. Neque studia sua in anatome ac medi-

(1) Vide illius epistolarum Vol. I. pag. 221. edit. Florent. an. 1779.

dicina sola Zambeccarius continuit. Nam ut innuimus in Michaelis Angeli Tillii vita, libellum an. 1712. Patavii edidit de thermis Pisanis & Lucensibus, & cum eo, aliisque doctis viris plura habuit physica experimenta ope Boyleanae machinae, quae tum primum Italiae innotuerat. Quia vero vir religiosus illa potiora semper duxit, quae ad Dei cultum spectabant, vitam exposuit feminae cujusdam Sergianensis cognomine Brondiae sanctitate illustris, quam vitam mihi videre contigit in Riccardiana Bibliotheca inter Averanii scripta. Sic vir doctissimus atque integerrimus multis variisque perfunctus laboribus anno acquievit septuagesimo.

Illius locum occupavit Antonius Dominicus Gottus Florentinus Bellinii discipulus, qui ad Academiam venerat an. 1711. extraordinarius theoricae medicinae Doctor. Totos XXV. annos anatomen administravit: nam an. 1754. cum illi pro mercede CCCC. usque centusses penderentur, vacationem sui muneris habuit, neque multos post annos vitam finivit, cum septuaginta sex esset annorum. Natus enim erat an. 1680. Patre Cosmo Maria Gotto cive Florentino, origine vero Volaterrano, matre autem Dorothea Bellieria. Porro hoc illi omnes concedebant, faciendae & docendae medicinae esse satis peritum, non carere eruditione ad ornanda ea, quae dicebat, ac dexteritate in secandis cadaveribus, & quantum poterat laborasse, ut ea nota essent discipulis, quae illustriores anatomici in investiganda mira corporis humani fabrica feliciter detexerant. Hujus rei argumentum habes ea in *Exercitatione medica*, quam *de hydrope ejusque causis* an. 1709. Florentiae vulgavit, in qua de ductibus lymphaticis, quos Bartholinius non multo antea invenerat, pluribus egit. A lympha enim hujus morbi caussam maxime proficisci contendebat. Quo in loco ostendit etiam alias res esse, quae nociturae videbantur, quaeque aut remediis sedari, aut consilio averti potuissent. Praeter hunc librum, quem non multi faciendum putamus, nihil aliud edidit homo magis ad vitae commoditatem jucunditatemque, quam ad laborem factus. Nunc, quoniam satis de anatomicis dixisse arbitramur, ad medicos transeamus.

CAPUT XVI.

De Medicinae Magistris.

SAepe alias de medicinae infelicitate questi sumus. Et profecto non mediocriter ii laudandi sunt, qui in pristinae dignitatis locum illa restituenda elaborarunt. Namque necesse fuit novum physicae genus creare, historiam naturalem, & quae ab ea suppeditantur remedia nosse per experimenta, & per accuratam naturae diversorum corporum inquisitionem, nosse demum, infinitis propemodum dissectis cadaveribus, quae sit humani corporis fabrica, quem usum, quamque conjunctionem inter se omnes illius partes habeant, quae sint mechanicae vires sani corporis, quae conditio aegri, quid adjuvare possit naturam, cum salutare aliquid conatur, quid perturbare, & quod difficilius etiam fuit, persuadere hominibus, ne se falli paterentur ab inanibus promissis eorum, qui se mirabilia ceterisque incognita tenere jactabant ad obstinatiores sanandos morbos. Nova haec medicinae ars, simplex & naturae accommodata ortum repetit a Francisco Redio, cujus immortalia in universam Etruriam, & rem litterariam merita nemo satis unquam laudare poterit. Sed antequam ejus institutis & praeceptis Pisanae scholae personarent, multorum medicorum ferre debuerunt levitatem, quos senes puduisset fateri se ignorare, quae imberbes a tanto magistro didicerant. Temporibus illis, de quibus nunc scribendum suscepimus, Stephanus Castrensis, *cujus praestantissimum ingenium*, teste Jo. Nardio, *universa Italia, exteraeque nationes suspiciebant*, Julius Gustavinius, Jacobus Lavellius, & Jo. Baptista

Cartegnius, de quibus satis multa superiori in volumine narravimus, primas tenebant, in secundis autem consistebant Julius Titius, Matthaeus Carrara, Oliverius Celata, & Jo. Baptista Bellavita, & de his quoque diximus, suum cuique tribuentes. Serius omnino consuluit medicinae cathedris Ferdinandus II. quanquam Academiae Curator ei declaraverit, nonnullos, qui illas regebant, e vivis excessisse, & qui superessent, decrepita ferme esse aetate. Has ob caussas, postquam ex ipsa Pisarum urbe an. 1633. plures delecti fuerunt ad regendas extraordinarias cathedras, de quibus mox dicemus, ordinariae an. 1634. praefectus fuit Jo. Franciscus Saldus Genuensis, quo nullum cariorem habuerat discipulum Castrensis, propterea quod, dum Pisis fuit studiorum caussa, diligentia & ingenio ceteros omnes superaverat condiscipulos. Non aeque ei favit fortuna, dum in patria medicinam fecit, eaque propter Pisanam Academiam cogitavit, a qua CCCC. centussium stipendium accepit, ea conditione, ut periculum suae doctrinae per annum faceret. Vulgaverat antea libellum *de aqua ex vino distillato*, sed hic tanti minime factus est, ut ex eo, qui quantusque physicus esset, conjici potuerit. Minus autem medicinae Doctoris proprio officio & muneri illum satisfecisse ex eo colligi potest, quod minime prorogatum tempus fuerit annuae illius conductionis.

Eodem tempore vehementer actum est de conducendo Andrea Mariano Bononiensi, qui tum in patria & philosophiam docebat, & medicinam faciebat. Hanc facultatem magna cum nominis sui gloria docuerat antea Mantuae, ex qua urbe minime discessisset, nisi singularibus bellorum calamitatibus illa afflicta fuisset. Minime expers erat humaniorum litterarum, & quae antea ediderat de antiquis urbis Romae monumentis epigrammata, magno in pretio tum habebantur. Omnino talis erat medicus, ut, teste Sommaja, dignus liberalissimo praemio D. & amplius centussium, & honoratissimo loco judicaretur. Sed non plane exitus expectationi respondit, ut de eo dictum fuerit: *minuit praesentia famam*, quam ob rem non plus anno apud nos mansit. Diutius sane mansisset, si dictorum factorumque suorum modera-

tricem prudentiam habuisset Vincentius Alsarius Crucius Genuensis. Extat illius *Proloquium*, a quo exorsus est suum practicae medicinae magisterium, & ex quo cognosci potest, quod fuerit ejus studiorum & fortunae curriculum. Ait enim: *ex ephebis nec dum egressus in florentissimo Bononiensi Gymnasio aliquandiu me exercui, specimen quoddam genii, si non ingenii vel tunc emittente natura. Quandoquidem de epilepsia, seu comitiali morbo ab initio pene adolescentiae meae scholas plures in eo ex altiori loco explicavi, quas etiam non ita post multo Venetiis (qua in urbe inclita novennium medicinam feci) sub titulo Lectionum Bononiensium in lucem prodire permisi; postea vero Ravennam accitus, antiquissimae illius civitatis populo, sicut ejusdem de Latere Legato Bonif. Card. Caetano publico & privato aere meam operam medendo, & passim per Aemiliae urbes & oppida consulendo praestiti. Denique Romae an.* **XX.** *medicinam Practicam vocatam hactenus publice edocui, & Clinicorum more fusim exercui . . . . Pisis vero adolescentulus vitam aliquandiu duxi philosophiae ac medicinae candidatus, in quibus disciplinis Bonamicum, Mazzonium & Mercurialem in primis brevi tempore, sed frequentissime audivi, antequam me Bononiam conferrem ad Pendasium, Papazzonium, Baldum, Costaeum, & Castellium, Vizanium, Claudinum, Taliacotium, Rotam, & Aldovrandum, omnes ubique locorum decantatissimos Professores, sub quibus ducibus prima rei physicae & medicae stipendia feci, hi quippe fuere praeceptores, per quos fateor me profecisse, & quorum etiam (loquor de Bononiensibus) manibus insigni doctoratus laurea cohonestatus fui. Quapropter quidquid in me est, & qualecumque, id totum Pisis, & Bononiae magis me debere fateor, quam parentibus, quam patriae* (1), *quae me quidem genuit, sed non educavit, nisi a te-*

---

(1) *Montem Rubeum se ait indicare oppidum Liguriae maritimae orientalis. Cete-*

Digitized by Google

neris, ut ajunt, unguiculis. Neque hic, quod mireris, ultra annum Pisis commoratus est, & opinio est caussam discessioni dedisse nescio quid odii, quod inter eum & Castrensem exortum fuerat. Defensor enim nimium litigiosus suarum opinionum facile turbas concitabat, & profecto si moderatius se se gessisset, minime jactatus fuisset fluctibus illis, a quibus ne obrueretur, Roma discedere se coactum fuisse testatur. Et profecto gloriosius illi fuisset manere, ubi civium jura obtinuerat, ubi floruerat honoribus medicus aulae Greg. XV. & cubicularius Urbani VIII., & ubi rebus gestis, & multorum judiciis fortunam suam amplificatum iri sperare poterat. Sed, ut est in veteri proverbio, sui cuique mores fingunt fortunam. Tantorum hominum jacturam minime sane compensarunt tres illi Pisani medicinae Doctores Marcus Vernaccinius, Valerius Nervius, & Sebastianus Baroncinius, quanquam non desint testimonia bene meritum Vernaccinium de civibus suis fuisse, dum pestilentia affligabantur, nec caruisse ingenio & prudentia in medicina facienda (1), plurimum se exercuisse Nervium in curandis aegrotis tum manu (& chirurgiam quoque apud nos per sexennium docuit) tum consiliis (2), & Baroncinium multum ingenii ha-

---

rum in fronte hujus Proloquii se medicum Genuensem civemque Romanum appellat. De eo vide Targionium Tom. III. p. 148. degli aggrandimenti delle scienze fisiche accaduti in Toscana, *Leonem Allatium* (Apes Urb. p. 250.) *& Prosperum Mandosium* (de Archiatris Pontificiis) *qui multi sunt in ejus commemorandis operibus.*

(1) *Anno 1635. vacationem a schola obtinuit ob insanabilem aphoniam, ex qua non multos post annos obiit. Huic frater erat Philippus Vernaccinius, de quo eo in capite, quod est de philosophiae magistris, diximus.*

(2) *De eo haec Sommaja narravit an. 1633. quo anno cum Vernaccinio extraordinarius medicinae magister declaratus est.* Ha 22. anni di dottorato, e 8. di lettura, è tenuto buon dottore, ma assai freddo, e la lettura che tiene di chirurgia gli aggrava, e passandolo alla medicina pratica, vi è

buisse in docendo & disputando. Pisanus alius Andreas Checcaccius Nervio successit in munere docendae chirurgiae, deditque illi praeclarum judicii sui testimonium Castrensis, cum affirmasset parem illum summis medicis fore, quanquam motu & gestu risum saepe movere soleret, & tum Pisis, tum Florentiae egregiam operam navasse pestilentiae morbo affectis. Adolescens studuerat ipse litteris, quibus omnis ferme sapientia continetur, idque conjici potest ex titulo libri, quem inscripsit: *Theorematum Centuria dimidia ex logica, philosophia naturali, ex medicina speculativa atque practica, simplicibus, chirurgia; item ex moralibus, & ex mathematicis disciplinis: Pisis* 1623. Cum scriberet vero ad Castrensem ait; *contortas res, & saepe difficiles necessario perdiscimus. Sed si Deus aliquis nobis aderit, non desperamus fore, ut per nos quoque hominum utilitati consulatur.* Cui rescribens Castrensis ipse, visus est illi gratulari, quod Dialecticae terga dedisset, & pro parte sua laboraret, ut *aurea fieret medendi facultas* (1), *& quas intus servabat divitias, in commune bonum promeret*. Multum quidem ille favit honori patriae Nosocomii Archiater, & Academiae dignitati chirurgiae magister, cum vitam diutissime produxisset, nulli labori parcens, quo multos suae diligentiae atque industriae imitatores haberet, suaeque doctrinae heredes relinqueret.

Ascanius Panzanius a Monte Carolo postquam tum in patria, tum in oppido quodam Lucensium ditionis medicinam fecerat, commendatione Petri Capponii & Alexandri Fabronii Liburnensis arcis praefecti, qui illo medico usi fuerant, ad Academiam accessit an. 1635. cum quadraginta quinque circiter esset annorum. Quanquam minime cete-

---

speranza che si sveglierebbe, e che sarìa buon lettore. *De Baroncinio autem ait*. Ha 9. anni di dottorato, e 7. di lettura di logica, è giovine molto vivo nel leggere e disputare, e comodo di facultà.

(1) *Vid. ipsius Castrensis librum, qui inscribitur:* Posthuma varietas.

ris artibus esset eruditus, sic tamen tenuit praxin medicam, ut nemo ei in hac facultate anteponeretur. Nihilo tamen minus tenuissimum illi C. centussium stipendium pendebatur; quare, cum uxorem & liberos haberet, quos sustentare debebat, utilius rationibus suis putavit si Pisciensibus in medicina facienda an. 1640. operam suam locasset, apud quos, cum decrepita esset aetate, mortem obivit. Paullo post quam ad eos venerat, librum emisit, utilitate argumenti sane nobilissimum, ex quo judicari potest quam prudens & cautus esset in sua arte exercenda (1). Nescio equidem an parem laudem meritus sit ejus collega & civis Peregrinus Silvestri Coluccii F. Sed is constantius se gessit erga Academiam, cui servivit ab anno 1636. ad annum usque 1662. quo naturae, cum complesset aetatis annum LVII., concessit. Quid dicam de Bernardino Lippio Lucensi, & Jo. Baptista Fratangiolio Pientino? Laudat hunc Jo. Nardius in libro *de Rore*, de illo satis honorifica commemorant Academiae monumenta. Illi priori an. 1639. successit Horatius Seraphinius, ipse quoque Lucae patre medico natus, cujus effertur ingenium atque industria, quique, expleto Pisis studiorum curriculo, quadriennio ante insignia doctrinae acceperat. Sed is haud contentus mercede CXL. centussium, quam ab Academiae aerario exigebat, hanc postquam in ea fuerat per annum, deseruit, & ad cives suos medicinam facturus remeavit.

Quod multi erant in Etruria, & in aliis Italiae regionibus Lusitani, homines sane ingenii & doctrinae minime expertes (atque hi omnes quanquam litteris non mediocriter, mercaturae etiam magis operam dabant) an. 1637. ad regendam practicae medicinae cathedram vocatus est Stephanus Fereira Lopez, in quo si non summa omnia,

---

(1) *Hujus est titulus:* De indicationibus pro quantitate sanguinis mittendi decernenda, tam morbo praesente, quam imminente . . . ad D. Abbatem Riccium Antistitem Pisciensem: Lucae apud Peregrinum Bidellium 1642. in 4.

magna tamen erant, quae ad medicinam & faciendam & docendam pertinere tum existimabantur. Excitabat vero eum quaestus cupiditas, ut ad eam doctrinam, quam studio assecutus fuerat, adjungeretur usus frequens; & cum anno 1639. Neapolim bona cum Principis venia, negotiorum caussa, accessisset, a multis in gravioribus morbis adhibitus est. Etsi cupidissime expressum & expetitum ab illo fuerit, & approbatum a Principe, ne diutius quadriennio Pisis esset, honorificentissimis tamen hujus erga se beneficiis vinci se passus est, ut magisterium sibi prorogaretur, in quo mansit ad annum usque 1643. Ei industria doctrinam, doctrina gloriam, gloria aemulos comparavit, quorum declinandorum caussa Etruriam deseruit.

Multa de studio & doctrina narrantur Prosperi Tedeschii Castilionei, cujus etiam mentionem fecit Claudius Berigardus, & Gregorius Laetus (1). Is e nostra, ad quam primum venerat an. 1638. cuique XV. annorum operam tribuit, ad Patavinam Academiam transiit, in eaque plurimum gloria floruit primum inter medicinae Doctores locum tenens (2). Jam si quaeris, quod maxime medicinae genus ille probaverit, non mentiar si dixero suam institutionem accommodasse ad disciplinam eorum, quorum vestigiis primum institit, quosque torquebat cura, ne ab receptis opinionibus vel latum unguem discederent, verentes, ne si paullo recentior esset oratio, non digna expecta-

(1) Circ. Pis. Par. VI. Circ. 10. p. 635. L' Italia Regnante Part. *III.* p. 335.

(2) *De eo haec Papadopolus.* 1657. 28. Septemb. Ad hanc exedram florenis sexcentis conductus est Prosper Todeschi Florentinus Cassulae natus in oppido Etruriae magni nominis medicus, cui majorem flor. octingentorum & quinquagiota mercedem attulit an. 1663. 28. Septemb. auxitque deinde ad mille & quinquaginta an. 1670. 14. Februar. Hoc stipendio docuit ad an. 1678. quo senex vivere desiit. *Eum non Cassulae, sed in Castilione Florentino ortum habuisse certissimis monumentis constat.*

ctatione & silentio esse videretur. De Paullo Stecchinio Veneto nil dicam hoc loco, quod de eo alibi diximus. Si vero temporibus servire vellem, haud pauca mihi narranda essent de Jo. Baptista Soncinio Patritio Brixiensi, quem *decus ingens & ornamentum Academiae Pisanae* appellat Berigardus, *& a cujus ore catenulis aureis illigatos pendere* ait, *quicunque tantum Hippocratis interpretem audiebant*. Is ab Academia Patavina ad Pisanam venit, & cum an. 1644. explevisset suae conductionis quadriennium, pro qua ei pendebantur DCC. usque annui centusses, retineri petiit, quod honorificentissimo rescripto obtinuit (1). Vix autem satisfecerat sui & Principis, a quo nihil non sperare potuisset pro eximia doctrina & morum integritate, desiderio, cum mortem Pisis obivit prid. Kal. Septemb. an. 1648. Dum scribebat de tanti viri casu ad Donatum Antellam Paganinus Gaudentius, qui eum & carminibus & soluta oratione laudaverat, cuique librum suum *de candore politico* nuncupaverat, ait se afflictum & confectum luctu esse, quod Academia lumen suum amiserat, ipse vero amicissimum virum, cujus in suavitate & sermone omnes curas suas deponere consueverat (2). Noli quaerere quanti fuerint Camillus Studiatus, & Nicolaus Tiribillius Pisani, qui etsi primas concedebant Salmaticensi medico Caspari Silverae (3), pro suorum tamen jure conten-

(1) Restando S. A. sempre più gustata dell'onorato servizio del supplicante molto volentieri si compiace di ricondurlo per altri quattro anni.

(2) Letteraria Istoria spiegata in Sonetti p. 522. *Mentionem etiam honorificentissimam Soncinii fecit Jo. Rhodius ad Scribonium Largum p. 74.*

(3) *De eo sic decrevit Magnus Dux*: Fa grazia S. A. S. al Dot. Gasparo de Silvera medico fisico dell'Università di Salamanca di leggere nel suo Studio di Pisa letione ordinaria di medicina, secondo che gli sarà ordinato, per cominciare la sua condotta nel 1. di Novembre del 1645. con provvisione di piastre 300. l'anno. Contentandosi che possa per suo gusto

debant posse se quoque satisfacere aegrotis & medicinae studiosis. Hispanus ille minime sua sorte contentus fuisse videtur, quod anno post Academiam deseruit; Pisani vero ii, quoad vixerunt, in suscepto munere perseverarunt, & habenda est gratia Studiato quod per XIII. annos sine ulla mercede adjuvit eum, cui faciendae anatomes onus commissum fuerat. Ceteros inter, qui istud habuere, fuit, ut supra diximus, Jo. Franciscus Ridolphius Pisanus & ipse, qui in medicinae quoque practicae cathedra ad plures annos consedit, in qua competitores habuit Franciscum de Rubeis & Marcum Grossium Blentinenses, mediocris doctrinae homines.

Plurimum quidem sperari potuisset a Laurentio Nerio Emporiensi, qui ingenio & doctrina valebat, nisi an. 1648. postquam per triennium theoricae medicinae studiosis satisfecerat, Patavinam Pisanae Academiae praetulisset. Oblatum enim illi fuit munus docendae logices cum CCCC. florenorum stipendio & primus inter hujus disciplinae magistros locus, quem diu tenuit magna cum nominis sui fama. Non ultra annum Constantinus Vigna, de quo alibi mentionem fecimus, medicinam docuit, quod idem dixeris de Sylvio *dell' Hoste* Pisano, hominibus sane mediocribus & obscuris, quorum in numero minime quoque ponere dubitamus Pisanum alterum Fabium de Rubeis, quanquam per octo & amplius annos perseveraverit in suo docendi munere. Majora expectari potuissent ab Odoardo Cavallerio Nicaeo, sed an. 1651. biennio postquam ad Academiam venerat, & morbo gravi & mortifero affectus fuerat, in patriam rediit. Tum ejus locum occupavit Matthias Naldius, de quo satis multa alibi diximus. Eodem tempore, quo Cavallerius, operam locarunt Academiae Carolus Tassonius

leggere anche prima senza correre però alcun stipendio fino a detto giorno di Novembre.

Persio Falconcini 31. Gen. 1644.

Mutinensis, seu potius Vineolensis, Vincentius Petronius Salernitanus, & Julius Simonius Bargaeus. Totum quadriennium apud nos fuit Tassonius Julii filius, de quibus Tiraboschius in Mutinensi Bibliotheca, (sic opus inscribitur) nonnulla tetigit. Idem, postquam studiis Bononiae vacaverat, in illius urbis Lyceo medicinam docuit, exercuit etiam Rivarolae, cum recusasset in Hispaniam ire medicus Terraconensis Archiepiscopi. Ex nostra Academia in Bononiensem rediisse eumdem probat Oratio: *de humanae vitae directione*, habita Bononiae an. 1655. in auspicatione studiorum, in qua inter cetera ait: *ad duo solidiora medicae artis opera, pene dixi volumina, alterum de hemoragiis, alterum de ignitis microcosmi meteoris, hoc est de inflammationibus & febribus jam pene expleta typis demandanda alacrior reddetur animus*. Sed neque haec, neque alia hujusmodi vulgavit (1), & in medicina docenda non tam ea, quae recta sunt, sed etiam quae mirabilia, quaeque experientia minime confirmaverat, probasse videtur. Pauci enim tum erant, qui haec pervellerent, quique in investigatione naturae confiterentur se nescire, quod nesciebant.

Par fuit titulis, gradu, stipendio & studio Tassonio Vincentius Petronius. Uterque enim theoricam medicinam professi sunt, pro quo CCCL. centusses illis assignati fuerunt, uterque etiam disseruere coram Ferdinando II. de vermiculis quibusdam cucurbitini seminis speciem referentibus in cervorum & aprorum hepate inventis, eaque de re conjuncta opera *consilium* Lucae an. 1650. ediderunt. Ex hoc sane libro intelligi potest illos Arabum medicinam & sententias maxime pro-

(1) *Extare quaedam ejus carmina ait Tiraboschius. Ejus oden vide* in Empyrica Rationali Julii Caesaris Claudini 1653. *Ab eo etiam prodiit an.* 1655. Maria stans ad Crucem piis commiserata affectibus, *quo in poemate si non elegantiam, laudabis quidem scriptoris pietatem.*

basse, quare adversus eos stetit Cosmus Fontenellius Florentinus (fuit & hic quoque in numero medicinae Doctorum ab anno 1651. ad annum usque 1655.) qui *medicam animadversionem* scripsit *in Consilia habita coram Serenissimo M. D. Etruriae a Vincentio de Petrone & Carolo Tassone*. Eodem anno, eademque in urbe Luca emisit Petronius *orationem pro Sapientia*, quam Pisis habuit, cum munus suum ingrederetur, in quam, ut Horatianis verbis utar, projecit ampullas & sesquipedalia verba, & prorsus ridendas metaphoras. Cetera inter ait: *Exarsit desiderio animus in hac urbe, coram fulgentissimo Magni Ducis sole, immortalem mihi componere rogum, vel aeternum constituere nidum*. Verum phoenix iste nec diu vixit, (mortem enim obivit Pisis acuta febri ineunte anno 1656.) nec in odoribus aevum finivit (homo enim, in quo fervidum quoddam & petulans, & quasi furiosum erat genus dicendi, perpaucorum amicitiam sibi conciliavit) nec ad renovandam ejus memoriam valuere, quae contentionum nimium cupidus vulgavit, dum in patria Salernitana Academia primum tenebat locum inter philosophiae interpretes (1).

De Julio Simonio Bargaeo, qui per triennium ordinariae practicae medicinae cathedrae praefuit, nihil habeo quod dicam (2), quare accedam ad Hieronymum Vergerium Justinopolitanum, qui vir doctis-

---

1) Litterarium duellum inter Salernitanos & Neapolitanos medicos Vincentii de Petrone Ociosi Academici Neapolitani, & in Gymnasio Salernitano primi philosophiae interpretis, in quo de intestinorum phlegmone controvertitur casus, una cum Michaelis Rocci in eodem Gymnasio profitentis medicinam apologia; & alio ejusdem auctoris litterario addito de hepatis inflammatione duello: Venetiis 1647. in 4. *Hoc opus indignum sane erat Ferdinandi II. nomine, cui inscribitur. Sed valuit ad patefaciendum aditum Petronio in Academiam Pisanam.*

(2) *De eo pauca tetigit Cinellius.* Bibliot. volante contin. della Scansia Tom. II. p. 253.

simus & rei medicae scientissimus fuisse dicitur. Meruit apud nos ab an. 1653. ad an. 1665. in Patavina vero Academia, in qua studiorum cursum confecerat, per totos XIII. annos, cum mortem obiisset an. 1678. Vel ab ineunte adolescentia magnam de se famam concitavit, ut ad omne doctrinarum genus idoneus esse videretur. Sed libuit ei in medicina praesertim consistere, quam facultatem scriptis etiam illustravit (1). Verum ex nonnullorum titulis conjicies hominem acutissimi licet ingenii minime vidisse quanta illuvie Arabes medici salutarem artem infuscassent. Degenti Patavii nullus defuit honos & propter opinionem doctrinae & propter nobilitatem familiae. Cujus propagandae studio cum uxorem duxisset, moerore adeo contabuisse dicitur, quod careret liberis, ut ex eo non plane senex vitam amiserit.

Gratiam Patavinis habemus, quod nobis binos concesserint medicos doctrina claros Hieronymum Barbatum (2) & Joannem Zanet-

(1) *Scripsit autem:*

Disputationes varias pro circulo Pisano.
Novam methodum recitandi casus in almo Patavino Collegio.
Praelectiones in L. Fen. I. canonis Avicennae.
Praelectiones in librum de febribus.
Praelectiones in artem medicinalem Galeni.
Tractatum de urinis: de morbis particularibus in I. & II. Sect. Aphorism.
Syntaxim medicamentorum omnium tum internorum, tum externorum simplicium & compositorum.
Duos medicinae fontes Chirurgiam & Pharmaciam.
Praelectiones pro ingressu in cathedras.
Tractatus de formulis medicamentorum usitatioribus.

(2) *De Barbato haec narravit Malpighius* (Opera Posthuma p. 4.) Eo tempore, quo Pisis moratus sum, cum Excellentissimo D. Hieronymo Barbato Patavino convixi, qui ibidem medicam praxin exponebat. Hic Galeni & antiquorum doctrinis addictissimus erat, continuo tamen & familiari e-

tum, quibus non multos post annos tertius accessit Felix Vialius. Atque hic judicio doctissimorum hominum facile in medicina princeps esse potuisset, neque ex adolescentia excesserat, cum ad nos venit an. 1661. Non cogitationem solum, sed etiam oculos adhibebat advocatos ad noscendam corporis humani fabricam, & vitia, quibus infici solet; & cum de eo referret ad Principem Academiae Curator, affirmavit talem esse medicinae doctorem, tam assiduum in studiis, tam diligentem in obeundo officio, ut nihil ferme illi addi posse videretur. Dum vero eloquentia ornare voluit artem, quam profitebatur, indulsit adeo saeculo, ut nihil ejus dictione inquinatius fuerit. Id conjicies ex libello quodam, quem Patavii edidit anno post quam a nobis discesserat (1) (fuit hic annus 1675.) quo gratum animum suum erga Academiam Pisanam, & Pisanos omnes declarare voluit. Deserendi autem illos caussa fuit jussum Veneti Senatus, qui ejus opera uti voluit, usus autem praesertim est in re herbaria, cujus peritissimus esse putabatur. Ea propter Papadopolus illum appellavit *virum de Horto Botanico, cum ob diligentem & assiduam demonstrationem Plantarum, tum ob aedificia & ornamenta Horti, auctamque stirpium familiam optime meritum*. Hujus retinuit praefecturam ad annum usque 1719., quo aetatis vacationem flagitavit, ac triennio post

---

loquio persuasus, novarum rerum indaginem tentare coepit, aliorum potius placita evertere tentando, quam solide propria stabiliendo, ut cuilibet ejus scripta pervolventi patere potest.

(1) Ringraziamento a Pisa dell' Abate Felice Viali già pubblico Professore nella celebre Università Pisana. *Extant litterae Ferrantis Capponii, quibus Vialio ab Academia discedenti conceditur*, che resti col titolo di pubblico Professore colla facoltà d' intervenire personalmente in collegio, e di tirare gli emolumenti de' dottorati, e dar laurea, & esser capace di tutti gli altri privilegj ed esenzioni, come faceva quand' era lettore provvisionato.

obiit XII. Kal. Febr. cum ageret aetatis annum LXXXIV. Aetate illum antecedebant ejus cives, quos supra nominavi, Barbatus & Zanettus, sed his ille anteibat doctrinae fama, nec satis scenae & populo, ut dicitur, serviisse videtur Barbatus, quod deserta Academia an. 1662., cum efflagitasset, ut iterum sibi locus in ea daretur, minime voti compos factus fuerit. Missionem quoque ab Academia an. 1666. petiit Zanettus, novem post annos quam illi operam tribuerat, diu quidem pro hominis ingenio vivido, alacri, contentioso, & novarum rerum cupido.

Una cum Barbato an. 1655. addictus Academiae fuit Joseph Puccinius Onuphrii nobilis Pistoriensis filius, qui tum nondum expleverat XXVI. aetatis annum. Vel ante hoc tempus se in gratiam commendatione praesertim ingenii & doctrinae medicae insinuaverat Ferdinandi II., cum quo Romae fuit, & a quo nihil non sperare se posse facile novit. Quia salutare judicabat recedere a more medicorum, qui aegros foede multis medicamentis divexabant, pauca & simplicia probavit, nec conabatur aegro medicinam adhibere, nisi prius consuetudinem valentis, & naturam corporis probe cognovisset. Non hoc memoriae traditum esset, nisi iis temporibus talis fuisset medicinae status, ut magna pars hominum medicis suis ad quodlibet audendum paratissimis, non ad salutem, sed ad mortem uti videretur. Docuit Puccinius & fecit medicinam ad annum usque 1681. quo naturae in patria concessit. Cum an. 1663. in matrimonium duxisset Christinam Cortesiam nobilem & castissimam feminam, multos ex ea suscepit liberos, quorum in numero fuit Thomas ille paternorum studiorum diligens adeo imitator, ut Bellinius, quemadmodum Pitcarnio declaravit, neminem habuerit, cui magis confideret, eique praesertim Antonius Cocchius acceptum retulerit quidquid in medicina facienda didicerat. Quidni accusabimus homines de medicina optime meritos, quod minime posteritati servierint, emissis scriptis, quae magno cum labore paraverant?

Digitized by Google

Quanquam non ego is sim, ut mea me maxime delectent, hoc tamen loco exscribenda puto, quae alibi de Marcello Malpighio narravi, qui quidem venit ad Academiam id temporis, quo is plurimum & sui & aliorum utilitati consulere potuit. Idcirco autem in ejus vita declaranda longior fui, quia omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat, radices, stirpesque non item. Quare nemo mirabitur, si festinemus, dum facta multorum recensemus, in paucorum vero vita explicanda diutius immoremur. Sed ad propositum veniamus. Is honesto genere natus est Crevalcorii in oppido Bononiensis ditionis ineunte Martio an. 1628. Fuit hic quidem vir mirabili ac pene divina quadam ingenii facultate praeditus ad omnia naturae abstrusiora mysteria indaganda atque describenda. Is omnium primus non solum praecipua vitae organa in suas partes resoluta & divisa patefecit, sed &, quod plurimi faciendum est, posteros omnes suo exemplo docuit in omni naturali historia verum a ficto secernere; is simplicem atque unam, eamque perpetuis mechanices legibus obstrictam methodum naturae in corporum viventium actionibus obeundis innumeris experimentis detexit & explicavit; is demum notata a philosophis de plantis, de humano corpore, omnique genere animalium, quae nihil commune habere videbantur, quaeque dispersa ac vage disjecta erant, felicissime junxit, mutuamque sibi lucem afferre ostendit. Ad haec bona consequenda vel a prima aetate praeparavit adjutoria singularis industriae, adeoque ardebat cupiditate discendi, ut amissis mature parentibus, hàc una cogitatione orbitatis suae abstergeret molestiam. Cum domicilium Bononiae sibi constituisset propter summam & doctorum auctoritatem & urbis, applicuit se praesertim ad Franciscum Natalium, qui longe ceteris philosophiae doctoribus tum excellere putabatur. Ut coepit vero medica tractare, audivit Bartholomaeum Massarium, & Andream Marianium, quorum alter anatomen admiuistrabat, alter vero medicinam & docebat & faciebat. Ab amantissimo discipulo solitus erat exigere Massarius, ut de observatis a se se coram lectissimis viris, quos statis diebus domi suae ad anatomica studia

ex-

excolenda congregabat, disputaret, resque ipsas ante oculos statueret. Quae discendi ratio cum minus multis probaretur (saepe enim fit, ut ea solum homines honesta, utilia ac laude digna putent, quae a veteribus sunt accepta, idque in disciplinis praecipue; in quibus nihil tutum arbitrantur, nisi quod ab illis profectum est) non defuere, qui non solum objurgatione, sed etiam irrisione Malpighium incesserent, quod viam laudis, quam majores tritam reliquerunt, ipse desereret, & contemnere videretur. Quae contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam multum in nosocomiis versabatur, frequentabat omnes litteratorum virorum coetus, res diu multumque cogitatas afferebat, facile easdem oratione explicabat. Neque minus in curandis aegrotis promptus, quod & de instantibus verissime judicabat, & de futuris callidissime conjiciebat. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur. In hac celebritate nominis facile a Senatu Bononiensi obtinuit, ut publicus medicinae magister fieret, quadriennio postquam laurea ceterisque doctrinae insignibus decoratus fuerat. Hoc tamen beneficio diu ille uti noluit. Parendum enim existimavit Ferdinandi II. voluntati, a quo invitatus est ad tradendam Pisis theoricam medicinam. Hic ita vixit, ut omnibus merito esset carissimus, omnesque studio suo incitaret. Cum vero penitus se immersisset in Alphonsi Borellii consuetudinem, multa ab homine, qui maximus omnium judicio aestimabatur, adjumenta habuit ad illas suas physicas & anatomicas exercitationes. Quin immo quidquid in libero philosophandi genere profecisset, id totum illi se debere palam profitebatur. At si amorem ejus in multis rebus utilibus suscipiendis perspexit, fidem desideravit, cum de se praedicari ac nominari voluisset Borellius, quando spiralis fibrarum humani cordis figura detecta est. Tota enim hujus inventi gloria Malpighio debetur, quanquam illius & testem & spectatorem Borellium fortuna constituit. Interea assiduis experimentis capiendis cum multa sibi jam comperta esse videret, per quae, si palam fierent, medica ars mirifice illustraretur, ea de re dialogos vernaculo sermone scripsit nonnullos. In his maxime exposuit quae de san-

guinis natura observaverat, rationemque reddebat, quare ejus color mutetur, si cum eo diversa corpora, ac praesertim oleum vitrioli misceantur. Multas & magnas res afferebat de distillatione & concretione seri, de saliva, ceterisque humoribus, quorum ope cibus mutatur & concoquitur. Ad haec exponebat quantae interdum utilitatis, quantique saepe detrimenti in acutis praesertim morbis sint purgationes, Galenicos irridens, qui hoc remedio omnes fere sanari posse morbos putabant. Exemplo suo invitare omnes volebat Malpighius ad noscendam miram corporis fabricam, naturamque earum rerum, quae prodesse & obesse possunt, consulendamque illam omnium rerum magistram experientiam. Hi porro dialogi adeo probati fuere Borellio, ut de illis edendis hortari non cessaret Malpighium. Sed cum hic rem procrastinaret, incensa nescio quo casu ejus domo, omnes magno litterariae Reipublicae damno perierunt. Dum semper aliquid inquirebat Malpighius, quod spectaret ad rem anatomicam provehendam, manu ferme duxit Claudium Auberium in vera testium structura detegenda; qua occasione Auberius ipse ductum, quem ab ejus inventore Highmorianum vocant, & vasa, quae illi adhaerent, diligentius investigavit & clarius exposuit. Hae res eo magis valuerunt ad gloriam Borellii, Malpighii ceterorumque, quos in studiis physicis habebant adjutores & socios, quod ab iis occasionem sumpserunt Medicei Principes eos instituendi litteratorum virorum coetus, a quibus tantopere naturae scientia provecta est. Quanquam videret Malpighius in studiis suis gratiae plurimum & gloriae esse, iis imperantibus Principibus, qui in philosophiae sinu educati esse videbantur, consilium tamen cepit deserendi Academiam Pisanam, aeris insalubritatem caussatus. Accidit id an. 1659. triennio scilicet postquam ad illam venerat. Cum itaque Bononiam ad suum pristinum munus rediisset, inconstantiae labem singulari diligentia studuit eluere. Ibi multos habebat cum amicitia, tum studiis exercitationibusque conjunctos, e quibus praesertim dilexit Silvestrum Bonfiliolium, qui cum eo Pisas venerat, & Carolum Fracassatium. Erant, qui haec ipsa studia exagitarent, quorum ine-

Digitized by Google

ptias & stultitias non ferebat, iracundiusque respuebat, sive morose, ut putabatur, sive ingenuo liberoque fastidio. Non propterea tamen ejus tardabatur industria, gaudebatque sibi adeo fortunam propitiam esse, ut aliquid semper novi detegeret. Cum an. 1660. sanguinis motum & praecordiorum fabricam diligentius inquireret, factum est ut de pulmonibus, microscopii praesertim ope, ea observaret, quae omnium anatomicorum oculos antea fugerant. Vidit itaque rotundas vesiculas, ex quibus pulmones constant, formari ramis bronchiorum in ampullas dilatatis (1): vidit etiam arteriam pulmoneam reticulum efficere, suisque ramis, ceu annulis, vesiculas complecti, eoque in loco per anastomosin, ut loquuntur, cum venis conjungi. Cum observasset rete, quod totum est ex fibris muscularibus, circumdari pulmones ranarum, eamdemque rem sibi videre visus esset in agnis, non dubitavit, quin idem eveniret in hominibus. Hoc tamen fibrarum implexu non hominum modo, verum etiam omnium animalium, quae calida dicere solemus, pulmones carere affirmat Hallerius. Dubitare etiam videtur de ranis, quamvis Morgagnii affirmatio accesserit (2) propterea quod pulmones quadrupedum illa sua *irritabilitate* spoliatos esse observavit. Non effugere acutos Malpighii visus tum extrema arteriarum in suos minimos ramos divisarum, tum cellularis tela, quae pulmonis lobos jungit, &, quod medium inter eos est, replet. In hac ipsa tela sedem idatides habere is affirmavit. Explicata pulmonis fabrica, suam quamdam protulit hypothesin de sanguinis generatione,

(1) *Admonendos Lectores putamus magni nominis Anatomicos esse, qui dissentiunt a Malpighio in eo, quod pertinet ad figuram hujusmodi vesicularum. Vid. Barth.* Cent. IV. ep. 55. *Cowper* Tab. *XXV.* fig. 6. *Haller.* phys. lib. VIII. §. 29.

(2) *Adv. Anat. V. animad.* 29.

Digitized by Google

hanc ab alterno motu vasorum pulmonis, quibus chylus premitur, repetens, qua in re exemplo branchiarum piscium opportune utitur. Nihil vero similius, vel ex recentiorum physiologorum sententia, proferri sane poterat, quanquam Malpighius ipse quaedam se habere postea dixerit, quae huic opinioni suae adderet. Suspicatus enim est aliquid etiam fermentationi hac in re esse tribuendum. Magnam his inventis gloriam consecutus est Malpighius, neque eam multorum obtrectatio extinguere potuit. Fuerunt nonnulli, & in his Fracassatius, qui suas cum Malpighii observationibus minime consentire dicerent; alii, quibus mos semper fuit praesentia invidia, praeterita veneratione prosequi, quod his se instrui, illis obrui crederent, inconsultius res ipsas rejecerunt; alii demum malignitate & procacitate intolleranda, aut quod cognitum habebant, negabant, aut surripuisse Malpighium a Cornelio ab Hogelande quae pro suis venditabat, affirmabant. Pluribus rem ipsam narrat Malpighius, & quamvis ex anteacta vita omnes de se judicium facere possent, suae tamen gloriae propugnator esse voluit. Scripsit etiam hac de re plures ad Borellium epistolas, qui magnopere auctor fuit, ne differret typis committere, quae pro sui defensione scripto mandaverat. Sed, quod mireris, ille testis & laudator inventorum Malpighii, mutata subito voluntate, in eumdem calamum sumpsit (1), quae quidem inconstantia ex multis exarsit vitiis, & praesertim ex invidia, quae illum lacerare solebat. Praeter quam quod nemo ignorat, quam natura is esset propensus ad amicitias dissuendas. Sed haec antequam acciderent, magnum inter eos erat commercium medicarum atque anatomicarum observationum, & jure laudantur, quae spectant ad contagiosas febres, quae in toto agro Pisano manarunt latius cum magna hominum internecione. Inter cetera admonet Malpighius, quam caute & prudenter

(1) *De motu Animalium lib. II.*

purgationes adhiberi debeant in acutis morbis, ex quibus aliisque facile intelligi potest quantus usus ad illius summam prudentiam in medicina facienda accessisset. Interea Messanae demoritur Petrus Castellus, qui in illa Academia medicinam profitebatur. Cum de successore eligendo ageretur, factum est commendatione Borellii, ut Malpighius in illius locum succederet, annuo M. centussium stipendio illi assignato. Ut Neapolim ex itinere venit, cum Thoma Cornelio ac Leonardo a Capua viris litteratissimis, ac in omni re physica exercitatissimis amicitiam iniit, quam vel absens semper coluit diligentissime. Messanam mense Octobri pervenit an. 1662. ibique humanissime exceptus a Jacobo Ruffo, quocum familiariter Pisis vixerat, quod magno studio is deditus philosophiae esset. Eo vero auctore, non tam docere, quam facere medicinam aggressus est, sic tamen, ut non intermiteret consuetudinem pristinam aliquid semper novi in naturali philosophia inquirendi. Et jam quasi voto quodam & promisso ad hanc rem se teneri putabat, cum in omni sermone, & in ipsa, quam ad Messanenses, quo die primum ingressus est ad dicendum, habuit oratione, declaraverit quantum his studiis egeret medicina, postquam omni errore ab Arabis & Barbaris inquinata, deformata, ac pene eversa fuerat. Ipse locus, in quo dicebat, occasionem Malpighio dedit ostendendi, quam veteres Siculi, ac Graeci omnes optime de medicina meriti fuerint, quo magis illa depravatio ac deformitas appareret, auditoresque ad majorum exemplum imitandum excitarentur. Rusticabatur ipse non longe ab urbe apud Ruffum, cum in castaneae frustulo ductus aeris, seu, ut vocant, tracheas deprehendit. Repetitis experimentis, affirmare se posse putavit, illos ductus omnibus inesse plantis, & non solum aeri, sed etiam humori, quo ipse plantae aluntur, ferendo idoneos esse. Ipsa loci opportunitate admonitus multum impendebat temporis secandis piscibus. In omenti structuram intendit primum oculos, omniumque primus descripsit ovatas & caecas ampullas, quae cum extremo arteriarum conjunguntur, a quibus in ipsas ampullas pinguitudo, & oleum animale transit. Illas globa-

Digitized by Google

tas, & reticulatis vasibus praeditas esse ait, quae agnita forma a recentioribus quoque anatomicis fuit. Suspicatus est separari animale oleum per proprios adipatos ductus, eam ob caussam quod in histricis omento adipatas strias (comitantur hae rubra vasa) & quasdam lineas globulis adipatis, qui varii sunt pro variis striis, turgescentes vidit. Cupiebat aliquid odorari diligentius, & certius comprobare, sed multum licet laboris hanc in rem insumpserit, eam tamen nonnisi conjectura, a qua non satis veritatem illustrari dicebat, se perspexisse ingenue confessus est. Cui ingenuitati maximas sane laudes impertivere summi viri Morgagnius & Hallerius, quamvis tota sententia a Malpighio dissenserint. Vidit hic in sanguine oleosas particulas, ex quibus fit pinguitudo, neque hoc modo, sed & varios usus olei animalis exposuit, quod pro explorato habebat ab incerto distinguens, cum indignius nihil philosopho putaret quam incerta pro certis venditare. Cum totus esset in tynni & gladii oculis observandis, multa nova deprehendit de motoribus musculis, de figura & fabrica humorum, de membranis, vasisque, a quibus eae circumdantur. Praeter id branchiarum structuram indagavit, observatasque a se diligentissime in gladio piloricas, ut vocant, appendices nil aliud esse vidit nisi ingentem struem parvulorum intestinorum, quae repleta sunt liquore quodam a magna glandularum copia expresso. Hunc liquorem digerendis cibis idoneum, & vices pancreatis, quo plerique piscium carent, praestare putat. Descriptionem, quam fecit crystallinae lentis, & ansarum, quibus utrinque sustentatur (sunt enim hae loco processuum, ut vocant, ciliarium, quibus omnes pisces carent) magno exceperunt plausu rei anatomicae studiosi; & miror equidem Hallerium hujus inventi gloriam Peireschio unice tribuisse. Quoniam res una aliam saepe secum trahit, Malpighio piscium cerebrum contemplanti feliciter accidit, ut de medullari substantia, quam in omnium animalium cerebro inesse ait, ea proferret, quae innumeris postea experimentis recentiores confirmarunt anatomici. Rationem quoque docuit coquendi cerebrum ad clarius distinguendas medullares fibras, & fa-

sciculos, in quos ipsae fibrae colligantur. Tota vero errasse via dicendus est Malpighius, quod succum nerveum se vidisse putaverit, in cujus usu explicando, caussisque morborum, qui ab eo pendere arbitratus est, indicandis levi conjectura rem ponderasse videtur. Nec a veritate ille minus deflexit, cum cerebri corticem ex glandulosa materia constare sibi persuaserit. In tynno & gladio, dum nervi optici fabricam attentius investigaret, magna cum admiratione comperit illum non ex fasciculo funiculorum, sicuti ceteros nervos omnes, componi, sed totum esse ex lata fascia, quam cerebri medulla effecit. Illa autem pia matre tegitur, & in sua membra plicatur, atque a dura matre undique circumdatur. Non idem reperit ceteris in piscibus, ex quo conjicere se posse putavit, quodammodo naturam indiguisse hac varietate ad replendum magnum illud cavum, quod in hujusmodi piscium oculis fecit. Haec, ut in vulgus sparsa fuerunt, defensores & oppugnatores habuerunt. Fracassatius & Borellius ex illorum numero fuere, contra maxime obnitentibus Finchio, & Tilemano. Multa deinde a Malpighio de torpedine, in qua praesertim vasa quaedam mucoso alboque humore plena, quae oriuntur a racemo glandularum in interiori cerebri parte locato, indagavit. Positum etiam excretoriorum vasorum, quae sunt extra cerebrum, indicavit, sicque magis magisque eam anatomiae partem illustravit, quae spectat ad vasa, e quibus sudor, aliique humores emanant. Post haec rerum naturalium studio paullisper intermisso, non autem omnino seposito, opus magnum omnino aggreditur, quo universam anatomiae disciplinam vernaculo sermone complecti volebat. Adjuvandos enim discipulos suos putabat earum rerum explicatione, quas se usus & continua scriptorum lectio docuerat, ut, se duce, venirent eo, quo sine duce ipse pervenerat, quoniam meliora tradere se non posse ajebat. Initium operis a corde fecit, ut ad alias deinde partes, quae ab eo pendent, progrederetur; ac singularum singillatim naturam ex Italorum primum, qui plurimum hoc in genere valuerunt, sententiis, tum deinceps ex omnium exterorum doctrina quam accuratissime exeque-

Digitized by Google

retur. Cum partem illam absolvisset, quae est de visceribus a thorace contentis, hanc Borellio & Fracassatio misit illorum judicium exquirens. Ii quidem singularem Auctoris industriam magnopere laudarunt. Nihilo tamen minus ipsum hortati sunt, ut ab incepto desisteret, & quod res erat laboris prope immensi, & quod facile erat incurrere in odium offensionemque multorum, cum judicium de alienis scriptis esset ferendum, & quod gloriosius Malpighio putarent ipsum novam, ut ita dicam, scientiam creare & gignere, quam aliorum inventa scrutari. Subjicitur etiam a Borellio Ruffus, qui hanc rem distrahat, & reliqua, quae agere Malpighius instituerat, impediat. Cum tantorum virorum judicio ipse consuevisset permittere omnia, quod ii jusserunt fecit, & ad pristinas occupationes rediit. Igitur quod jamdudum constituerat, linguam primum tentandam suscepit, qua in inquisitione nemo est, qui non facile Malpighio gloriam concedat, quod primus observaverit papillas, unde tactum & gustatum habemus, neque has modo, sed & fibras, quae ita varie sunt dispositae, ut per eas facile lingua in quamcumque partem moveatur. Tria in genera pro varia earum figura linguae papillas distinxit: has omnes nervis praeditas esse ait, ac transire per reticulum, vel membranam adeo perforatam, ut tot foramina quot papillas numerare possis; demum easdem epidermide sic contegi, ut singulae in ea suas habeant vaginas. Verum recentiores anatomici nos docent neque has vaginas, neque perforatum reticulum in hominis lingua reperiri, & idcirco, correctione quadam adhibita, sententiam Malpighii, qui suas observationes in vituli lingua instituit, retinendam. Eodem tempore, quo is in inquirendo usu papillarum linguae elaborabat, aliarum papillarum inquisitor esse voluit; qua in re favit illi fortuna, cum eas in cute, in manibus, in toto externo corpore invenisset. Has quoque nervosis filis muniri animarique conjecit, quod multo postea a Boerhaavio apertissime comprobatum est. Tum in brutis, tum in homine earum figuram magnitudinemque notavit Malpighius, quodque ipsis ea maxime abundare membra animadvertit, in quibus tactus est

vi-

vividior, hoc argumento in primis confirmari putavit, quod de tactus instrumento protulerat. Texturam quoque cutis, & quomodo pili ac pennae ei inserantur, & vasa illa, quorum usus est in perspiratione & in sudore, exposuit in epistola, quae est ad Jacobum Ruffum. Voluit etiam ab eo invitatus rationem reddere nigritudinis Aethiopum, cujus sedem esse arbitratus est in reticulo, seu mucosa substantia, quae epidermidi subjicitur, quaeque ab ejus inventore Malpighiana appellatur. Illud vero, quod tum a Malpighio, tum a Stenone affirmatum est de glandulis sudatoriis, & de valvulis, quas unice destinatas rebantur ad claudendos aperiendosque excretorios ductus earumdem glandularum, multis nunc rationibus & experimentis refutatum est. In hujusmodi rebus inquirendis exponendisque cum totus esset Malpighius, habuit & bene longam & satis litigiosam disputationem cum Michaele Liparo, quae non mediocriter ipsum a studiis suis avocavit. Mos erat Messanae, ut quo tempore a Senatu Magistratus, quorum potestas esset annua, crearentur, urbis etiam Archiatrus eligeretur, quod sane munus quamvis illi plerumque ex medicis deferri soleret, qui magnam sui concitasset expectationem, exigebatur tamen ab eo, qui illud postulabat, ut doctrinae atque ingenii specimen publice disputando ederet. Unus eminebat inter competitores Liparus, pertinaciter Neotericis omnibus infensus, a quibus quo studiosius Galenicorum sapientia opprimebatur & abscondebatur, eo magis illam elucere atque apparere dicebat. In certamen itaque vocavit Malpighium, & qui studiorum societate erat ei conjunctissimus, Catalanium, illudens praestantiora recentium physicorum inventa, & praesertim sanguinis circuitum. Malpighius certe statuerat non adesse, quod nec dignitatis, nec famae suae putaret esse hujusmodi implicari disputationibus: si amice & privatim secum contendere Liparus vellet, haud se detrectaturum certamen. Erat tum Messanae Franciscus Maria Giangrandius florenti aetate, & acuto ingenio medicus, qui competitricem scenam cum Liparo habere cupiebat. Rogat itaque Malpighium, ut sibi qua consilio, qua opera auxilium ferat. Annuit Malpighius, excer-

Digitized by Google

ptisque thesibus quibusdam ex anatomia & physiologia, in quibus illustriora Neotericorum inventa continebantur, ei se ducem in illis memoria, & scientia etiam comprehendendis fore spopondit. Recusavit tamen in illa disputatione adesse, non tam ut sibi, quam ut Catalanio rem gratam faceret, qui vehementer optabat, additis quibusdam de suo in illas theses, se omnium consiliorum auctorem & praeceptorem judicari. Hujus rei fama, ipsaeque theses brevi per universam Siciliam & Calabriam pervulgatae sunt. Quo facto cum Liparus vehementer commotus esset, librum statim Latino sermone vulgavit, qui *Galenistarum triumphus* erat inscriptus, quo non magis in recentiorum medicorum sententias, quam in Catalanium & Malpighium ipsos acerbius & contumeliosius invehebatur. Indignas responsione, & plane contemnendas hasce injurias esse putavit Malpighius, & quod hujusmodi homines coercendi magis, quam dedocendi esse videantur, & quod ille pro ingenii sui lenitate valde ab omni contentionum genere semper abhorruit. Nihilo tamen minus cessit Alberti Tuccari aliorumque consiliis, qui ab eo, tanquam a tutore, non modo postulabant, sed etiam exigebant recentioris medicinae defensionem. Librum itaque hac de re scripsit, gravem sane & doctum, nomine Placidi de Papadopolis, qui sui & Catalanii olim auditor fuerat, supposito. Plurimum is quidem liber apud eruditos celebratus est; nunquam tamen adduci potuit Malpighius, ut ipsum typis committeret, quanquam a Borellio, Fracassatio aliisque quamplurimis, id ut faceret, rogabatur assidue. Neque vero his rebus multi tam amici Malpighio sunt facti, quam a Liparo alienati. Ipse Senatus Messanensis, cum acerrimi viri praestantem prudentiam in omni re physica cognosceret atque admiraretur, pertimuit ne caritate patriae & taedio contentionum, ad quas compellebatur, motus Malpighius aliquando ab ipsis discederet. Itaque omni officiorum genere ipsum sibi magis magisque devincire studuit. Non tamen ab ipso impetrari potuit, quominus, expleto magisterii sui curriculo (id ad quadriennium erat) ad suos rediret, illud pollicitus, cum primum per domestica negotia li-

cuisset, se Messanam rediturum. Non tamen, quod promiserat, praestitit, quamvis novis a Messanensi Senatu invitaretur beneficiis. Etenim cum videret se res domesticas & familiares posse & melius tueri & lautius, si Bononiae consisteret, & in summo apud Bononienses honore esse, quas excolebat, facultates, statuit ab iis non discedere. Placuit ei vero nec pristinum docendi munus deponere, nec recusare cuiquam operam suam in medicina facienda: & si occupatus proderat civibus suis, iis etiam prodesse studebat otiosus. Otii fructus fuere quae *de viscerum structura, de cordis polypo, & de cerebri cortice* in vulgus an. 1666. edidit. Negligentius quidem superiores anatomici versati fuerant in inquisitione tum viscerum materiae, quam carneam putabant, & pareuchimatis nomine designabant, tum illorum fabricae. Glissonius pauca quaedam haud improbanda de jecoris natura protulerat; sed haec tanti non erant, quin merito in spem venerit Malpighius se quoque posse novi aliquid invenire. Cum itaque plurimorum animalium, quae perfecta & imperfecta dicebat, jecur spoliasset sua externa membrana, hoc totum constare animadvertit ex lobulis, qui in corpuscula vinaceos acinos imitantia desinebant. Hos ipsos acinos vero cum vasis, quae ferendo & referendo sanguini sunt destinata, interjectos esse vidisset, concludere se posse putavit nil aliud esse jecur nisi conglomeratam glandulam. Neque uno, sed pluribus argumentis utebatur, ut probaret cavos esse acinos illos, atque humori, qui separatur, retinendo idoneos. Ducebat illa ex aliarum glandularum analogia, ex observatis a se se microscopii ope in insectorum jecore, quod totum ex strue cavorum sacculorum compositum apparebat, ac demum ex hepatariis morbis, in quibus cernere licet visceris illius acinos aut aqua repletos, aut gypsea quadam materia, aliisque similibus rebus. Felicius postea Ruyschius eamdem rem quaesivit, adhibitisque miris illis suis, ut vocant, injectionibus, ostendere potuit Malpighianos acinos minime cavos esse, cum ex glomeribus vasorum ipsi componantur. De reliquo quod ad glandulas conglobatas conglomeratasque attinet, quae tum in jecore, tum

in aliis visceribus inesse Malpighius monstravit, hujus opinioni standum ipse ceterique putarunt. Attentissime etiam consideravit Malpighius bilis cursum, ejusque ductus, & quomodo haec separetur, & excernatur, explicavit. Debitas tribuit laudes Bartholinio, quod haud ignoraverit esse in hepate lymphatica vasa, & glandulas conglobatas, sed negat ullum esse commercium inter excretorios bilis ductus, & lymphatica vasa, & quidquam habere commune conglobatas glandulas cum conglomeratis, ex quibus jecur constare putat. Eadem ferme protulit de cerebri cortice, cum hunc quoque ex parvulis glandulis conflari crederet, quae simul junctae glandulam conglomeratam efficerent. Hujus vero vasa excretoria in fibris medullaris substantiae inesse arbitrabatur, quibus de rebus, ut inter homines peritos nunc constare video, Malpighio haud assentiendum est. Renum fabricam tum in foetibus, tum in multis brutis animalibus, ac praesertim in avibus diligentissime inquisivit, cum multa tradi de iis aut dubia & incerta, aut falsa & certe obscura ab anatomicis intelligeret. Docuit ergo illos ex multis lobulis constare, hosque veluti totidem glandulas separandae urinae a natura destinatos fuisse; injectionis vero ope cum ductus excretorios uniuscujusque lobuli se vidisse putaret, hoc argumento maxime confirmari judicavit ipsos aut glandulas esse, aut partes glandularum agere. Extitit Peyerus, qui se huic sententiae opponeret, nil aliud esse hujusmodi lobulos pugnacissime contendens, quam glomera vasorum in papillas desinentia. Quapropter Malpighius & id, quod intendebat, novis comprobandum argumentis, & id, quod contra dicebatur, refellendum suscepit. Hinc vero occasionem sumpsit examinandi lienis, quem etiam suis eavis acinis minime destitui credidit. Cum observationes suas in liene bubulo instituisset, hunc, non sicuti humanum, unica, sed duplici membrana contectum esse comperit. In humano quoque multa lymphatica vasa in superficie extantia observavit. In iis, quae de fibris, vel lacertis muscularibus tradidit, solent recentiores anatomici a Malpighio dissentire, quamvis ipse plurimum hoc invento gloriari videretur. Lienis usum dum inquirit, he-

Digitized by Google

pati hunc famulari ex vero judicavit: minus tamen vere, qua ratione id fiat explicare videtur. Exprimi enim putavit ab illius glandulis succum quemdam, qui ipsi sanguini commixtus viam quodammodo huic separationi aperiat. Ceterum nunquam satis laudari potest singularis Malpighii diligentia, qui microscopii, injectionum, & macerationis ope adeo multa in animalium visceribus quaesivit feliciterque invenit, quae quidem non tam a superioribus anatomicis ignorabantur, quam multis erant circumvallata erroribus, quo difficilius inde verum emergeret. Quia vero non erat ignarus multos studiose contra se esse dicturos, quod vitare nullo modo potuisset, nisi nihil omnino scripsisset, multa anteoccupavit, quae oppositum iri arbitratus est suis inventis, multosque invitavit ad illa novis experimentis confirmanda. Quorum testimonia sane honorifica retulit in commentariolum vitae, quam de se ipso scripsit. Quod autem haud paucis in rebus dissentire a Malpighio visus est Jo. Baptista Blanchius, illius defensionem suscepit Morgagnius, & sententiam de glandularum acinis, seu folliculis, seu globulis disertissime exposuit (1). Postquam illa, quae diximus, de viscerum fabrica explicasset Malpighius, de cordis polypis agere instituit. Hi in dextro praesertim cordis ventriculo gigni putat ex nimia acoris copia, aliisque caussis, quibus sanguis libere fluere impeditur. Implicantur enim sanguinis ipsius fibrae: implicatae vero sensim solidum efficiunt corpus, quod vel interstitiis lacertorum, quibus interiores cordis & auricularum parietes contexuntur, adhaeret, vel in medio ventriculi cavo locatur. Multis & praesertim Kirckringio visum est hanc fieri concretionem non posse, ipso praesertim vigente sanguinis motu, & idcirco hominis vitam finem habere necesse esse eodem momento, quo polypus gigni incipit. Sed Malpighius affuso sulphuris, vitrioli & aluminis acore, qua ratione in

(1) *In epist. Anat. epist. ult. p. 237. edit. Lugd. Bat.*

modum polypi concrescat sanguis ostendit: probavit etiam certissimis argumentis, generato polypo, posse diu hominem vivere, & tamdiu durare vitam, donec ex aucta polypi magnitudine viae, per quas sanguis transit, omnino obstruantur. Ceterum tantum aberat, ut scribi contra se Malpighius nollet, ut id etiam maxime optaret, & profecto tanto in honore nunquam philosophia fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset. Quamobrem hortabatur omnes, qui facere id poterant, ut hujus quoque generis laude florere Bononiam vellent. Profecto plurimi ejus voce & exemplo excitati ad haec studia confluxerunt, a quibus etiam non mediocria habuit auxilia, cum quisquam in ea, quae proposuerat, conaretur invadere. Curavit etiam ut sibi non epistolarum modo, sed etiam anatomicarum observationum commercium esset cum Sylvio, Willisio, Bartholinio, Stenone aliisque, qui ceteros physica scientia antecellere tum putabantur. Quibus non commendantibus modo, sed pene etiam invitantibus, unde concretae, & quomodo factae sint glandulae conglobatae accuratius inquirere laboravit. In illas ipsas glandulas cum atramentum per arterias injecisset, non augeri glandularum corpus, sed solum repleri sanguinea vasa vidit, quo capto experimento, miror equidem ipsum non revocasse in dubium, essent ne revera folliculi in glandulis, iisque coagmentarentur. Sed saepe fit, ut quod opinione tenemus, tanquam infixum in natura arbitremur, comprehendique suis cujusque posse sensibus sic, ut contra si quis dicere velit, non audiatur. Similibus experimentis fabricam praegnantis uteri tum in vaccis, tum in aliis animalibus Malpighius indagavit, in quibus lymphatica vasa, naturamque humoris, qui ab his continetur, primus omnium inspexit. Eadem postea observarunt in humano utero Meryus, Morgagnius, Winslowius aliique, quo facto magnum sane addidere pondus inventis Malpighii. Examinavit hic ova, ovorumque sedem, sed verecunde ingenueque fassus est, se haud detegere potuisse illorum structuram; nec multum haec licet quaesiverit, novisse originem & vias, per quas tubarum vasa transeunt. Multa tamen in

lucem protulit de iisdem vasis, quae erant occultissima, ut & de tubis perforatis, quorum extrema carneis fibris praedita esse vidit, de fontibus muci, quos in praegnantis vaccae utero quaesivit, & de venosis demum sinubus uteri, totaque interiori ejusdem substantia. Ex acervo enim lacertorum illum esse putavit, quod indicare sibi videbantur musculares fibrae sic implexae, ut retis figuram imitentur. Cui opinioni fidem auctoritatemque adjunxit quidem multorum anatomicorum, & praesertim Morgagnii confirmatio. Viam a vesica ad allantoidem directam esse in quadrupedibus comperit; cotyledonum minima vasa, chorii globulos a glandulis distinctos observavit; ac demum in ovis amnio fistulosas quasdam appendices detexit, quas frustra in homine quaesiveris. Haec brevi non in Italiam modo, sed & in Bataviam & Britanniam pervulgata fuere Sponii, Stenonis & Graafii opera, quibuscum eadem Malpighius communicaverat. Cum sibi proposuisset Malpighius non una aliqua in re, quae ad animalium fabricam pertineret, separatim elaborare, sed omnia, quaecumque posset, scientiae pervestigatione comprehendere, a viscerum contemplatione ad ossa transiit. De quibus ea protulit, ut summus vir Hallerius quidquam adhuc se non invenisse firmius affirmare non dubitaverit. Quin immo cum adversus Hamelium defendendum suscepisset, quod duxerat jam Malpighius, ossa videlicet gigni a coagulato induratoque succo quodam, in suis capiendis experimentis eamdem viam visus est sequi voluisse, quam tenuerat Malpighius. Porro hic, cum observare instituisset tum brutorum animalium, tum hominum foetus, in iis filamenta & fibras, ut vocant, longitudinales, quae in modum retis disponuntur, inspexit. Succum osseum omnino idoneum esse comperit replendis filamentorum intervallis, ipsisque ossibus coagmentandis, quod exemplo quoque cranii piscium comprobavit. Quas partes habeant sanguinea vasa in hujusmodi coagmentatione incipienda, quas squamae vel laminae in eadem absolvenda ostendit. Postquam vero multis certissimisque argumentis ex ossium praesertim, quae iterum coaluere, fractura ductis probasset, esse revera succum osseum,

unde ille nascatur, quomodo a vasis erumpat, suumque opus efficiat pluribus exposuit. Qui fieri possit, ut quaedam corporis partes, haud immutata propria illarum figura, osseae evadant, & quomodo ossa ipsa in lapides convertantur, docet; qua occasione multa sane curiosa ab illo & ab aliis animadversa, quae naturalem historiam haud parum illustrant, narrantur. Atque hoc loco illud non queo praeterire, quod quamvis ab Hallerio, aliisque diligentissimis hominibus sagaciter pervestigatum sit, inessent ne sanguini, ut putabat Malpighius, succi ossei elementa, nullus tamen eorum inventus est, qui eidem hac in re minime sit assensus. De dentium natura ea quoque exposuit Malpighius, quae omnium nunc confirmantur anatomicorum consensu, adeo ut vere mihi videar hoc esse dicturus, in nulla pene re inquirenda ipsum elaborasse, quin, quod voluerit, sit consecutus. Cum videret vero sic inser se jungi copularique posse naturalem historiam, medicinam & anatomen, ut magna sibi vicissim eae facultates suppeditare potuissent adjumenta, hac in re quoque hominibus ille prodesse voluit. Et sane tantum illis ipsis facultatibus sibi nomen comparavit, ut id admirari praesertim debeant, qui nolunt eumdem pluribus rebus excellere posse. Quod ad naturalem historiam pertinet, vix credibile est quot falsis & mendacibus opinionibus atque dictis omnia referta essent, ut non immerito quibusdam visum, nihil certum sciri, nihil plane cognosci & percipi posse. Quapropter nobilissima scientia, quae latissime patet, ab homine acuto, & natura usuque callido, qualis certe erat Malpighius, expectabat, vel potius exigebat, ut aliquando ad lucem adspiciendam per eum vocaretur. Qua in re perficienda non ipse quaesivit quid ceteri cogitarent, sentirent, opinarentur, ut mos erat omnium philosophorum, sed sagaciter pervestigavit, quid in ipsis rebus, quas noscere volebat, contineretur, quarum vim & naturam non ratio, sed experientia explicat. Atque ex multis animalium generibus bombycem praesertim observationibus suis dignum putavit Malpighius non tam propter utilitatem difficultatemque rei, quam quod de eo vix tolerabilia prodita litteris fuerant. Per plures men-

Digitized by Google

menses assidue, incredibilique prope labore eamdem rem persecutus est, ex quo factum, ut febri & oculorum morbo tentaretur. Levia tamen haec putavit philosophus homo prae gaudio, quo cumulatus est ob inventionem rerum occultissimarum. Quae forma bombycis externa esset, quae fierent in omni aetate mutationes, quique omnium minimarum partium usus esset, primum exposuit. Post id illa interiora scrutatus est. Mirari licuit tracheae truncos, a quibus rami, arteriarum instar, in singulas corporis partes, quod est ad vitam & ad motum necessarium, propagantur: interdum etiam in oblongos & subrotundos sacculos laxantur, specie & forma pulmonum. Ambit tracheas zona quaedam argentei coloris in spiram collecta, quae patentem efficit tubulum. Zonae constant ex lamellis ita dispositis, ut non secus ac piscium squamae, compresso & dilatato tubulo, ipsae contrahi ac protrahi possint. Eaedem a lateribus oriuntur, ita ut singuli annuli geminum habeant trachearum truncum atque hiatum, quod aliis etiam insectis commune est. Cor continuum tubum a capite ad extrema usque corporis ductum esse ait, nisi mavis dicere esse in bombyce ordinem seriemque cordium, ut haec annulorum numerum aequent. Eo in tubo cernere licet tracheae ramos hinc illinc sparsos, adhaerentemque mucosam materiem, quam satis probabiliter omentum appellaveris. Eosdem ramos esse quoque videbis in ventriculo, cujus membranacea moles magnitudine reliqua viscera multum vincit. Oritur ab ore, terminaturque in ano. Ambiunt ipsum carneae fibrae & vasa, globulique exterius sic locantur, ut vice glandularum eos fungi manifesto appareat. Circa pylorum hiant oblonga intestinula magnitudine & colore diversa ad bilem & pancreaticum succum separandos. In ventriculi lateribus bina existunt vasa gummosum liquorem, ex quo sericum efficitur, continentia. Mira est illorum implicatio & circuitus in toto vermis corpore, claudique videntur ipsorum extrema capita. Haec quoque tracheae ramis minime carent. Neque viscera modo, sed & spinalem medullam, cranium, dentes, mandibula, & qui prope illa jacet, carneum tumorem, per quem stamen

transit, quidquid demum in capite notatione dignum putavit, minute describit Malpighius. Post id quomodo opus suum efficiat bombyx, & chrysallis papilioque demum evadat, ab eodem narratur. Papilionis minimas partes scrutatur, & curiosa praesertim in ... um non solum forma, sed & motibus, quos numerare illum non piguit, animadvertit. Plurimum elaboravit in noscendo toto eo, unde ova generantur; quodque reprehensus fuit a Swammerdamio se quaedam minus vere protulisse, quae ad generationem pertinent, id occasionem illi dedit praeteritas observationes renovandi confirmandique, quibus res prorsus miras atque occultissimas patefecit. Quanquam vix ulla appareat varietas in vermis & papilionis corde, non sine tamen admiratione animadvertit Malpighius, liquorem ab eo contentum ex superiori ad inferiorem partem in papilione, contra ac fit in verme, moveri, quod tamen neque semper, neque sine varietate quadam, & copia phaenomenorum sane curiosorum accidere affirmavit. In his quidem explicandis fortasse minime haesisset, si irritabilitatis, ut loquuntur, vis illi plane nota fuisset. Quoniam ad ea, quae quaerebat, multum proficere aliorum insectorum atque animalium inspectionem intellexit Malpighius, multorum historiam sic junxit explicavitque, ut inde magnum naturae scientiae allatum sit incrementum. Neque his rebus tantummodo gloriam, sed gratiam quoque adeptus est Malpighius. Adeo enim Socios regiae Britannicae Academiae, ad quos dissertationem suam, ineunte an. 1669. de bombyce misit, sibi devinxit, ut hi ei uni plurimum viderentur tribuere. Edendam quoque curarunt eamdem dissertationem, & ad simillima munera mittenda ipsum invitarunt. In quo non Malpighii modo, sed etiam ipsius Academiae gloria agebatur, cum in eam honorificentissimo decreto cooptatus fuisset. De bombyce quoque accurate scripsit ad Silvestrum Bonfiliolium, qua de re & praesens cum illo egerat. Id enim opportunum & necessarium esse putavit ad confirmanda nonnulla, quae in dubium docti homines revocaverant. Exploratis hominum, brutorum, & insectorum visceribus, plantarum anatomen tractandam suscepit,

Digitized by Google

haud dubitans quin ex ea plura mutuare posset, quae magis magisque noscendae animalium fabricae conducerent. Quoniam vero res erat prope immensi laboria, ab omni alia occupatione se expediendum, urbemque relinquendam putavit, ut illi unice vacaret. Quanta voluptate hominem philosophum perfusum existimabimus in otio ac solitudine contemplantem terrae vim ac naturam, quae cum gremio mollito ac subacto semen accepit, primum id occaecatum cohibet, deinde complexu suo diffundit, & virgultum ex eo elicit, quod nixum fibris sensim adolescit, & in varios se fundit ramos, vestiturque foliis, a quibus orientes fructus sese ostendunt, qui cum & succo terrae, & calore solis augescant ac maturescant, res rusticas laetas faciunt. In hoc recessu plures consumpsit menses: observationibus vero illius nihil invenit solertius Britannica Academia, ad quam adumbratam quamdam operis, quod instituerat, formam misit. Istud opus, quod haud immerito omnium Malpighii maximum judicaveris, binas in partes dividitur. Cortex, quo obducuntur plantae, primum examinatur. Vestitur hic epidermide, cui subjiciuntur reticulatae fibrae paribus intervallis distantes inter se, in quibus videre licet utriculos pellucido liquore refertos, & vasa lacti, aliisve humoribus, quibus plantae nutriuntur, deferendis idonea. Eadem ferme de libro dixeris. Nutricius humor in corticis utriculis concoquitur. A cortice ad truncum transit Malpighius. Hic quoque, non secus ac cortex, suos utriculos, quorum nonnulli ab ipso cortice ad medullam recta feruntur, suaque vasa habet, per quae aut succus, aut aer transit. Aerea vasa conflantur squamosa lamina argentei coloris in spiram collecta, in qua tubi & vesiculae pulmonibus insectorum ferme similes includuntur. Unde plantarum liber, & quomodo in illis fibrae nodique sensim augescant minute persequitur Malpighius. Neque minus, illo docente, intelliges quomodo existat tum ea, quae gemma dicitur, tum ex hac orientes frondes & flores, in quibus non sine admiratione omnes ferme plantae partes, vasa, tracheas, utriculos adumbratos inspexeris. In explicanda harum omnium rerum natura & usu ostendit Mal-

pighius magnam esse inter plantas & animalia corpora similitudinem, quapropter folia cuti, stylum uteri tubis comparat: in seminibus vero eamdem vim rationemque generandi, ac in viviparis omnino agnoscere videtur. Haec quidem in priori operis parte. In secunda autem seminum satus, ortus, incrementa exponuntur. Plurimis comprobat experimentis plantas minime adolescere, nisi uterum in terra habeant, cotyledones in foliis, inque cotyledonibus umbilicalia vasa atque utriculos, quae nutricium humorem recipiant, ac foetui tradant. Post haec natura exponitur tumorum, quos quorumdam insectorum aut morsus, aut ova, aut aliae hujusmodi generant caussae. Pilos & spinas a transversis, qui continnantur, utriculis, deflexoque a sua via nutricio humore gigni putat. Post id naturam earum plantarum inquirit, quae multiplici lapsu & erratico serpunt, quaeque claviculis suis, quasi manibus, quidquid sunt nactae complectuntur. Neque harum modo plantarum, sed & illarum, quas parasitas appellare solemus, fabricam proprietatesque examinat: ex semine ipsarum plerasque oriri affirmat, & inclinare quoque videtur ad semina danda fungis, mucori, & musco. Demum sic describuntur plantarum radices, ut eas a trunco minime differre appareat, si vasa tamen aerea excipias, quorum major est copia in ipsis radicibus, in quibus medullae locum occupant. Hactenus satis mihi videor dixisse de operis divisione ac materia. Si qua praeterea sunt (sunt autem plurima) ab ipso, si videbitur, Malpighio quaerito. Cujus quidem laus est singularis, quod primus plantarum fabricam sic examinavit, ut omnes earum partes atque munera, quae illi natura assignavit, noscere atque explicare potuerit. Non erat nescius cum id aggressus est, fore, ut hic suus labor in varias reprehensiones incurreret. Quibusdam enim totum hoc philosophandi per experimenta genus displicebat, quo multa ex eorum scriptis recidi necesse erat; alii, quibus novitas rerum suspecta erat, & quod alienae inviderent laudi, libenter, ac interdum etiam acerbe & contumeliose in omnia Malpighii inventa atque scripta invehebantur. Sed haec facile contemnebat philosophus homo, quem non ma-

Digitized by Google

gis novitas, quam magnitudo rerum debebat ad exquirendas causas excitare. Praeter quam quod se solari poterat multorum doctissimorum hominum, & ipsius Britannicae Academiae honorificentissimis testimoniis; neque illud erat ad gloriam mediocre, quod multi ejus libris ad scientiam rerum naturalium comprehendendam amplificandamque impulsi fuere. Eodem tempore, quo is plantarum anatomiam explicabat, in eadem re elaborabat Britannicus homo praestanti doctrina Grewius; sed neque ab eo, neque ab aliis quidquam sumpsit Malpighius, qui, ut ita dicam, novavit & fecit ipse hanc historiae naturalis partem. Quapropter miror equidem virum summum Linnaeum in explicando modo, quo plantarum folia in calyce plicantur, affirmasse se *praetervisa antecessoribus* investigasse, quasi Malpighius hac in re, ut & in aliis multis, doctorum desiderio minime satisfecisset (1). Jam vero illa longam orationem desiderare putavit, quamobrem existimaret necessaria esse vegetationi plantarum folia, ut ipse vocat, seminalia, quae locum placentae, seu cotyledonum tenere dixerat ad succum a terrae utero receptum ipsis plantis deferendum. Nam huic sententiae sese opposuerant Jo. Baptista Triumphettus Romani horti Praefectus, & Alphonsus Borellius, quorum argumenta sic infirmavit ac diluit (2) ut quod dubium & incertum esse videbatur, manifestum fecerit. Probavit etiam quodammodo injuriam sibi Borellium fecisse, cum fingeret caussas ad discordiam, eaque sibi objiceret, de quibus antea, ut de probabilibus rebus, secum convenerat. Sapientius quidem se gessit vir politissimus, & prudentia singulari Franciscus Redius, ad cujus manus cum pervenisset Malpighii dissertatio *de gallis* separatim in Anglia impressa, suam quamdam, quam de iis antea scripto propugnaverat, sententiam mutavit. Silentio prae-

---

(1) *Vid. Adanson* familles des Plantes. Preface *pag. cxxxv.*

(2) *Legi haec possunt in operibus posth. p. 63. & seq.*

tereo quae Jesuita Philippus Bonannius adversus Malpighium scripsit; quod eum infra infimos omnes, qui hujusmodi studiis dediti fuerunt, homines fuisse puto, quamvis omnes garrulitate superaret. Cum totum se Malpighius in contemplandis rebus perspiciendisque posuisset, facile ab eo obtinuit Britannica Academia, ut opus, quod instituerat, *de formatione pulli in ovo*, & *de ovo incubato* edolaret. Id eo libentius aggressus est, quod eam naturae consuetudinem esse diceret, *ut omnia ab ovo produceret*, *vel saltem omnia ad modum ovi exordia & augmenta capesseret*. Innuit quae Hippocrates & Aristoteles, e recentioribus vero Aquapendens & Harvaeus attulerant ad animalium generationem illustrandam, ne ea, quae peperisse ipse putabatur, aliunde didicisse videretur. Et profecto adeo pauca in re omnium obscurissima noscebantur, adeoque omnia plena erant errorum, ut novas se peragrasse terras haud injuria gloriari potuerit. Sed ne latius hae patere viderentur (quis enim est tanto inflatus errore, ut omnia, quae ad generationem pertinent, se scire posse arbitretur?) paucis complexus est, quae sibi fortunate videre contigit, quaeque infra referre haud pigebit (1). Quae contemplans Hallerius ait cete-

(1) Ex serie (*ait ille*) observationum in incubatis gallinarum ovis saepius repetita colligere licet, foecundis ovis inesse, tanquam principem partem, cicatricem, quae nihil aliud est, quam fluidi quaedam congestio, aggere quasi conclusa, in qua prima animalium rudimenta continentur. Instituta itaque incubatione, vi tepidi caloris, rarescente fluido, continentes, & ambientes solidae partes, intercurrentibus lymphis, quasi in tot sulcos solvuntur, & discontinuantur, & humor effluit, & pedetentim conclusus in centro cicatricis turget, & augetur. In hoc pariter manifestari incipiunt prima partium stamina, in quibus compangendis videtur natura primo quasi assurgentes parietes excitare, quorum variis inclinationibus, & incurvationibus concavitates consurgunt: intercepta itaque spatia subintrans fluidum replet, hinc carina, seu rudimentum spinae emergit. In exaratis parietibus lateraliter tumores fiunt per longum statuti, qui loculos

ros physicos omnes ab illo, eum *de formatione pulli in ovo* scripsit, addita autem priori operi appendice *de ovo incubato* ipsum a sese superatum. Quoniam vero quaedam de formatione cordis prolata a Malpighio confirmatione & emendatione quoque egere putavit Hallerius, illud ipsum argumentum iterum tractandum suscepit. Et sane divino, quo erat ingenio praeditus, & inusitato quodam mentis acumine haud pauca ab aliis ignorata per se vidit, lapsumque Malpighium probavit, quod dextrum cordis ventriculum primum in pullo formari

---

orbiculares referunt, subingresso sensim ichore manifestatos, a quibus vertebrarum prima compages. Spatium vero inter erectos parietes, admisso fluido, amplas vesiculas in latiori area exhibet, unde cerebri inchoamentum, ab his oblongus canalis, fluido refectus, appensae spinalis medullae inchoat compagem. Quapropter naturae institutum videtur, omnia ex fluido, tamquam prima materia, singula excitare, hac tamen ratione, ut solidiori materia delineatis veluti tot praesepibus, & alveolis, partium delineamenta, & extimos fines describat. Quinimo partium delineandarum inchoamenta utriculis, & sacculis membranosis inchoat, quorum poris, quasi tot glandularum cribris, separat determinatum fluidum ab eo, in quo innatat, & ita custoditum plastico spiritu pervaditur, & organizatur, transpiratis incongruis, & facta debita suarum partium adaptatione. Hoc evidentius in papilionum partibus videmus, in quibus sacculi pro alis, antennis, & consimilibus, quae ultimo manifestantur, longo tempore praeexistunt primo delineati, tandem fluidis replentur, & solidefacta partis substantia, a continentibus sacculis, veluti enses e vagina eruuntur. Taliter igitur incedendo natura carinam, cerebrum, & spinam plasmat. Et quoniam animalibus necessaria est fluidi perennis circumvolutio pro vita, nutritione, & motu, ideo novam instituit choream. Ab extremo igitur cicatricis limbo tubuli veluti tot radices manifestantur, qui in truncum desinunt: hic ad centrum cicatricis deductus curvatur, & in globulos laxatur, circa quos carnei lacerti circumducuntur, quibus veluti tot digitis comprimentibus, novus motus contento fluido communicatur, & cordis rudimentum excitatur. Propulsum itaque fluidum ulterius intra tubulum progreditur,

putaverit, & illam aortae partem, quam bulbum appellat, pro sinistro habuerit. Illius profecto si valuisset sententia, haud intelligi potuisset qui fiat sanguinis circuitus. Quoniam vero naturae lumen statim apparere videbatur, aliquid inquirente Malpighio, multi ab eo postulabant, ne cessaret ab opere animantium varios ortus, variamque fabricam explicandi. Quae esset differentia quorumdam viscerum in iis, quae cibum aut sugunt, aut carpunt, aut vorant, aut mandunt, no-

---

donec redux ad limbum venarum & arteriarum, & successive sanguinis circulationi inchoamentum exhibeat. Ex subministrata vero pedetentim materia a limbo derivatis humoribus ab exararo canali appendices fiunt, ex quibus viscera, & musculi consurgunt. Hoc totum meditanti mutationes, & manifestationes expositas primis diebus incuuibatus patebit; unde concludere licebit; naturam ex fluida materia concavitates solida substantia circumvallatas excitare, quibus admittitur congrua materia, quae in compagem partis assumitur, & statura hac solida partium textura, tamquam corporis basi, canales manifestari cum propriis fluidis motum, sensum, nutritionem, reliquaque exequentes. Ex his igitur, & similibus probari videtur, in cicatrice adesse compendium animalis, hoc est, delineationes primas principalium partium; extimos scilicet fines, qui vegetatione media, communicato fluidis motu, cum sensim repleantur concavitates, & turgeant obviae fiant sensibus. Quapropter incubatus solum motum communicat contentis fluidis, & partes exuberare facit, easque pervias reddit, & tandem consolidando firmat; hinc superfluum videtur quaerere, an cor ante cerebrum, an sanguis ante cor gignetur, cum sensibus pateat, ante incubatum, carinam manifesto in cicatrice jacere; inchoato antem incubatu, vasa in limbo repleta turgendo occurrere, deinde ex motu cordis ventriculos, & exinde continuatos arteriarum tubulos. Et licet excurrens fluidum notas omnes non habeat veri sanguinis, probabiliter tamen censere possum, sanguinis non solam materiam esse, verum & sanguinem, cum ipso partes vivificentur, & augeantur, ut in adultis contingit.

notavit. Descriptionem etiam separatim fecit unius alteriusque aquilae a se dissectae; & minute exposuit, quae forma esset tum externa, tum interior vermium, qui in hominum & brutorum intestinis reperiuntur. Plura quoque persecutus est de noctilucis, papilionibus, insectisque aliis, quae aliquid commune cum noctilucis habere videbantur. Cum animadvertisset contineri succum quemdam eo in cavo, quod bini extremi annuli faciunt, hunc materiem & caussam lucis esse minime dubitavit. Quamvis satis accurate aliis locis uteri fabrica a Malpighio exposita fuisset, rem eamdem iterum tractandam suscepit in ea, quam an. 1681. ad Sponium scripsit, epistola. Hoc autem loco consideranti sibi vim naturae, dum animalia & plantas generat, multa sane occurrerunt, quae utrique rei mutuam afferre lucem putavit. Esse etiam nonnullam similitudinem in monstrosis foetibus non solum inter animalia & plantas, sed etiam inter lapides pluribus exemplis postea probavit. Qua de re dum disputat, eorum favere sententiae videtur, qui superfoetare posse animalia arbitrabantur. Ortum, incrementum, fabricam cornuum primus ex vero explicavit Malpighius, cujus rei occasionem illi dedit monstrosum cornu, quod e bovis collo emerserat. His autem scriptis exposita etiam sunt ea, quae de fibris musculosis, de fontibus muci, vasisque uteri antea protulerat, quo majoribus argumentis inventa sua confirmaret. Idem fecit, cum de glandulis conglobatis iterum scribendum suscepisset rogatu Ricardi Vallerii, qui Henrico Ondelburgio (erat hic Regiae Londinensi Academiae ab epistolis) successerat. Perseverabat ille quidem, & in sua veteri sententia permanebat, numeranda esse in glandulis non modo pericardium, peritonaeum, pleuram, testium membranam, quam vaginalem dicunt, sed etiam intestina ipsa, ventriculum, cotyledones, omnesque magnos corporis humani cavos, qui totidem folliculi sibi esse videbantur. Hoc opusculum propter bella, quibus ardebat Anglia, sero ad regiam Societatem perlatum est. Cum ad eam tamen pervenit, & magno exceptum plausu, & ipsius Societatis sumptu typis commissum fuit. Eodem ferme tempore

Digitized by Google

de pinnarum texura, & de pilis, quae antea vix attigerat, de unguibus, aliisque corpusculis e cute prodeuntibus uberius scripsit. Diversa pilorum genera recenset, in quibus etiam echini spinas numerat. Sed ad illorum structuram noscendam usus praesertim est apri setis, & pilis, qui vel in inferiori labio equi & asini, vel in naribus bovis enascuntur. Illos plantae comparat, quae germen sub cute habet. Considerat quibus usibus natura provida utilitatum opportunitatumque omnium eos destinavit. Fieri etiam interdum ait, sed praeter naturam, ut circum viscera pili generentur, quod uno alteroque probat exemplo. Quomodo ii augescant ac nutriantur, exponit. Eodem modo pinnarum omnes mutationes, naturamque persequitur. Harum germen foetui comparat, cum & ipsum quoque membranacea vagina placentae simili, per quam alitur & pubescit, includatur. Nominatim etiam explicat omnes minimas earum partes; quare haud est mirandum, si recentiores physici nihil habuerunt, quod ad inventa Malpighii hujusmodi in rebus omnibus adderent. Atque illa quidem dum tractaret, saepe deducebatur ad eam cogitationem, num fieri posset, ut oculis subjiceretur inventum omnium nobilissimum de sanguinis in animalium corpore circuitu. Neque enim sensuum fidem sine ratione, neque rationes sine sensibus exquirere solebat Malpighius. Huic rei opportunissimae fuerunt ranae, in quarum mesenterio & intestinis, quod frustra in multis animalibus quaesierat, tandem invenit. Vidit itaque varios sanguinis motus, qui fiunt & ex arteriarum, & venarum varietate, & ex disparili diametro vasorum, diversisque eorum flexibus: medio in canali magis quam ad latera moveri sanguinem ait; quibusque de caussis hic motus aut languescat, ac rursus reviviscat, feliciter indagavit. Post haec colorem sanguinis consideravit, & ubi major esset copia globulorum, ibi magis illum rubere animadvertit. Erant, qui hos globulos in gyrum agi crederent, quos facile fuit Malpighio erroris convincere. Mirari equidem possumus acri diligentia & judicio res hujusmodi quaesitas a Malpighio, diu non attendisse philosophos nimium calculis suis tribuentes, quibus omnia, quae ad sanguinis motum pertinent, explicare se posse rebantur. Neque

Digitized by Google

minus illud mirandum, quod cum ratio philosophandi tradita a Malpighio nunc in honore esse coeperit, audeant nonnulli tanquam nova in lucem proferre, quae solertissimi viri libris continentur. Quos ego libros si pulcherrimarum ac reconditarum rerum thesauros appellem, minus, quam debeam, praedicem. Et si artis maxime proprium est creare & gignere, non sane video quis cum Malpighio conferri possit, qui in excolenda anatome & historia naturali tot magnarum rerum semina jecit, quae postea, accedente gravissimarum facultatum scientia, & doctissimorum hominum experientia, quasi mollita & subacta, sensim adolevere, & tandem aliquando laetam tulerunt atque uberem verae germanaeque sapientiae frugem. Neque minus dedit ille materiem invidiae, & stultorum hominum criminationibus, qui cum viderent se decus & dignitatem non posse servare, si vigeret institutum a Malpighio philosophandi genus, hujus studia plena futilitatis esse, summaeque levitatis clamare non cessabant. Non commemoranda esse puto horum nomina, quae posteritas quasi perpetua oblivione obruit. Multorum quoque scripta Malpighius ipse indigna responsione putavit, praesertim cum haberet suavem recordationem omnium magnorum hominum, qui gravissimas injurias scientiarum, quas excoluerunt, caussa libenter pertulerunt. *Si mihi facere licuerit*, scribebat ille aliquando ad amicum, *quod jamdiu cogito*, *aut alius quispiam*, *aut me impedito occuparit*, *aut mortuo effecerit*, *ut quae dispersa sunt*, *scripta mea colligam*, *emendem*, *augeam*, *facile tum per se judicabunt aequi homines*, *non illi*, *quos praepotens & temeraria philosophia delectat*, *quantum contulerim ad utilissimarum disciplinarum incrementum incognita aperiendo*, *obscura explicando*, *& multa*, *quae erant dissoluta & divulsa*, *conglutinando*, *& ratione quadam constringendo*. Interea ne minus lucide appareret quid praestiterit, suam ipse vitam narrare instituit, quod fiduciam potius morum gestarumque rerum, quam arrogantiam fuisse judicaveris. *Apud priores*, ajebat Tacitus iniquitatem suorum temporum conquerens ac deplorans, *ut agere memoratu digna pronum*, *magisque in aperto*

erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia, aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Non artem adhibuit Malpighius, non orationis ornatum, ut quae sua mens, mores, disciplina, studia, inventa, disputationes, fortunae fuissent, explicaret. Facile tamen ex narratis ab illo intelliges quantum praestiterit prudentia ceteris omnibus, & nullum ferme fuisse locum paullo obscuriorem in universa anatome & historia naturali, cui non aliquam lucem attulerit. Saepe etiam hominum segnitiem & inertiam castigat, quos labor deterret, quominus naturam inquirant, eorumque levitatem coarguit, quibus cum objiciatur species quaedam veritatis, eam sic tenent, ut nihil amplius inquirant. Atque hoc vitium tum commune erat omnium ferme philosophorum. Itaque cum nunquam ipse conquiesceret in separando vero a falso, & in confirmando exquisitis experimentis & rationibus omni eo, quod se invenisse putabatur, si id sibi assumebat, viam, quae ducit ad veritatem, ceteris monstrasse, videbatur id suo jure quodammodo vindicare. Fontes quidem, unde tantarum rerum scientiam hausit, atque itinera ipsa ita putavit esse demonstranda in commentario de rebus suis, ut qui hunc legit non multum desideret lectionem operum illius; quin immo ut studiis eorum satisfaceret, qui quae videbantur aut obscura, aut dubia & controversa illustrari & confirmari postulaverant, plurima in hanc rem contulit, quae frustra in operibus ejusdem quaesiveris. Quod commentarium cum ad regiam Londinensem Academiam mitteret, ipsum inter cetera scripsisse narratur: *non expectate a me, eruditissimi homines, ornatam orationem, cui nunquam studui; ipsaque illa, quae in commentarium meum retuli, sunt ejusmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, sed ab ipsa sumpta natura, duce & magistra experientia; quae si vobis non probabuntur, vestram iniquitatem accusatote, qui ex me ea quaesieritis, quae ego nescirem; meam facilitatem laudatote, cum vobis non meo judicio, sed vestro studio inductus non gravate satisfeci*. Non satis vero dici potest quantis existimationis significationibus hujusmodi mu-

Digitized by Google

nera a doctissimorum hominum coetu acciperentur, qui quidem una voce de Malpighii doctrina in omni re anatomica & naturali sic praedicabant, quasi is artis suae antistes esset, & philosophorum Homerus. Ad quam promerendam laudem id praesertim conduxisse arbitror, quod ejus industria minime in plura studia esset distracta, & quod easdem res contemplandi nunquam diligentiam & patientiam amiserit. Satis de Malpighii studiis me dixisse arbitrabor, cum illud addidero, vel in maximis occupationibus ipsum nunquam intermisisse medicam operam, quod munus se Reipublicae in primis debere putabat. Quando in suburbanum rus concedebat, ut ibi liberius rerum naturalium inquisitioni vacaret, assidui ad eum fiebant hominum consilia de rebus medicis exquirentium concursus, & a principibus viris, quorum salus in discrimine versaretur, eamdem ob caussam accersebatur saepissime. Sunt in manibus hominum plurima, quae exaravit, consilia (sic enim appellant) ex quibus intelligi potest, quam prudens, quam cautus, quam saepe etiam felix fuerit in arte omnium maxime periculosa & incerta exercenda. Ea propter sic vivebat Bononiae Malpighius, ut in eum omnium oculi conjecti essent, & nihil ei deesse videretur neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendam. Sed placuit Innocentio XII., ut in clariori luce tanta virtus versaretur. Nam cum ad Pontificatum Maximum evectus esset, statim ad se advocavit Malpighium, cui valetudinis suae curam committeret. Vixerat cum eo familiariter quando Legatus Bononiensem Provinciam gubernavit; praeter quam quod nemo ignorat Pontificem illum, licet ei nec velox esset ingenium, nec multis subactum disciplinis, litteras tamen in aliis adeo amasse, ut quos ipsarum compotes reputavit, cunctos honoribus ac liberalitate sit prosecutus. Malpighio Romae viventi & ob singularem doctrinae opinionem & ob Pontificis gratiam favebatur quidem ab omnibus; & cum in gravioribus morbis ab omnibus ferme consuleretur, vix tempora subcisiva incurrebant, quae iis rebus, quas persequimur meditatione, concederet. Arcadicis tamen conventibus recens institutis identidem intererat, quod magnam ex poesi

voluptatem caperet, quodque plures tum essent poetae, qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se ferrent, audiebantur, legebantur atque ediscebantur, penitusque inhaerebant in mentibus. In eorum Academiam ipse quoque legi voluit, Theonis Philacii nomine adscito. Atqui non laudibus modo, sed & liberalitate acuit nonnullorum industriam, cum consuetudine beneficentiae paratus esset, & tanquam exercitatus ad bene de multis promerendum. Quid vita Malpighii non habebat commodi, quid non honoris? Non tamen christianus homo commotus est, cum aetatis peractionem, tanquam fabulae, adesse sensit. Annus erat 1694. quando macie sensim deformari, & respirationis difficultate, aliisque valetudinis incommodis laborare coepit: quae cum graviora quotidie magis fierent, demum IX. Kal. Quintil. apoplexi ille correptus est. Habuit morbus a salutari arte levamenta, non illa tamen, quae virium & memoriae usum, qua praecipue praestiterat, aegro redderent. Itaque cum vitae exitum ille sentiret, nihil antiquius habuit, quam ut scripta sua colligeret, ordinaretque, quae ad Bonfiliolium misit, illum etiam atque etiam rogans, ut eorum impressioni praeesset: si minus id posset, alicui saltem ex discipulis suis id negotii daret. Hanc rem egit Bonfiliolius cum Sociis Britannicae Academiae, quos ita in Malpighium animatos esse intelligebat, ut ad eorum mentes flectendas oratione minime indigeret. Convertit ille quaedam ex Italico in Latinum, quibus locus datus est inter opera posthuma. Extitit etiam Ludovicus Donellius, qui Malpighii opusculum adversus Galenistarum triumphum Latinum fecit. Ceterum illa ipsa Academia, quae gloriam Malpighii sibi cum eo esse communem arbitrabatur, summa diligentia mandatum perfecit; & cum ad Bonfiliolium litteras daret, significavit illi, se ex omnibus maxime Malpighii mortem doluisse; dolere etiam, quod eo frui sibi non licuit, & beatissimos se putare, apud quos ille diutissime commoratus est. Decessit autem Malpighius III. Kal. Octob. 1694. in Aedibus Quirinalibus, cum iterum apoplexi perculsus fuisset; quod quidem illi minime improvisum inopinatumque accidit. Nam cum totus esset in

Digitized by Google

christianae religionis officiis obeundis, dicere solebat se praestolari mortem, cum in vita nihil inesset nisi propagatio miserrimi temporis. Defuncti corpus balsamo obliniendi caussa dissectum (jusserat enim illud adsportari Bononiam ac sepeliri in S. Gregorii) mortis caussam liquido ostendit. Siquidem in laevo cerebri ventriculo binae transfusi sanguinis unciae, in dextero autem magna lenti humoris copia, & haec flavi coloris inventa est. Qua de re extat Baglivii scriptum, qui lacrimans extrema persolvit amantissimo praeceptori officia. Statura fuit modica, pleno gravitatis adspectu, colore inter rubrum & aquilum, curvis humeris. Valetudine usus est tenui: nam adolescens & renum dolore vexatus, & stomacho graviter laboravit; senex vero cordis palpitationibus, capitisque vertiginibus fuit obnoxius. Uxorem habuit Franciscam Massariam magistri sui sororem, magna prudentia & castimonia feminam, cum qua vixit conjunctissime. Cum ex ea nullos suscepisset liberos, heredem instituit fratrem natu minorem, aliosque cum fratris ejusdem, tum sororum filios. Rei familiaris ad paucos, sapientiae ad multos venit hereditas. Nam ex ejus schola multi prodierunt discipuli, per quos ad nos usque, quasi per manus tradita, recta philosophandi ratio tum in medicina, tum in anatome, tum in historia naturali pervenit. Glorians ajebat Morgagnius se nepotem esse Malpighii, qua re innuere volebat, se rei anatomicae, qua tantopere floruit, doctrinam accepisse a Valsalva, qui totum illud, quod de physicis sciebat, Malpighio referebat acceptum. Pro quibus meritis Bononienses non solum vivo, sed etiam mortuo singulares honores decreverunt. Posita enim est ei statua, cusum numisma, aliisque monumentis hominis sane immortalitate dignissimi consecrata memoria.

Qui cum Malpighio an. 1656. venerat ad Academiam Joannes Bonomius Venetus, anno serius, hoc est an. 1660. ab ea discessit, quanquam ejus stipendium Gymnasticum CCCL. esset centussium, locumque primum inter ordinarios theoricae medicinae magistros teneret. De hoc, ut & de Apollonio Apollono, qui ex Venetorum quo-

Digitized by Google

que ditione (Pirani enim natus erat) Pisas accitus fuit, liceret mihi fingere si quid vellem, nullius memoria jam refellente; sed edo haec iis cognoscenda, qui sciunt eum tum fuisse medicinae statum, ut perpauci Arabum Barbarorumque disciplinam desererent. Et quanquam maximi habiti fuerint honores medicis quibusdam, qui ex Britannia ad nos venerunt, deque eorum ingenii magnitudine suspicari liceat, nil tamen egisse videntur, ut medicina illam salubritatem Hippocraticae observationis, quasi sanitatem recuperaret. Ex illorum numero fuit quidem Thomas Forbesius Scotus, qui postquam, ut diximus, philosophiae scholam rexerat, tenuit & illam medicinae per triennium: nam an. 1662. ad suos redire concupivit.

Eodem tempore utrique muneri satisfecit Lucas Terentius Ariminensis, qui & logicam ante docuerat. Totos quadraginta quatuor annos is operam tribuit utilissimam Academiae (mortem enim obivit Pisis IV. Kal. Maii an. 1697.) ex cujus tum aerario DXX. usque centusses exigebat. Multa erant in hoc homine bona, ingenium ad omnes pene res aptum, sermo Latinus & Etruscus, quae laus dicendi non mediocris ab medicis plerisque negligebatur (1), memoria pene incredibilis, naturalis atque insita veri inveniendi cupiditas, sic ut natus ad agendum semper aliquid viro dignum videretur. Quia quicumque erat

(1) *Cum de eo ad Principem referret an. 1672. Felix Marchettus Academiae Curator, ait.* Il Soggetto, che diede principio a leggere nel 1653. e che fin dall' an. 1669. Ordinario teorico di medicina ebbe lo stipendio di Sc. 320. & un annuo donativo di Sc. 100., oltre la molta abilità, che tiene nella sua professione, è egli non ordinariamente adornato nelle scienze migliori, onde si rende chiaro non meno per la dottrina filosofica e medica, che per l' eloquenza con che l' accompagna, che però il suo nome non solo è in stima nell' Università di Pisa, ma negli altri Studj e città forastiere.

erat, id totum se debere grate profitebatur Mediceis Principibus, consecravit iis multas Italicorum epigrammatum decades, nec in horum solum laudibus efferendis, sed etiam in victoriis Christianorum adversus Turcas celebrandis omnem suam artem & facultatem poeticam, quae sane haud mediocris erat (1), consumpsit. Quanquam laude digna putem carmina Terentii, non ignoro tamen omni ex parte nondum satis politum hunc dici poetam, & quaerendum esse aliquid perfectius. Sunt enim illa interdum rigidiora, neque prorsus carent saeculi vitiis, neque ullo modo cum Redii & Filicajae carminibus sunt comparanda. Quem porro currum, & quam lauream conferam cum laudatione, quam Cosmo III. paucis versibus tribuit Redius suo in Dithyrambo? Nihil sane hujusmodi habet Terentius, quanquam in hujus Principis factis & consiliis efferendis multum insudaverit. Mirum profecto videri debet, illis temporibus, quibus homines sequebantur perversum dicendi genus, vix ac ne vix quidem Etruscos nostros inquinatos hoc vitio fuisse, apud quos etsi unctior quaedam splendidiorque consuetudo scribendi coeperit esse in honore, sanitatem tamen semper illa retinuit. Haec si minus apta sermoni, quem institui, tibi videbuntur, patriae & veri amori assignabis. Sed ad medicos redeamus, inter quos maxime floruisse videtur Jo. Baptista Gornia, qui dicitur Bononiensis, quique originem ducebat ex oppidulo Bononiensis ditionis, cui nomen *S. Jo. in Persiceto*. Bononiae, duce Francisco Natalio, philosophiae operam dedit, dedit & humanioribus litteris in Gelatorum Academiam cooptatus. Ex ejus ad Franciscum Redium epi-

(1) Sonetti al Serenissimo Principe di Toscana: In Firenze 1687. nella Stamperia di Pietro Matini.

Canzoni varie di Luca Terenzi dedicate al Sig. Antonio Magliabechi: in Pisa 1703. nella Stamperia di Francesco Bindi. *Vide Crescimbenium* Commentar. intorno all'Istor. della Volgar Poesia Vol. I. lib. VI. p. 336.

stolis, in quibus narrat se de sanguinis transfusione pluribus disseruisse, intelligi potest cum hoc illi Romae apud Laurentum fuisse commune studium colendae medicinae, ceterarumque disciplinarum, quae illam juvare possunt; nec sane dubito, quin plurimum ipsius Redii testimonium valuerit ad illum Pisas vocandum cum mercede CL. centussium, quod accidit an. 1659. Etsi diligenter loquendi laude caruerit, non tamen admodum inquinate, ut ceteri fere medici omnes, loquebatur, & illa, quae sunt propria artis, quam profitebatur, ita tenebat, ut prorsus congruerent cum Hippocratica disciplina. Quare ejus nomen plurimum in Etruria celebrabatur, & medicus adfuit Cosmo Mediceo in itinere, quod hic per Europam habuit. Neque hoc sine maxima utilitate fuit. Multa enim se didicisse grate fassus est a Boylio, a Willisio aliisque doctissimis viris, quos frequentavit apud Batavos & Britannos degens. Porro si in Etruria manere voluisset nullus illi honos, nullum laborum praemium defuisset. Discedens & obtinuit testimonia doctrinae; discedendi autem caussa fuit non inconstantia, sed quietis & otii cupiditas, & aegra valetudo (1).

---

(1) Essendosi S. A. contentata di concedere al Dot. Gio. Batista Gornia di Bologna benigna licenza dal medesimo desiderata per non potere, stante le proprie contumaci indisposizioni, continuare a render all' A. S. & allo Studio di Pisa quel servizio, che ha prestato gloriosamente per molti anni, e che anche è stato gradito dall' A. S. la quale pertanto comanda, che non solo se li paghino interamente li suoi annui stipendj sino a tutto Ottobre 1679., benchè non abbia attualmente servito o in Firenze o in Pisa, ma che in avvenire da principio di Novembre 1679. ogni anno, una volta prima che termini lo Studio, dallo stesso Provveditore, sino a che viverà detto Dottore Gio. Batista Gornia, siano fatti sborsare o a lui, o a suo mandatario Scudi 100. a titolo di pensione, di così essendo la volontà di S. A. S.

Benedetto Quaratesi
14. Marzo 1679. ab Incar.

Neque post multo postr. Non. Decembris an. 1684. Bononiae vitam amisit, cum complesset nondum LI. aetatis annum.

Qui saepe locum in Academia nostra petierat Augustinus *Campo di Gallo* Vicetinus, tandem consecutus est an. 1662. & in eo per quadriennium mansit. Mediocris doctrinae homo fuisse videtur; omni vero laude caruit Franciscus *del Bono* Pisanus, abundavit autem Carolus Fracassatius, de quo superiori in capite diximus, cuique contigit, ut una cum Antonio Oliva Regiano eodem anno 1663. eodemque stipendio CCC. centussium ad ordinariam medicinae cathedram evocaretur. Profecto natura quid in Oliva efficere posset videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in ingenii bonis, vel in vitiis. Plures tenebat disciplinas, ac praesertim physicas, non hospes erat in mathematicis, nec ignorasse videtur theologiam, cum Theologi munus apud Cardinalem Franciscum Barberinium sustinuisset. Ab ea quidem minime didicit mores moderari suos. Tanta enim intemperantia, tantaque pravitate mentis fuisse dicitur, ut Romam deserere, ad suosque redire coactus fuerit. Neque hic homo turbulentus quievit, cum partes secutus fuisset Gallorum, qui Hispanos Neapolitani Regni possessione privare conabantur. Ille demum desperans rebus suis confugit ad Ferdinandum II. Mediceum, quem sciebat esse studiosissimum omnium, qui ingenio & doctrina praestabant. Addictus, ut diximus, Academiae nostrae in ingressu muneris eam dixit orationem, in qua non sumpserat modo multa, sed totam ferme surripuerat a Mureto, qua de re cum admonitus fuisset a Petro Andrea Forzonio Accolto, respondit: id se ea de caussa fecisse, quod desperabat se posse melius aliquid perficere. Nihilo tamen minus famam existimationemque Pisis collegit, & multum illius ingenio doctrinaeque tribuebant tum Ferdinandus Magnus Dux, tum frater illius Leopoldus, quibuscum saepe familiares sermones conferebat. In ipsa aula eumdem, cum Florentiae erat, habitasse, & ad multam noctem vigilasse in erudiendo Principe, qui nunquam intermittebat studia doctrinae, occupatum, te-

Digitized by Google

atis est ejus discipulus Vincentius Ambra Florentinus (1). Eodem tempore multam navabat operam Academiae Leopoldinae, in qua plurima sagaciter odoratus est Oliva, ut omnes mirarentur incredibilem quamdam, & divinam vim ingenii (2). Sed saepe cum ceteris Academicis ei rixae fuerunt; nam ejus doctrina imitabatur ejusdem mores, in quibus nihil erat moderatum & mite, sed omnia aspera, dura & ad dicendi licentiam libera. Odium vel in se concitavit Francisci Redii mitissimi sane ingenii hominis, quam tamen offensionem magis ab hujus ζηλοτυπία, quam ab injuria illius natam fuisse nonnulli affirmarunt. Uterque enim de oleis scribendum susceperat, uterque gloriam & honores appetebat. Sed quantum consilio, quantum prudentia, quantum dicendi gravitate & copia superior esset Redius Olivae facile omnes cognoverant, neque sane dubito, quin hoc idem intelligerent Principes illi, quibus perplacere studebant. Quod autem ad illud opus de oleis spectat, quo facilius Oliva probaret Leopoldo Principi, a quo ad hujusmodi scriptionis genus excitatus fuit, se pos-

(1) Nell' estate dell' an. 1665. abitava l' Uliva nel Palazzo de' Pitti, dove il Serenissimo Ferd. II. gli aveva concesso alcune stanze corrispondenti per la scala a chiocciola, che scende nel piccolo cortiletto per la parte di Boboli. L'Uliva andava a leggere a Pisa regolarmente sol quando vi si portava la corte, ed essendo obbligato a passare molt' ore di notte in camera del G. Duca, il quale sin tanto che non si era coricato nel letto, non era solito di licenziarlo, per non defraudare il suo corpo di un moderato riposo, non poteva levarsi se non poco avanti all' ora di mezzogiorno, e gli scolari, tra' i quali il Bellini, lo stavano attendendo a terreno, e così egli non ancora affatto svegliato, nè del tutto vestito, scendendo abbasso, dettava senz'ordine, e senza metodo varie lezioni sopra varie materie, tutte però ripiene di una profondissima scienza delle cose naturali.

(2) *Cum Redius scriberet ad Carolum Datium litteris datis an. 1660. ait*: Il Sig. Antonio Oliva è più bizzarro che mai, e più virtuoso che mai.

se, quod volebat, conficere, ex physica, ex chemia, ex medicina multa assumpsit, quae ad illorum naturam explicandam opportuna esse putavit. Quaesivit in quibus omnia convenirent, & in quibus inter se differrent, & ut facilius sententiarum suarum rationem redderet, subsidinm sibi comparavit ab homine, qui dicendi scribendique magister & artifex putabatur. Quanquam eo pervenisse videretur, ut propediem opus ipsum esset vulgaturus, hanc rem tamen minime praestitit, fuitque tam inurbanus, ut eo gravaretur, quod patronos suos beneficentissimos magnopere cupere senserat. Porro si ulla res erat, quae illorum animos conciliaret, haec erat naturae investigatio, & nemo ad aulam accedebat, qui in ea se exercuisset, cui singulares honores & praemia minime tribuerentur. Ex his Joannes Finkius, cum gloriaretur se nova quaedam de salibus detexisse, rationemque exposuisset extrahendi illos ex herbis, omnes quidem illius industriam laudarunt, sed praeconia quoque tribuerunt Olivae, quod haec omnia multorum oculis antea subjecisset; cujus rei testem habemus Carolum Fracassatium (1) qui & illud addidit, *Polypeiriam ac robustam Encyclopaediam Etruscae aulae gratissimum Olivam fecisse*. Laudantur a Borellio, quae idem de gravitate aeris in vase contenti commensuranda excogitavit (2); mentionem factam vidimus de iis, quae ad aquarum naturam explicandam diuturno studio collegit (3); & de fluidis pene omnibus corporibus docte adeo scripsisse fertur, ut ab hujusmodi scriptione retraxerit Vincentium Vivianium. Ad haec saepe commemorantur a scriptoribus ephemeridum Academiae Leopoldinae, quae acute sane proposuit Oliva ad naturae patefacienda myste-

(1) Exercitatio epistolica de lingua.

(2) De motion. nat. a gravitate pendent. p. 244.

(3) *Hujus operis tabulam synopticam vide apud Targionium*: Notizie degli Aggrandimenti delle Scienze Fisiche accaduti in Toscana Tom. II. Part. II. pag. 698.

Digitized by Google

ria, ex quibus omnibus colligere licet ipsum, quamdiu in Etruria fuit, nil aliud egisse, nisi ut novis inventis, novisque observationibus physicam ornaret. Cogimur autem testes quaerere ejus ingenii & doctrinae, quod nihil per se ipsum vulgaverit, quanquam ad multaa res illustres se applicaverit. Perite etiam loquebatur de iia, qui jura, qui leges, qui civitates constituerunt, neque omnino ars erat ulla, quam ipse ingenii vi consequi non posse videretur. Sed ii ipsi, qui ingenium illius admirabantur, temperatos moderatosque mores ab eodem desiderabant. Verbis graviter offendit Molaram comitem, cujua magna erat in Etruria auctoritas, & quem nemo unquam impune laeserat. Itaque ab hoc timere coepit, quem fortasse augebat timorem malae mentis conscientia. Hac de caussa credo consilium cepit deserendae Etruriae (1) eodem ferme tempore, quo ab illa discesserunt Borellius & Renaldinius, quam ob rem Leopoldina Academia magnum detrimentum fecit. Romam accessit, Pontificatum maximum gerente Clemente IX. cujus fratris filium Thomam suum fecerat, dum hic Pisis studiorum caussa commorabatur. Per hunc ductus ad Pontificem statim habuit bonam apem de obtinendo sacerdotio aliquo, quod satis esset ad vitam sustentandam, & donum etiam liberale pecuniae accepit, cum Pontificem ipsum ophthalmia nescio quo remedio libe-

---

(1) *Antonius Franc. Marmius haec de Oliva memoriae mandavit*. Il Dot. Antonio Oliva di Reggio di Calabria (come mi fu detto dal Dot. Pier Andrea Forzoni Accolti) si licenziò dalla Corte di Toscana; poichè trovandosi in Pisa col Borelli, dove la G. Duchessa faceva in palazzo non so qual festino di ballo, non furono da quei Tedeschi, forse cotti dal vino, lasciati non solo entrare, ma precipitosamente respinti indietro .... Si partì l'Oliva sì per questo motivo, che per altri sospetti, forse vani, ch'egli ebbe, che gli fosse tramata la vita o dal Redi, o come altri meglio intesi vogliono dal Conte Annibale della Molara per contese letterarie, che aveva avuto con costui, che gli perdè, nel calore del discorso, il rispetto. *Alii alia narrarunt. Id unum certum habeo, fuisse Olivam suspectum atque invisum Victoriae Roboreae Ferdinandi II. uxori.*

Digitized by Google

rasset. Non adeo felix fuit in curatione, quam adhibuit Thomae patrono suo benevolentissimo: nam ei mortem antimonio intulisse putatur. Magnam quoque gratiam iniit ab Columna Comite Stabuli, a quo multis in rebus adhibitus fuit, & vel in iis dissidiis, quae hic habuit acerbissima cum uxore Maria Mancinia, per Olivae artes, & fallacias obtinuit, ut ipsa ex Italia in Belgium iret, ubi ex rheda in custodiam tradita fuit. Tum indignanter illa dixisse fertur, se fuisse stultissimam, quod homini Calabro fidem praestitisset suam, & libertatem commisisset (1). Ipse societatem quoque habuit cum Gabriellio Praesule, qui cum in suspicionem venisset moliri mala occulte catholicae religioni, in vincula cum aliis, quos domi suae congregare consueverat, conjectus est. Id ut audivit Oliva, qui tum Marinum (hoc oppido nomen, quod est in Columnensium ditione) gubernabat, non dubitavit in conspectum venire Quaesitorum Fidei, sperans hos in suis dictis, suoque in ore ac vultu acquieturos. Sed ipse quoque in carcerem trahitur, ex qua cum duceretur ad judices, convictus fortasse conscientia scelerum suorum, repente se ex fenestra projecit, ex quo casu tres post horas obiit, quod accidit Pontificatum Maximum gerente Innocentio XII. Pluribus haec narrantur in libro, qui inscribitur: *les aventures de Pignatta*, edito Amstelodami an. 1725. Fuit enim Pignatta unus ex iis, quibuscum Gabriellius se congregabat, quosque, ut culpae, sic poenae comites habuit.

Petrus Bocciantinius, de quo alibi diximus, una cum Francisco Ferrario Genuensi medicinam docuit, his autem successit Petrus Laurentius Orsacchius Emporiensis qui motus Academia fuit an. 1672. postquam per XII. annos tum logicam, tum medicinam explicans

(1) *Hujus narrationis fides sit penes Auctorem libelli, qui inscribitur.* Les illustres Avanturieres dans le Cours des Princes d'Italie, de France, d'Espagne & d'Angleterre: Cologne chez Pierre du Marteau 1706. in 12.

operam illi tribuerat. Ferrarius obstinate ſequebatur quae Galenici docuerant; contra ea Orsacchius facile & libenter ſententiam commutabat, ſi quid veri illi objiciebatur, ſolitus dicere turpe eſſe non parum cognoſse, ſed in parum cognito ſtulte & diu perſeveraſſe, quod alterum communi hominum infirmitati, alterum ſingulari uniuscujusque vitio eſſet tribuendum. Magis etiam prudentia, ſeu calliditas, quae ratione quadam delectum habet bonorum, & mala vitat, ſine qua nulla eſt medicina, eminebat in Jo. Pagnio, qui Piſis honeſtiſſimo genere ortum habuerat exeunte an. 1634. ibique liberaliſſime educatus fuerat. Adoleſcens plurimum operae tribuit humanioribus litteris, tantum autem profecit in medicina, ut cum rogatu Tuneti reguli a Ferdinando II. illuc mittendus eſſet medicus ad eumdem gravi morbo oppreſſum curandum, Pagnius ad hoc munus delectus fuerit. Totum fere annum 1666. in hoc conſumpſit itinere; rediens autem in patriam eodem illo anno extraordinarius medicinae theoricae magiſter declaratus eſt. Miror autem homini, qui ſedulo & proſpere egit quod illi mandatum fuerat, qui ex illis regionibus multa miſerat Florentiam tum ad hiſtoriam naturalem, tum ad antiquitatis ſtudia pertinentia, quae Redii & Octavii Falconerii exercuerunt induſtriam (1), qui omnium, cum quibus verſatus fuerat (erat enim humaniſſimis moribus & multis doctrinis & artibus inſtructus) benevolentiam & praeconia collegerat, tenuiſſimum LXX. centuſſium ſtipendium aſſignatum fuiſſe. Adde, quod in medicina & docenda & facienda par cuique eſſe poterat, & ſuas inſtitutiones medicas ita contexuerat, ut coactis in unum locum illuſtriorum medicorum & ſententiis, & obſervationibus, quod quisque commodiſſime praecipere vide-

(1) *Vid. illius*, Esperienze intorno agl' insetti, *hujus autem*, Inscriptiones Athleticas.

debatur excerpserit, & ex variis ingeniis excellentissima quaeque libaverit. Nec minus studiosus erat monumentorum antiquitatis, & plures memoriae prodiderunt (1) sic ab eo explicata fuisse cenotaphia, quae veteres Pisani memoriae dedicarunt Lucii & Caii Augustorum, ut nihil accuratius & eruditius fieri potuerit. Fortasse hac in re opus Norisii magis probatur ob copiam doctrinae, sed hunc certe antevertit Pagnius, & quaedam rectius divinavit & vidit, ut mirum omnibus videri debeat ne mentionem quidem factam a Norisio fuisse hujusce interpretationis. Diu haec latuit Pisis: nunc autem extat Florentiae in Magliabechiana Bibliotheca, sicuti plures extant in tabulario Mediceo Pagnii epistolae Tuneto aliisque ex locis missae tum ad Franciscum Redium, tum ad Franciscum Cecinium Leopoldi Medicei ab epistolis, ex quibus apparet multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo & cogitatione, multa etiam legendo percurrisse Pagnium, ut artem medicam jucunda quadam varietate, & dictionis etiam elegantia ornaret. Atque hic tantus vir cum in flore adhuc esset aetatis, & nihil non ab eo sperarent cives sui, & Academia nostra, de quorum honore dies noctesque cogitabat, naturae debitum reddidit an. 1676. atque in S. Catharinae aede sepulcrum habuit (2).

(1) *Antonius Cocchius*: Trattato de' bagni di Pisa p. 3. *Jo. Targionius*: Relazioni di alcuni viaggi &c. Tom. IX. p. 182. *Ant. Felix Matthejus* Memorie istoriche di più uomini illustri Pisani Tom. III. p. 347.

(2) Jer sera il Dot. Pagni terminò la sua lunga a penosa malattia con un religioso e santo fine, a con aver prudentemente disposto della sua volontà. E' sommamente doluto a tutta la città, nella quale in vero era conosciuto e stimato de' migliori soggetti nella sua professione. Et a sua lode è dover che si sappia, che non ostante l' indisposizione, ha dall' apertura dello Studio fino a tutto Venerdì dato ogni giorno lezione a alquanti

Per illa tempora, quibus Pagnius medicinam docuit, collegas habuit Franciscum Verzanium Bargaeum, Didacum Zarillium Messanensem & Jo. Andream Moneliam. Verzanio frater erat Nicolaus, quem supra laudavimus, eique par esse poterat praestantia doctrinae, fama & diligentia in exequendis iis, quae sui muneris erat (1). Coepit is philosophiam docere an. 1667. quinquennio autem post ad medicinae cathedram transitum fecit, atque in ea mansit ad annum usque 1703. quo e vivis Septembri mense excessit. Biennio serius ad Academiam venerat Zarillius, idque factum commendatione Borellii, qui affirmavit summa esse in illo, quae ab ingenio proficiscuntur, & quae disciplina comparantur. Is quoque philosophiam docuit, postmodum medicinam ad annum usque 1706. Nam hoc ipso anno prid. Kal. Sextiles Pisis mortem obivit. Ingenio quidem nescio an habuisset parem neminem, neque ei deerat elegans quoddam & eruditum orationis genus, & cum esset peracutus ad excogitandum, videbatur posse in primis consistere. Sed paullatim negligentia & voluptas ejus corrupit animum, qua de caussa a Praefectis Academiae severiter reprehensus fuit. Tum nonnihil emergere e coeno visus est, postea autem se ipsum magis magisque emendavit, & quantum satis esset sui famae & discipulorum utilitati servivit (2). Contentionum, ut sunt Siculi

Scolari. *Ex litteris datis Pisis ab Antonio Francisco Balatrio ad Academiae Curatorem VII. Kal. Decemb.* 1676.

(1) *De eo cum referret ad Principem an.* 1693. *Academiae Curator, ipsum appellat* uomo accreditatissimo e valentissimo medico, e a niuno inferiore in diligenza.

(2) *Cum de eo an.* 1672. *mentionem faceret Academie Curator, ait* che fu condotto l' anno 1669. con 250. Scudi, 200. di stipendio e 50. di donativo, somma che di rado o mai fu data alle cattedre di filosofia estraordinaria, e massime a un principiante, e che i buoni semi di virtù furono da lui talmente trascurati, che l'anno scorso fu severamente ripreso,

fere omnes, cupidissimus cum Stephano de Angelis, & cum Luca Albitio disputavit, cum illo de motu diurno terrae, cum hoc de aeris in sanguinem transitu, qua de re in Bellinii vita pauca tetigimus.

His temporibus nihil notius in Etruria fuit Jo. Andrea Monelia non ob praestantiam doctrinae, sed ob gratiam, qua is mirum in modum pollebat apud Cosmum III. quaque saepe abutebatur ad obterendas aliorum, ac praesertim litteratorum laudes. Natus Is est Florentiae XI. Kal. Apriles an. 1625. patre Joanne Sergianensi, matre autem Pasquina Angela Massatia. Studia medicinae tum in illa urbe, tum Pisis coluit, sicque illi favit fortuna, ut cum explesset nondum XXX. aetatis annum, illo medico uteretur Jo. Carolus Mediceus Cardinalis. Curavit etiam valetudinem Victoriae Roboreae, quae fuerat Ferdinandi II. uxor, ac postremo Cosmi ipsius, postquam e vita decesserat Franciscus Redius. Academiae autem nostrae addictus fuit an. 1667., & quatuordecim post annos honoratissimum in ea locum obtinuit, cum praefuisset cathedrae *de morbis mulierum*, quae prima putabatur, quamque antea tenuerant Oliva & Gornia, posteaque tenuere Joseph de Papa & Nicolaus Gualterius. Honori respondebat stipendium, quod fuit DC. usque centussium. Omnia illi abunde erant praeter scientiam, & voluntatem bene de Academia merendi. Vix pedem in illa ponebat, cum veniebat Pisas aulae sectator (1), & mala il-

perchè lasciasse i divertimenti e attendesse più allo studio. *An. 1683. de eo dictum est*, che da qualch' anno era più applicato alle convenienze degli scolari e dello studio, *& anno 1686.*, che si portava con grande applicazione e credito, e che esercitava la medicina per la città con applauso.

(1) *Cum scriberet ad Magliabechium Capassius III. Id. Januarii 1686. ait*. E' venuto in Pisa il Moniglia colla Serenissima, e credendo di poter rubare la provvisione, comparve in pubblico con una velata di velluto, e colla

lum ambitio sic torquebat, ut libenter de illis detraheret, de quibus praedicari audiebat. Quanto constantior idem in vitiis, tanto levior in doctrina esse putabatur, neque ad famam colligendam illi profuerunt medica, quae edidit scripta, quamvis extiterint, qui suis illum copiis adjuverint, & quas cum Ramazzinio, aliisque illustrioribus Italicis medicis habuit, controversiae (1). Nomen & quaesivit a poesi, & satis feliciter, si tempora spectes, dramata plura confecit, quae semel iterumque tribus comprehensa voluminibus edita Florentiae fuerunt. Laudarunt illa Horatius Oricellarius, Alexander Segnius, Marius Crescimbenius, & Petrus Jacobus Martellius, qui hoc etiam Poetae laudi dat, quod primus Italos suos docuerit Graecorum praecepta ad

---

spada al fianco. Veduta questa comparsa i Dottori s'accorsero, ch'ei non aveva animo di leggere, ma Monsig. Sergrifi gl'intimò di depor l'arme e di pigliar le lettere. Disse che non leggeva per non aver toga: ma Monsig. gli rispose che in Pisa non mancavano toghe, che però in tutti i modi leggesse. Lesse e trattò *de unicitate uteri & de notis virginitatis*.

(1) *Vide Ramazzinii opera, & quae ejus vitae scriptor de his controversiis narravit. Edidit autem Florentiae an. 1666. epistolam* De viribus arcani aurei antipodagrici, *& an. 1684. primum, mox autem* 1700. *cum illi crevisset materies, librum* de aquae usu medico in febribus. *Sunt qui affirmant opus istud, quo plurimum commendatur aquae, praetertim frigidae, usus ad multos sanandos morbos, a Luca Terentio, quem domi aliquando aluit Monelia, compositum fuisse. Erant etiam qui exclamabant se ab eo nullo modo curari velle, quo curante omnes suos perdidisset. Noti sunt enim versus illi:*

Se state al tavolin, fate commedie,
Se medicate poi le son tragedie.

Fertur plura reliquisse inedita scripta, de quibus vide Targionium Tom. III. p. 164. degli Aggrandimenti ec. & Notizie Istoriche degli Arcadi morti Tom. III. p. 297.

hoc scriptionis genus transferre. Exagitatus autem fuit a Benedicto Menzinio, cui nil tam cordi fuisse videtur, quam Curculionis nomen, mores, & facta in odium vocare, & ab Antonio Magliabechio & Joanne Cinellio, qui petulantia cum ipso contendere potuissent. Verum cum hanc vim haberet Monelia, ut si digitis concrepuisset, multi statim adessent ejus cupiditatum ministri & satellites, inventus est Bartolinius Pargaeus Cisterciensis Monachus, qui sua stultitia illius voluntati obsecundaret, edito scripto quodam, quo nihil injuriosius & contumeliosius in Magliabechium fieri potuit. Ea propter huic negari minime potuit, quin illud carnificis manu publice cremaretur. Nihil tamen inde accepit vel incommodi, vel molestiae Monelia, qui prosperitate perpetua usus est, ut propterea multi illum, fortunae filium appellarent. Uxorem duxit Octaviam Morandiam honestissima familia Asoli ortam, ex qua Nicolaum Mariam filium, medicum & ipsum suscepit, de quo pauca supra tetigimus. Is mortem patris non vidit, cum obiisset an. 1691. (r), hic autem novennio post, Septembri mense apoplexi correptus, sepulcrumque habuit sine monumento in Aede Sanctae Trinitati sacra.

Jam si quaeris medicum & scribendi elegantia politissimum, & multa & varia doctrina excultum, & prudentia bonitateque morum praestantem, quae omnia ab hujus artis magistris requirere videbatur Hippocrates, is est profecto Joseph de Papa, qui Pagnio successit, postquam per sexennium logicam & physicam docuerat, ac postremo partes Moneliae suscepit in tradendis iis, quae ad morbos mulierum pertinent. Is natus est Emporii an. 1648. Kal. Martias patre Marco Ludovici F. matre Elisabetha Cancra, Pisis autem ita institutus ab

---

(r) *Praetermisimus supra commemorare Nicolaum an. 1675. opusculum emisisse, quod nuncupavit Ferranti Capponio, atque inscripsit:* Quaestio de rerum naturalium principiis.

Alexandro Marchetto, a Laurentio Bellinio, ceterisque, qui in philosophia, medicina & mathesi principatum tenebant, ut non liberalius potuerit. Temporibus vero illis, quibus, cluso Lyceo, mos est feriari a studiis, Florentiae exercebatur in praxi medica, Redio, ac Savona ducibus, & magistris. Qua consuetudine factum est, ut Redius captus adolescentis humanitate & doctrina ei, quem non secus ac filium diligebat, omne studium, omnemque operam detulerit, annoque 1671. munus publice tradendi logicam impetrarit. Ubi de eo genere studiorum orationem initio habuit, & aggressus est acroases recitare, inque circulos venire, statim cognitum est, quam singulari doctrina & eruditione praeditus esset. Cui cum accederet suavitas quaedam sermonum & morum, mirifice ab omnibus diligebatur. Hoc tempore cum praeclarum Galileii opus, cui est titulus, *il Saggiatore*, legisset, ac animum advertisset ad ea, quae de exterminandis qualitatibus Peripateticorum habet, easdem qualitates, quas principes proprietates quatuor elemenrorum ii philosophi esse pugnant, insequi coepit, Italice edita Florentiae an. 1672. epistola de natura caloris & frigoris ad Franciscum Redium. Hoc autem sensit: ex igne, & ex ceteris, quae ardent, corporibus pene innumerabilia minutissima & subtilissima corpuscula continenter erumpere, & quam celerrime volitare: haec obvias res, in quarum occultos poros nisu impetuque suo pervadunt, pulsare, movere, agitare, texturam laxare, nonnullasque ex iis particulas auferre: quare aquam & fluida omnia ebullire, ligna inflammari, liquefieri metalla, ceram & hujusmodi alia; inde repetendam esse efficientem caloris caussam, cum nihil aliud sit calor, nisi affectio quaedam sensuum, quae ortum ex iis corpusculis habeat, ubi in poros carnium pervadunt, agitantque fibrillas & nervulos; itaque calorem esse rem, seu materiam, quae praesertim in igne, sole, stellis existit, secus vero frigus: hoc enim nihil aliud esse, nisi variam caloris privationem, atque ex accessu & recessu corpusculorum igneorum sensus affici majore minoreque calore, aut frigore, quae a Borellio se didicisse scribit. Hoc libro nihil tum esse potuit jucundius rerum physi-

carum studiosis, perque eum altiorem in Academia gradum conscendit Josephus, factus philosophiae magister. Tunc opusculum breve quidem, sed luculentum Italice confecit de luce & igne, ut eximeret quibusdam hominibus injectos scrupulos ac dubitationes, veri ne esset similis sententia abs se contra Nicolaum Cabeum Jesuitam in superiore libro tradita: idem scilicet & unum esse ignem & lucem. At vigebat iis temporibus Peripateticorum contra sentientium schola; quorum dissensio, eo vulgato an. 1675. Florentiae opusculo, majorem in modum crevit. Nam Jo. Maria Baldigianius Jesuita ea in urbe contra Josephi sententiam argumenta colligere, perque domos nobilium ac potentium virorum, apud quos propter doctrinae & religionis famam plurimum valebat, in medium proferre. Huic Josephus accurate & copiose respondit, & objecta sic diluit, ut Baldigianius vehementer Redium rogarit, ne ejusmodi responsa typis traderentur. At Redius, etsi ei morem gesserit, discipuli tamen sui prudentiam & moderationem animi, quam in scribendo adhibuerat, suspiciens, collaudatoque palam magno ejus ingenio, mittere libellum Romam ad litteratos nescio quos amicos suos constituit, ut, qui vir Josephus esset, intelligerent. Sed is Redii consilio obstitit; ratus futurum, ut quae refellendi Baldigianii caussa scripserat, ad aliud, quod meditabatur, opus conficiendum sibi ex usu esse possent. Tulit hic interea uberes doctrinae fructus, cum praeceptor geometriae datus fuisset Carolo Mariae Mediceo Cosmi III. fratri, qui postea Cardinalis est factus, cuique ante alios fuit carissimus, neque ita multo post Annae ipsius Cosmi filiae, quae notitiam aliquam rerum physicarum habere concupierat. Magis etiam aulae addictus fuit, cum primum Francisci Mariae, postea Cosmi, ac postremo Jo. Gastonis Archiater renuntiatus fuisset. Neque vero secunda fortuna elatus se se quieti, aut remissioni dedidit. Nam, quantum poterat, habere Pisis in Lyceo praelectiones perrexit, ac domi erudire adolescentes non philosophia solum & medicina, sed etiam geometria & astronomia, in quorum numero nobiles inter aequales fuerunt Petrus Paullus Sangallius, & Paschasius

Jannettius. Ac astronomiae quidem discipulum habuit Josephum Averanium, cumque extremo fere anno 1680. insignis cometa apparuisset, illius ortum, obitum, figuram, trajectiones atque motus omnes reliquos, nondum Pisis constituta specula, diligenter simul cum Alexandro Marchetto observavit, & disertissime de iis disseruit. At illud in primis esse sibi enitendum duxit, ut alteram contra qualitates Peripateticorum epistolam conscriberet. Hac Florentiae edita an. 1681. & Francisco Redio dicata, complexus est ea, quae ad humidi & sicci naturam explicandam pertinent, Democritum atomorum auctorem secutus. Docet corpore nos sentire humidum, cum aquae humor allapsus extrinsecus tangit cutem, illiusque minutissimae particulae pervadunt in poros carnis, percelluntque nervulos: tunc novo modo affici sensus, existereque humidum. Aquam enim natura esse maxime humidam, non autem aerem. Siccum vero natura elementum esse nullum, sed id esse siccum, quod est expers humidi. Quae sane opinio etsi plerisque philosophis fortasse ficta atque vana videretur, multis tamen rationibus, & experimentis sic confirmata fuit, ut miram quamdam discendi studiosis afferret delectationem. Initio autem epistolae argumenta illa suis objecta opinionibus a Jo. Francisco Vannio & a Daniele Bartolo Jesuitis graviter confutavit. Sed hujus loci non alienum videtur, qualis animus Vannii & Bartoli in Josephum fuerit, docere, quo facilius intelligi possit, idem omnium Jesuitarum in Academiam Pisanam fuisse ingenium. Vannius philosophiae praecepta Florentinae juventuti cum exponeret, publicas anno 1678. per discipulos suos habuit disputationes, quibus tradita a Galilejo, & a Josepho de natura caloris & frigoris acriter impugnabantur. Neque eo contentus librum his de rebus vulgavit, in quo nil nisi Scholasticum olebat. Bartolus vero in suo de glaciatis humoribus opere, nihil aliud curavit, nisi ut falsa esse ostenderet omnia, quae de iis Josephus ediderat. His contra se scriptis emissis, si tantum Josephum patientem & injurias ferentem dicam, minus quam debeam praedicem, cum ille potius prudentissimus & sapientissimus fuerit. Nam cum Vannii li-

liber non modo ceteris litteratis non probaretur, sed ne ipsi quidem Eschinardo Jesuitae (ut ejus oratio, quam Romae habuit in nescio qua Academia indicio fuit) Josephus silentio & judicio doctorum virorum parere sibi victoriam maluit, quam editis responsis molestiam adversario exhibere, & in periculum se se inferre perdendae tranquillitatis animi, cui summe studebat. Itaque non solum ea responsa pluribus & gravissimis rationibus fulta suppressit, sed etiam Vannium laudavit (nesciens quorsum ejusmodi laus evaderet) litteris ad eum scriptis comitatis, & obsequii plenis: cumque aestate, quae secuta est, Florentiam venisset, eumdem saepius invisit, devinctumque sibi hominem officio & observantia putavit. At ille post non multo in secunda disputatione adeo magnifice eas litteras explicavit, ut mutasse Josephus sententiam, assensisseque Peripateticis videretur. Hoc quoque sit Josephi bonitatis exemplum, quod habere ea de re querimoniam nefas duxerit, ac sibi, amicis, veritati confirmarit se fecisse satis, editis iis, aliisque, quos deinceps ederet, libris, ex quibus cognoscere cuique liceret, in eadem se sententia perpetuo mansisse. Igitur neque conscripta a se contra Bartolum responsa vulgavit, & ob eam potissimum caussam, quod is non rationibus, sed assertionibus, contemptu, & irrisu rem se confecisse arbitrabatur. At Peripatetici implacabile odium in philosophos recentiores susceperant. Namque ante id tempus judicio omnium fere gentium erant in philosophia principes, tum autem mechanica ratione, qua recentiores magnam partem involutarum obscuritate naturae rerum facile dilucideque explicabant, factum est, ut omnes prope Academiae ad eorum societatem se applicarent, & Peripateticos puderet eam scientiam nescire, & discere. Itaque tantum bellum adversus recentiores, & praesertim Academiam Pisanam exarsit, ut nunquam pari periculo fuerint. Illi ira incensi, cum intelligerent sibi cum viris strenuis, omnique doctrina & virtute ornatissimis negotium esse, inierunt consilia, non rationibus, quibus modicum valebant, sed malis dolis, potentiaque Principum tollere novam, & defendere suam veterem philosophiam. Itaque nullum

Digitized by Google

non moverunt lapidem, ut Atomistas in suspicionem Principibus, Episcopis, Magistratibus adducerent, tanquam alia, atque Catholicorum docet Fides, sentirent. Ajebant nemini sapientum virorum dubium esse, quin brevi tempore vera in Deum religio subverteretur, & animi & mores adolescentium corrumperentur, si ii philosophi de novarum opinionum commentis disputare, scribere, ac juventuti tradere pergerent: necessum esse illorum coercere, & opprimere insolentiam, jactationem, procacitatem. His quidem prospere res incoepit cedere. Namque Pisis Scotista Theologiae praeceptor cogitur, ut, ea disciplina dimissa, officium & partes scholae Peripateticorum suscipiat, subtilique suo disserendi genere Atomistas opprimat. Ad vetera autem sustinenda Galeni placita Senis arcessitur Rusticius Medicus, qui in iis totam aetatem contriverat. Bononiae quoque, ut Marcellus Malpighius memoriae prodidit, in recentiorum philosophiam saevitum fuit. Postquam enim Capponus doctor contra illos vehementissime declamasset, collegium Medicorum conscripsit promulgavitque peculiare edictum, ne quis doctoris laurea decoraretur, nisi conceptis juraret verbis, nunquam se veterum auctorum, quos Academia Bononiensis usque ad eam diem secuta esset, desertorem sectae futurum. Neapoli vero Cantelmus Cardinalis, ejusque urbis Archiepiscopus ductus studio religionis, quam Peripateticorum calliditate captus in magno periculo esse existimabat, propter licentiam libertatemque disserendi ab Atomistis invectam, ex suggestu sic concionatus fuit, ut populo persuadere ad veritatem voluerit, eos esse homines sine ulla religione & fide. At Romae aliter Atomistis accidit, si quid accidit. Nonnulli Medici in numero eorum erant, qui novos philosophos de labefactata religione accusabant. Ii sublimitate doctrinae, qua pollere dicebantur, cum magnam gloriam potissimum apud Romanos essent consecuti, manibus pedibus, ut ajunt, noctesque & dies id sunt conati, ut auctoritate Pontificis Maximi opera Petri Gassendi, ac ceterorum philosophorum contra Aristotelem sentientium proscriberentur. Delata caussa ad selectos judices ex Cardinalium Collegio, in medium protulerunt indicem ejusmodi librorum. Intercessit Cardinalis Etraeus,

Digitized by Google

atque apud Collegas contendit, injurium eſſe improbare Gaſſendi opus, hominis integri animi, Galli, Catholici, & licentiam permittere legendi, ſin minus approbare Ariſtotelis idololatrae libros, quibus complures contineri errores & falſas opiniones ex eodem Gaſſendo cognoſci plane ad veritatem poterat, atque inter cetera mundum aeternum eſſe, & cum corporibus ſimul animos interire. Hac ratione ſapientiſſimi Patres adducti, divinaque auctoritate permoti: *traditum a Deo mundum diſputationibus hominum, ut hi non inveniant opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem*, conſiliis accuſatorum obſtiterunt. Itaque decreto Innocentii XI. cautum fuit, ne quiſquam auderet voce ſcriptoque repreheudere cenſoria auctoritate eas ſententias, de quarum falſitate pronunciatum a Sede Apoſtolica non eſſet judicium. At negligere nonnulli Peripatetici decretum Pontificis Maximi maluerunt, quam tacere. Hi vero quorſum ſpectarent, cum Sotomajor, Scarlattus, Solarius, aliique ſocii collegii Florentini in publicis diſputationibus declaraverunt, tum maxime Niger in concionibus, quas in maxima Aede ſacra ad populum habuit Piſis. Namque hic cum ejulans ſemel clamitaſſet, ſi veterem ſuam recuperare dignitatem, gloriam, felicitatem cives Piſani vellent, continuo non ſolum a libidine ceteriſque omnibus criminibus deſiſterent, ſed etiam ſuis ex finibus pernicioſas illas, ſanctiſque Catholicorum Eccleſiae dogmatibus contrarias opiniones perpetuum exterminarent, quae in urbis Academia tradebantur; iterum poſtrema in concione in eamdem ſententiam locutus eſt, uſus teſtimonio Paulli Apoſtoli: *contriſtavi vos, ſed non me poenitet*. Interim Joſephus, poſtea quam vidit non dari ſibi facultatem ſectam Atomiſtarum profitendi, quin Coſmum Magnum Ducem, & reliquos Mediceos Principes offenderet, quod Peripateticis faverent partibus, & occaſionem ſuae amplificandae fortunae dimitteret, ſic ſe geſſit, ut ſtudiis obſequeretur ſuis, & regiorum Principum ſine offenſione retineret benevolentiam. Nam etſi quaedam philoſophicarum diſciplinarum praecepta dictando commutavit, tamen omnia explicando dixit eadem. Haec qui-

dem in Lyceo timide & pedetentim conatus est, domi vero non modo loqui, ac disputare libere, sed etiam impulsu Redii dictare copiose ac definite plerisque discipulis nonnullos tractatus in ejus sectae sententiam coepit. Atque idoneum tempus ratus conficiendae rei, ad Magnum Ducem adiit, & apud eum liberrime prolocutus est: Peripateticos aucupari potius sibi famam obtrectatione philosophiae recentiorum, quam studere religioni. Ecquod enim haec accipere detrimentum posset ex nova ratione naturalium explicandarum rerum, quam neque praestantes sapientia viri, neque Pontifex Maximus reprobarit? Nescios esse Peripateticos ejusmodi rationis & disciplinae; quare intelligere magnum se existimationis detrimentum, hac constituta, facturos: qui si vicissent, neminem unum deinceps probabilem in universa Etruria futurum medicum. Hac re audita, sapiens Princeps aliquantulum placatus animo in Atomistas, Josepho de Papa indulsit, atque delatis in eorum sectam edictis quidpiam derogavit. Hoc Pisis initium fuit conservationis frugiferae philosophiae, hoc robur auctae celebritatis nobilissimae Academiae. Neque minus Senensibus ad colendam philosophiam atque medicinam recentiorum Josephus adjumento fuit. Namque eo cum venisset an. 1685. Franciscum Principem Mediceum Praefectum provinciae Senensium secutus, & animadvertisset Pyrrhum Gabriellium studiis physicarum rerum sic esse deditum, ut agendorum experimentorum gratia machinam pneumaticam suo sumptu comparasset, illum confirmavit, & assidue cum eo de fructuosa philosophia & medicina tradenda sermonem habuit. Petro autem Beringuccio, (qui, cum genere, prudentia, virtute, omnique eruditione claresceret, educator dictus fuit Joannis Gastonis) persuasit, ut Crescentium Vasellium magni ingenii adolescentulum Pisas sua pecunia mitteret, ac aliquot annos aleret, quo iis disciplinis apprime erudiretur. Quo factum est, ut ea praeclarissima genera studiorum tum Gabriellii opera conservata, deinde Vasellii industria ac labore confirmata, maximo ornamento, & utilitati praesertim Senis forent. Quamdiu ibi Josephus fuit ad Academias illorum ventitavit; quare

Digitized by Google

attingere coepit Italicam poeticen, nec sane infeliciter, ut cognosci potest ex nonnullis ejus epigrammatibus Italicis, quae exiaut. Cum vero latam Senensium regionem, & oram maritimam Praefectum provinciae iu venatu comitatus peragrasset, ea omnia diligenter animadvertit & notavit, quae ad historiam naturalem pertinent. Histricem, melem, aliquot pullos luporum, aliasque captas feras rari generis, anatomes caussa, dissecuit. Ubi ad balneas S. Casciani venit, salubritatem aquarum perscrutatus est, deque iis disertas litteras Redio scripsit. Exposuit quoque in aliis litteris ad eumdem Redium cetera, quae in venis aquarum majorem in modum calidarum prope vicum Belfortium viderentur admiranda: eumque de gravioribus & periculosis morbis, quos Senis, propter egregiam sui apud cives vulgatam famam, non curare non potuit, quam saepissime certiorem fecit. Quae fama jam extra fines egressa Etruscorum sic pervaserat per animos longinquarum gentium, ut undique Josephus consuleretur. In iis fuit Joannes Baptista Garellius Medicus Caesareus, qui ab eo de aegra valetudine Ducis Lotharingiae consilium petiit. Astallus vero Cardinalis omni studio a Cardinali Mediceo contendit, ut eumdem mittere Romam vellet, cujus arte Cardinalis Chisius infirmissima valetudine conflictatus sanaretur: & fuerunt, qui eum a Cosmo Magno Duce flagitarunt, ut Innocentio XII. Pontifici Maximo graviter aegro medicaretur. At satius ille duxit docere litteris remedia, & non discedere a lateribus suorum Principum, quibus summopere studebat, quam proficisci in eam potissimum urbem, in qua, cum esset domicilium orbis terrarum, sine summa invidia atque obtrectatione laudis suae mederi Pontifici Maximo, & Chisio Cardinali non posset. Plurima proferre possemus, sed difficile est ea persequi, & non necessarium, quod Josephi consulta duobus comprehensa voluminibus in manibus sint Medicorum. Illud unum cognosci volumus, illum idcirco evocatum Romam fuisse, quod jam ibi ab anno 1683. aliquamdiu moratus magnam reliquerat sui famam non minus felicitate, quam virtute partam. Ceterum ab eo tempore, quo Magni Ducis & regiae domus dictus Archiatrus fuit, Florentia

nunquam discessit, nisi prosecutus Franciscum Mariam Cardinalem fratrem Ducis, aut ipsum Ducem, ubi hi Romam petiverunt, aut aulam, ubi haec in aliquam ex amoenissimis Mediceis villis, aut Pisas concessit propter miram caeli in hieme temperiem. Hic quamdiu adfuit, etsi propter sui gravitatem muneris praelectionum laboribus liberatus esset, tamen ad Lyceum ventitabat, testificandi gratia se quidquid consecutus esset vel doctrinae, vel fortunae, vel honoris, totum se illi debere. Qua consuetudine invitus destitit, cum senuit. Neque tamen unquam cessavit ad aedes aegrorum adire, & consulta praescribere. Interdum etiam conveniebat in Academiam, quam *della Crusca* Florentini vocant; in quam dum fuit cooptatus, adeo concinna, eleganti, atque sententiosa oratione collegis, quod talem tribuissent sibi honorem, gratias egit, ut existimari potuerit de ejus oratorio ingenio. Omnia reliqua tempora aut libris legendis, aut consultis dictandis, vel scribendis, aut salutandis visendisque regiis Principibus tribuebat; & si quod succisivum incurrisset, in solitudine considebat, qua mirandum in modum delectabatur, expertus difficillimum esse nullas animi commotiones oriri ex frequentia hominum. Igitur paucis admodum, quorum mores a suis non abhorrerent, ad eum aditus patebat. Nihilo minus amicis Josephus diligenter officia praestabat, & dum quod poterat suppeditabat opis suae indigentibus, summo studio nitebatur occulere. Cum per se novisset ad historiam naturalem provehendam factum esse Petrum Michelium, hunc sua pecunia juvit, posteaque una cum Laurentio Magalotto vehementer laboravit, ut praemia illi pro meritis a Magno Duce concederentur. Praefuit & nascenti laudi Jo. Bottarii, cui quidem tantum tribuit, ut ad ejus manus pervenire siverit, paullo antequam moreretur, quae perscripserat consulta medica, quae ille edenda curavit Romae an. 1733. elegantissimis Salvionii typis. Porro haec probatissima fuerunt omnibus salutaris artis cultoribus: nam in iis multa experientia, multa & prudentia atque doctrina comparet. Sunt vero haec consulta non amplius CXLI. quod complurium a se conscriptorum exempla conficere

Josephus interdum non potuit propter graves ac multas suas occupationes, & necessitatem ea per litteras flagitantibus quam celeriter transmittendi. Hoc loco ceteros Josephi libros priusquam numeremus, libet praecipere lectoribus, ne aetatem, qua ille scripsit, cum nostra conferant, neve ea, quae ipsis comperta sunt, pari modo eruditis viris eorum temporum fuisse arbitrentur. Iis sane temporibus, quibus illos exaravit, nemo fere, saltem in Etruria, publice conatus est convellere quatuor humores Peripateticorum, quibus fundamenta medicinae continebantur, & Democritea substruere, atque hominis fabricam, & quae ad medicinam theoricam & practicam pertinent, geometrice explicare. Vel antequam sententias suas de calore & frigore, de humido & sicco, de luce & igne & de humoribus ederet librum, de febribus scribere instituit, quem caput ac principem ipse credebat ceterorum. Namque in eo exposuit omnia, ex quibus optimae ars medicinae efficitur, confutatisque variis & inter se discrepantibus complurium, qui illustre nomen in medicis habebant, auctorum opinionibus, succo nerveo, quem *animales spiritus* appellamus, naturam & caussas febrium attribuit, & multis argumentis docuit. Sed cum ille jam typis mandare librum constituisset, comperiit maximam ejus partem ab Alphonso Borellio perscriptam fuisse in opere *de motu animalium*. Itaque perficere aggressus est, quae a Borellio praetermissa videbantur, ac nonnulla de cordis, & sanguinis motu in primis scripsit: cumque conata, ne a se quidem perfecta fuisse intellexisset, fidei vindicum testamenti sui quam diligentissime opus commendavit, eos orans atque obsecrans, ut docto cuipiam viro illud transderent, qui perspiceret, corrigeret, tum denique vulgaret. Quod cum Josephus Averanius accepisset, non esse committendum duxit arbitrio censorum opus viri clarissimi, qui explicare ac defendere sententiam suam per se ipse non posset. Igitur adhuc occulitur. Sed novissimo tempore ex multis opusculis, quae Italice confecerat, sexdecim elegit, quorum exempla Florentiae, & alicubi extare cognoverat, eaque, ceteris crematis, edenda Tartinio & Franco Typographis Florentinis tradidit. Itaque

Digitized by Google

omnia uno volumine colligata in lucem nomine Josephi de Papa prodierunt anno 1734. antequam ille mortem obiisset uno. Sunt in iis oratoria, poetica, geographica, physica, astronomica, medica, omniaque produnt singularem viri industriam, elegantiam atque judicium. Extat etiam liber unus Italice confectus de delendis locustis, quae magnam partem occupaverant orae maritimae Pisanorum, Senensium, Volaterranorum, universosque agros Plumbinensium, Scarlinensium, & Suvereianorum. At in eo suum noluit Josephus inscribi nomen, propterea quod fas illi minime fuerat in ea se conferre loca, ut suis ipse oculis de talium animalium ortu & propagatione judicare potuerit. Tali modo cum VI. & LXXX. annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus doctrina, quam prudentia crevisset, subito nactus est morbum, quem medici putarunt esse gangraenam siccam. Itaque paucis diebus interpositis, cum morbus atque aetas medicamenta vicissent, III. idus Martias anno 1735. Florentiae decessit. Elatus est pro hominis dignitate honesto & decoro funere, cumque justa facta ei fuissent in Aede S. Felicis, magna bonorum frequentia, ibidem in paroecia sua sepultus est. Corpore fuit gracili, statura mediocri, vultu tranquillo & sereno, ex quo & ex obtutu oculorum apparebat quidpiam assidue secum cogitare. Animi sensum facile oratione explicavit, secutus eloquendi genus elegans: quotidiano sermone tempestive facetus, vitatis sententiarum ineptiis. Consuetudinem & familiaritatem amicorum sic coluit, ut cum nulli molestus esset, excellentiores sapientia, & virtute praecipue diligeret. Uxorem nunquam duxit, libertatis & tranquillitatis, quam stirpis & familiae cupidior, alienoque semper animo ab amore venereo. In aula ita versatus est, ut observantia omnibus carus, neque se aulicis fluctibus committeret, neque honores peteret, neque elate se gereret, cum suspiciones quoque vitaret invidiae, atque ostenderet se non fortunae, & tempori servire, sed Principi. Cumque maxima doctrinae laude floreret, nihil neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit, quod prudentia iram reprimeret, resque humanas omnes divino numine agi, fide Catholica crederet.

Deum

Digitized by Google

Deum summa religione coluit. Adeo diligens veritatis, ut temere laudaret neminem. Prudens & attentus paterfamilias habitus est, sed parum liberalis, etsi abesse videretur a cupiditate pecuniae, veritus ne si eleganter ac splendide se gereret, in aliquam animi perturbationem incideret, & valetudinis faceret jacturam suae. Id cum difficillimum sit judicare, ea credimus vixisse moderatione, ut collectis opibus magis ex usu esse patriae posset. Nam testamento Emporium heredem fecit: qua de hereditate nummum argenti LXXXX. millium jussit, ut in primis bonarum artium praeceptores, iique docti, pacta mercede, conducerentur; deinde ejus oppidi adolescentuli bona indole praediti, qui in aliqua celebri Academia studiis litterarum dare operam vellent, quibus rebus indigerent, adjuvarentur; demum, ut pleraeque pauperes virgines dotibus datis aut collocarentur, aut pudice alerentur. Postremo nonnulla legata Emporiensibus salutaria varie dedit, nonnulla amicis. Itaque vindices testamenti, ut Josephi de Papa memoria maneret, illius effigiem marmore incisam a Josepho Piamontino in superiore sepulcri parte posuerunt, cum Inscriptione a Bottario confecta, quae est hujusmodi:

JOSEPHO DEL PAPA EMPORIENSI
IN HUMANIORIBUS LITTERIS
ET IN GRAVISSIMIS DISCIPLINIS ERUDITISSIMO
IN PISANO LYCAEO PHILOSOPHIAE PRIMUM
DEINDE MEDICINAE PROFESSORI CELEBERRIMO
REGIAE MEDICEAE DOMUS ARCHIATRO IN MEDICINA FACIENDA
MATHEMATICISQ. RATIONIBUS EXPLANANDA
PRUDENTISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO ANTIQUA PROBITATE
ET OB INGENII MONUMENTA
HAEREDITATEMQ. IN PATRIAE UTILITATEM
SAPIENTI TESTAMENTO COLLOCATAM
IMMORTALI CURATORES HAERED. P.
VIX. AN. LXXXVI. OB. CIƆIƆCCXXXV.

Ex liberali stipendio D. fere centussium, quo ad nos an. 1681. accitus fuit Christophorus Rusticius Senensis, de quo paullo supra mentionem fecimus, conjicere licet magnam eum sibi famam in profitenda medicina comparasse. Natus is erat XIV. Kal. Apriles an. 1626. patre Laurentio, matre autem Eugenia Guagnia, in eoque tantum studium, tantusque labor fuisse dicitur, ut cum ex adolescentia nondum excessisset, in aula, ut dicitur, Comitiorum, cum praeesset disputationi Matthias Naldius, publice defenderit quidquid de medicina, mathesi & philosophia tradi tum solebat, ipseque didicerat (1). Quadriennio autem post in patrio Lyceo dialecticam docuit, ac postmodum philosophiam, quo in munere successorem habuit Fabricium Capaccium. Non ultra vero quinquennium ejus opera usa est Academia nostra, cum mortem obiisset Senis Quintili mense an. 1686. sepultusque fuit in Aede S. Dominici in monumento familiae, quae antiquitate & gloria majorum nobilissima putabatur. Eodem anno, quo Rusticius, coepit medicinam profiteri Benedictus Rossettus Foroliviensis, qui vacationem a cathedra non sine praemio praeteritorum laborum obtinuit an. 1720., mortem autem obivit VII. Id. Novembris 1732. Diligentia ac studio sarcivit, quod ei natura denegaverat, acutum & perspicax ingenium. Quantum autem praestiterint prudentia Thomas Frosinius Donati Pistoriensis F., Josephus Zambeccarius, de quo alibi diximus, & Valerius Gallenius, qui omnes iisdem temporibus praefuerunt medicinae, saepe declaravit Principi Academiae Curator (2). Frosinius sine ullo stipendiorum detrimento an. 1694.

(1) Excolenda Rusticitas (*sic liber inscribitur*) per octo Gradus philosophicae, ac medicae disciplinae a Christophoro Rustico Seneus. publicae disputationi exposita. Senis 1650.

(2) *An. 1693. sic retulit.* Giuseppe Zambeccari, che legge in supplemento la Notomia, valentissimo Dottore ha 12. anni di lettura, e Sc. 240. di provvisione; Tommaso Frosini Dottore stimatissimo nell' Università ha 12. an-

in Germaniam concessit, & Neoburgi an. 1712. extremum diem obiit. Caussa autem eo concedendi fuerunt mandata, quae nuptiarum ergo Annae Mariae Franciscae Philippi Neoburgi Principis viduae cum Joanne Gastone Mediceo habuit a Magno Duce, ob quae honores (Comes enim S. R. I. declaratus est), aliaque amplissima praemia consecutus est. Homo sane nobilis, ingeniosus, prudens & abstinens facile commendationem & gloriam consequi potuit, multosque beneficiis sibi obligavit. Huic frater fuit Pisanorum Aschiepiscopus, in quo Frosiniorum Pistoriensium familia esse desiit. Diu Gallenius operam praestitit Academiae, ad quam venerat an. 1685., cum e vita cessisset III. Id. Octob. an. 1749. Hunc gravem, prudentem, integerrimum, de discipulorum bono & Academiae gloria mirum in modum sollicitum fuisse constat, neque ei deerat in sententia dicenda elegans quoddam & eruditum orationis genus. Quare perfecit suis moribus, sua humanitate, suaque doctrina, ut ab omnibus frequentaretur atque diligeretur. Quanquam ea jam fuerit opinio, plurimum tum ad docendam, tum ad faciendam medicinam se exercuisse Camillum Manellium Florentinum, qui per XXXX. & amplius annos in suscepto juvenes instituendi munere permansit (obiit enim an. 1731.) fuit tamen illustrior laus Josephi Duccinii Lucensis, cui primas sui detulerunt, postquam rediens e Montis Pessulani Academia medicinam & chirurgiam quoque apud eos facere coepit. Bonus & anatomicus existimabatur, neque prorsus expers erat chemicae doctrinae, quemadmodum judicari potest ex libello, quem de thermis Lucensibus an. 1711. vulgavit. Ab his contendit abesse sal, sulphur, & nitrum,

---

ni di lettura e Sc. 200. di provvisione; Valerio Galleni di Fucecchio con anni 8. di servizio e Sc. 80. di provvisione è giovine di grande applicazione ed espettazione, ed anche Scolare, e Lettore Straordinario si fece sentire con sua gran lode nelle pubbliche e private funzioni.

scrutatus est quae potuit, & quaesivit omnia, quae veteres de natura hujusmodi aquarum tradiderant. Neque alia incessisse via videtur Zambeccarius, cum hanc ipsam rem, uti narravimus, tractandam suscepisset: nam illius aetatis chemici in summa ignoratione versabantur illarum rerum, quibus nunc uti solemus ad investigandam aquarum naturam. Postquam Duccinius per XXXXVII. annos summa constantia & diligentia medicinae scholae satisfecerat, an. 1735. muneris immunitatem obtinuit, triennio autem fere post IX. Kal. Apriles naturae debitum reddidit. Porro si valuissent consilia Academiae Curatoris, eo tempore, quo vitam amisit Carolus Vasolius Focensis (accidit id postrid. Kal. Martii an. 1699.) chirurgiae magister, qui Bocciantinio successerat, in illius locum suffectus fuisset Duccinius. Sed libuit vacuam hanc cathedram relinquere, quasi minimi momenti esset, aut minus conveniret Lyceo.

Medicinam in urbe S. Miniatis exercebat Jo. Andreas Terenzonius Gragnoli, quod est Apuanae Provinciae oppidulum, natus, cum ad eamdem facultatem docendam an. 1695. vocatus fuit. Agebat tum aetatis annum XXXII., & usu, & doctrina prudentissimus existimabatur. Venit etiam ad hominum famam per ea, quae in vulgus edidit, quae & rebus & verbis probatissima fuere. Jo. Lancisii suasu, postquam jam innotuerat, emissis *Exercitationibus physico-medicis circa res fere omnes non naturales ad valetudinem spectantibus*, & paucis quibusdam aliis, an. 1715. Lucae vulgavit *de morbis uteri* opus, ex quo apparet multum illum tribuisse mechanicae medicinae, & multa vidisse in cadaveribus, quam ob caussam laudatus fuit ab Hallerio, qui ait opus istud *observationes varias non vulgares habere* (1). Post haec in lucem edidit Pisis an. 1729. *Commentationem ad crises, diesque criticas acutorum morborum juxta recentiorum*

(1) Ad method. Stud. medici Tom. II. p. 91. Venet. edit.

methodum, & quadriennio post Lucae *commentationem* alteram *practicam ad retardatas, vel praepeditas acutorum crises juxta puriorem curandi methodum recentiorum*. Quinquaginta & amplius annos honori servivit Academiae, cui cum addicere concupivisset Terentium filium, minimeque voti compos factus fuisset, graviter id moeruisse visus est. Eodem anno 1746., quo Terenzonius, naturae concessit Christophorus Pieracchius Bargaeus, sed hic quadriennio minus operam tribuit Academiae. Nam an. 1699. factus est dialecticae, & triennio post practicae medicinae magister. Hic quoque bonis in medicis habitus est. Aetate & magisterio illum antecessere Franciscus Maria Guariscius Bibienensis & Jo. Antonius Pizzornius Genuensis. Hic non ultra biennium operam locavit Academiae, ille autem cum coepisset logicam docere an. 1685. male gessisse munus suum judicatus est, quanquam in eo perseveraverit per duodecim & amplius annos. Demum anno 1698. factus praxis medicae magister, minime laboravit, ut scholam suam a solitudine vindicaret, mortemque obiit Februario mense an. 1712. In Thoma Zarillio constat ingenium fuisse, & is postquam per quinquennium dialecticae studiosis consuluerat, an. 1705. medica tractare coepit. Cum aetate processisset, negligentior in suo obeundo munere fuisse videtur, ac postremo a mente desertus infelicissime vitae cursum explevit postrid. id. Novembr. an. 1741.

Sic in schola medicinae versati sunt Florentini medici Petrus Joannes Massetanius, & Laurentius Cajetanus Fabrius, ille per sexennium, hic per quadriennium, ut egregia hac in re fuerit utriusque industria. Diximus alias de Massetanio, qui cum a nobis an. 1718. discessisset, medicinam & anatomen docuit in Florentino Nosocomio S. Mariae Novae. Reliquit & Fabrius illo ipso anno Academiam, facturus in patria medicinam, ne degeneraret a Pamphili patris, majorumque suorum consuetudine, qui ex illa arte nomen & bona sibi comparaverant. Eadem laude nemini ipse inferior fuit, & id spectavit semper, ut suis civibus, sanguine conjunctis, & pauper-

tate oppressis posset esse quam maxime utilis. Praxin etiam medicam docuit in patrio nosocomio, ad quam exornandam plures edidit dissertationes *de peste*, *de febribus*, deque aliis morborum generibus (1) etrusce, neque ineleganter scriptas, latine autem *de somno*, *de medicamentis somniferis*, & *de natura hominis in somno*, *de variolis*, ac postremo de mercurii usu in medicina, quod remedii genus ad vexandos potius, quam ad sanandos aegros homo veteris disciplinae nimium studiosus, inventum fuisse dicebat. Laudavit etiam Vincentium a Filicaja, non ut quidam dicendi magister & artifex, sed quasi unus e numero studiosorum poesis videretur. Mortem Florentiae obivit VI. id. Februar. an. 1762. cum prosperrime vixisset LXXXIV. annos, & non tam doctrina animique virtutibus, quam specie & ipso amictu medicinae dignitatem sustinuisset.

Iisdem temporibus Jannettius, & Gottus, de quibus satis multa aliis in locis narravimus, diu consuluerunt medicinae studiosis. Ipsos si audivisses majus quiddam animo complexos, & plus, quam ceteros medicos, vidisse judicasses. Nam quascunque in oras disputationis eorum oratio deferebatur, sive ex aequo, sive ex superiori loco dicerent, res explicabant non solum propriis aptisque verbis, sed etiam cum quadam eloquentiae specie atque pompa. Jannettius etiam res severas hilare tractabat, atque ita, ut neque jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur.

---

(1) *Morgagnius in Epistolis Anatomicis-Medicis Epistola* 8. *laudat Fabrii Dissertationes* intorno ad alcune malattie. *Eaedem & cetera illius scripta reprehensores habuerunt. Vide* Giornale de' Letterati pubblicato in Firenze Tom. V. part. 2. Art. 7. *Porro raro quidquam adversi in morbis accidebat, illo non praedicente, & cum ad nobilissimam feminam medicus adductus fuisset, quam brevi convalituram Cocchius affirmaverat, illi vicinam mortem praedixit, & exitus prognosticum confirmavit.*

Digitized by Google

Nunc autem dicendum de Antonio Cocchio, quo plurimum gloriatur Etruria, cujusque licet mediocria merita fuerint in Academiam Pisanam, ita tamen de litteris & de medicina meritus est, ut perpaucos illi pares ponamus. Patrem habuit Hyacinthum Mucellanum, qui eum suscepit III. Non. Sext. an. 1695. ex Beatrice Blanchia, dum Beneventi Caroli Rinuccinii res procurabat. Instructus est Florentiae humanioribus litteris, Pisis autem medicina ceterisque disciplinis, quae illam juvare & ornare possunt. Rediens Florentiam totum se dedidit Thomae Puccinio medicorum nobilissimo, quemadmodum alibi docuimus, ab ejusque latere cum minime discederet, multa sane utilissima, quae ad praxin medicam pertinebant, collegit. Eodem tempore plurimam dedit operam Graecis Latinisque litteris, didicit cultiores Europae linguas, & Francisci Redii exemplo attigit quoque Hebraicam & Arabicam, qua lingua multos sane utiles medicos libros conscriptos fuisse scimus. His subsidiis instructus Cocchius poterat jam cum spe certa famae artem suam exercere. Sed hoc fuit non mediocris aut modestiae, aut prudentiae, quod antequam majoribus theatris doctrinam suam proponeret, in obscuro loco illius periculum facere voluit. In annum igitur versatus est in Portu Longone, medicinam cohortibus illis faciens, quae ab Hispaniarum Rege ibi in praesidiis erant collocatae. Inde decedens cum Florentiam rediisset, ad amicitiam accessit multorum Britannorum, qui tum in illa urbe frequentissimi esse solebant. Sed praesertim illius humanitate & doctrina captus fuit Theophilus Hastingus Comes Huntingdoniae, homo sane cum litteris Latinis, tum Graecis eruditus, cujus saepe liberalitatem & animum expertus fuerat, qua ex re factum est, ut nunquam eum ab se dimitteret, cuperetque secum in Britanniam deducere. Cessit Cocchius desiderio illius, nec Britanniam solum visit, sed & Galliam & Bataviam, seque beatum putavit, quod de facie novisset Newtonum, Meadium, Clarchium, Vernejum, Freindium, Ruischium & Boerhaavium. Ut gratus vero cognosceretur in Hastingum, huic nuncupavit, quam in otio Londinensi fecit Xenophontis Ephesii *de amo-*

Digitized by Google

ribus Anthiae & Abrocomae Latinam interpretationem, quod porro opus dignum laboribus fuit Cocchii, & liberalitate Hastingi, qui pecuniam dedit ad illud elegantissime typis imprimendum, quia ita probabatur Politiano & Salvinio, ut ille Xenophonti Attico istum Ephesium exaequaret, hic in patrium sermonem eleganter verterit, & ex antiquo codice exemplum pene totum sua manu exscripserit. Cocchius hujus exempli ope sibi commodati ab Henrico Davenantio illustri viro Britanno, cui Salvinius illud ipsum concesserat, suam elaboravit interpretationem, quae ita pura est, ita elegans, ita festiva, itaque recte exprimens Graeci scriptoris sensus, ut supra nihil possit. Sic Cocchius jure gloriari potuit aeternum posteris se reliquisse monumentum studii sui in Graecas Latinasque litteras, quas ita semper amavit, ut ad eas se se referre mos illi esset, quoties oblectationem quaereret animi, requiemque medicorum studiorum. Atque his studiis ne aliquod detrimentum afferret illa peregrinatio, fecit usus cum doctissimis medicis & philosophis, & continua lectio Scriptorum medicarum rerum, quos plurimos atque excellentes, ut in aliis facultatibus, tulit Britannia. De his suis studiis atque exercitationibus, & si quid aliud erat, quod scitu dignum putaret, saepe certiorem faciebat suum amantissimum praeceptorem Thomam Puccinium, ad quem etiam misit sane longam & prudentiae plenam epistolam de more & instituto, quod nobiles Britanni tenent in educanda juventute, exercendoque corpore, ut obedire animo possit in labore vitaeque incommodis tolerandis. Perplacebat Cocchio quidquid Londini videbat, cumque in multorum consuetudinem se insinuasset, facile intelligebat si medicinam facere ea in urbe voluisset, magno id sibi fore emolumento. Nihilo tamen minus cessit desiderio redeundi in Etruriam, cujus consilii sui, cum certiorem fecisset Carolum Rinuccinium, facile hic ab Jo. Gastone M. E. D. obtinuit, ut locus illi in Academia Pisana daretur. Tali modo ille an. 1726. declaratus fuit medicinae theoreticae Magister, quod munus non multos post menses inivit eleganti sane oratione, quam de medicinae laudibus habuit, quaeque est in ma-

Digitized by Google

nibus hominum. Quo quidem tempore ipso ii, qui odarant in Cocchio frequentem transmatinarum rerum praedicationem, jactationemque doctrinae, quae raro congruebat cum ea disciplina, quam ipsi colebant, nihil non tentandum esse statuerunt, ut eum de laudis possessione deturbarent. Cujus in arcem ut invaderent, non habuerunt validiora arma, quam quae dabat iis summa difficultas, qua in memoriter dicendo vehementer angi Cocchium haud obscure apparebat. Neque enim iis, ut his temporibus, Academia ferebat liberiorem licentiam de scripto dicendi e superiori loco. Quanquam magnitudinem animi minime inflexerit Cocchius invidorum injuriis, ut aliquid potius additum ad memoriam nominis illius, quam ademptum de fama dignitateque aequis hominibus videretur, decrevit tamen illorum oculos vitare, cum linguas facile non posset. Cessit ergo ex Academia Pisana, postquam vix annum in ea fuisset, Florentiamque venit ibi tranquillitatem, non otium quaerens. Nam assiduitate quotidiana & non mediocri labore impositum sibi onus publice docendi in Lyceo Florentino medicinam, naturalemque philosophiam sustinebat, & in colendis mansuetioribus musis operae plurimum studiique consumebat. Cum se frequenter abderet in bibliothecam Laurentianam, exscripsit VII. S. Gregorii Nysseni Graecas litteras, quas a Jo. Baptista Caraccioio in Latinum conversas, & in lucem emissas fuisse alibi narravimus. Multum etiam laboris consumpsit in Philonis Hebraei manu scriptis codicibus evolvendis, quae res maximae utilitati fuit Mangejo, qui curam susceperat illius imprimandi scriptoris Londinensibus typis. Ad haec Cocchius ex antiquo codice, qui in bibliotheca extabat monachorum Cassinensium descripsit Charitonis Aphrodisiensis amatorias narrationes *de Cheraea & Callirrhoe* ea mente, ut e Graeco in Latinum coverteret, & in lucem emitteret. Sed magnam, quam ex hujusmodi opere poterat sibi polliceri gloriam cum lavi XL. centussium compendio commutavit. Tanti enim illud exemplum emit Jacobus Philippus de Orville. Sibi autem reservavit quae collegerat de veteribus quibusdam Graecis Chirurgis, de quibus moliebatur aliquid exquisitissime dicere. Interea Florentinis suis

consuluit, cum dedisset operam, ut quae an. 1718. a Petro Antonio Michelio, Nicolao Gualterio & Sebastiano Franchio instituta fuerat *Societas botanica*, & quae pene esse desierat, instauraretur. Qua in solemni instauratione, quae accidit an. 1734. nobilem ipse orationem habuit de utilitate historiae naturalis. Hujus facultatis biennio post laudationem quoque conscripsit, cum jussu illius, qui Societati praeerat sibi dicendum fuisset de Michelio, qui per illa tempora e vivis excesserat. Difficile enim erat a commendatione unius alterius laudes sejungere, cum nemo dubitet Michelium longe Italis omnibus antecelluisse rei herbariae intelligentia. Hoc autem argumentum ita tractavit Cocchius, ut nihil gravius & ornatius afferri potuisse judicatum fuerit; quo judicio plurimum ipse laetatus est, quod non tam propriae, quam amici & praeceptoris gloriae servire optabat. Recitavit eodem ferme tempore Latinam orationem *de usu artis anatomicae*, in qua enucleate & polite, ut solebat, illius artis ortum, progressionem, utilitatemque in medicina & chirurgia facienda persecutus est. Ab hac oratione exorsus est munus, quod sibi assignatum fuerat docendae anatomes in nosocomio ad S. Mariae Novae. Illud vero sic obivit, ut non solum doctus, sed etiam elegans explicator admirandae corporis humani fabricae judicari voluerit. Quapropter & studiose & frequenter audiebatur. Vidit tamen non satis consultum esse utilitati illorum, qui medicinae studebant in eodem nosocomio, nisi ad publicas exercitationes anatomicas, quae instituto majorum hiberno tempore fieri solebant, privatae & annuae adderentur. Itaque ejus consilio & auctoritate factum est, ut nova ibidem institueretur schola, quae totis illis quindecim annis, quibus illam rexit Antonius, semper floruit nobilitate discipulorum. Neque hos in sola anatome erudiebat, sed etiam in chirurgia, maximeque medicina. Quoniam vero, ut praeclare admonet Cicero, medici, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi non possunt, Cocchius non solum suadebat, sed etiam jubebat discipulos suos secum invisere aegrotos, originem, pro-

Digitized by Google

gressiones & exitus morborum describere, horumque veras caussas in cadaveribus dissectis investigare & adnotare, qua quidem re nihil est neque certius, neque expeditius ad perfectam artis cognitionem acquirendam. Cum vero plurimis in curationibus ipse ostendisset se de instantibus verissime judicasse, & de futuris callidissime conjecisse, tanti hoc fuit ad illius famam, ut eodem tempore & discentibus & consulentibus satisfacere cogeretur. Est boni medici non solum diligenter videre, qui cursus & natura sit morbi, verum etiam acuere ingenium ad praevidendum quid futurum sit. Caute tamen praedicendum est, cum sit nihil incertius hujusmodi medicis divinationibus, nihil fallacius rationibus illis, quibus illae plerumque nituntur. Sed Cocchius nimis sibi confidens, putansque ex suis superioribus vere praedictis constituisse jam apud homines auctoritatem augurii & divinationis suae, non dubitanter & temere de vita aut morte aegrotantium ferebat sententias, quas rei exitus saepe erroris redarguebat. Ex quo factum est, ut per quos gradus ad famam excellentis medici pervenerit, per eos fere ad contemptionem descenderit. At nos, qui hujusmodi regula (casus enim in medicina dominatur) magnos medicos metiendos minime putamus, videmur posse contendere, Cocchium & prudentia & mentis acumine & exemplo & praeceptis & institutis (servat adhuc Florentinum nosocomium multa, quae jussu & auctoritate Principis ipse praescripsit) optime meritum de simplicis illius medicinae genere, quod majores nostri, ac in primis Franciscus Redius, praeclare fundatum nobis reliquerunt. Cum autem hos inter ingenio scientiaque jure putaretur excellere Laurentius Bellinius, magna cura & diligentia conquisivit Cocchius scripta illius, quae minime essent edita, eo consilio, ut ipse in apertum referret. Nec aliud quidpiam obtinere potuit, quam sermones quosdam Italicos de rebus anatomicis. Hos vero maximo ornamento affecit, cum quae praefatus est de materia, in qua singuli eorum versantur, de scribendi genere Bellinii proprio, de ejusdem doctrina, infortuniis, aliisque rebus ad ipsius vitam pertinentibus neque elegantius, neque eruditius scribi potuerint.

Digitized by Google

Paullo longius, quam par erat, Antonium efferre voluisse simplicem medendi rationem ii judicabunt, qui legent illa, quae exaravit de victu Pythagorico. Noverat longinqui temporis usu & periclitatione quam salubriter homines saepe se abstinerent a vino, uterenturque iis cibis, qui facillimi sunt ad concoquendum, quales sunt fructus, olera, lac, mel, & nonnullae etiam carnes, quae tenerrimae sint, minimeque pingues & glutinosae. Hujusmodi victus, quem ab illius auctore Pythagoricum appellamus, tantam esse utilitatem probare voluit Cocchius, ut nihil majoris momenti habere diceret ad artem suam exercendam non solum medicos, quibus salus proposita est, sed etiam eos, qui tanquam aliptae virium & coloris rationem habere debent. Fortasse Cocchius praedicari de se & nominari volebat, cum nova quaedam in medio proponeret: nec mirum, si incurrerit in reprehensiones nonnullorum medicorum, ac praesertim Josephi Antonii Pujati & Jani Planci, quanquam in eo laudandus est, quod non solum utilem, sed etiam necessarium esse probaverit ad sanitatem retinendam usum illorum ciborum, quos terra fert, dum ii virides adhuc retinent succum suum. Merito etiam usum lactis rerumque acidarum in medicina laudavit; & si his finibus se continuisset, neque voluisset excludere ab omnium mensa, ut a sua certe non excludebat, vinum & bestias, quibus vesci solemus, terrenas, aquatiles & volatiles, justa reprehensione caruisset. Consumpsit magnam orationis partem in Pythagorae factis, doctrina & moribus, quales a veteribus proditi sunt (videtur etiam aliquid addidisse de suo) exponendis, auspicioque est imagine illius philosophi suam adumbrare voluisse. Quo vero acrius vestigiis veterum moniti recentiores medici de simplicitate in medicina retinenda cogitarent, omnes antiquitatis memorias colligendas suscepit Cocchius, quae Asclepiadis nomen, vitam & scientiam in medicina facienda illustrare possent. Is est Asclepiades, quo Crassum medico amicoque usum, & a quo ceteros omnes medicos eloquentia superatos fuisse narrat Cicero; qui quidem praeclarus adeo auctor fuit simplicis medendi rationis, ut hujus exempla ab illo se petiisse

Digitized by Google

gloriaretur Redius. Totum hoc opus Cocchius quinque in partes dividere meditabatur, quarum prima exprimeret imaginem consuetudinis atque vitae Asclepiadis, reliquae exponerent praecepta illius diligenter enodata, recentissimisque observationibus aut confirmata, aut emendata. Extrema manus accessit priori parti; haecque est una ex omnibus, quae post Auctoris mortem lucem aspexerit. Secunda, quae physiologiam tractat, habet praeclara inchoata multa, perfecta non plane. Reliquarum non nisi sylva quaedam ad nos pervenit. Erant multi, qui dicerent videri sibi Cocchium, cum illustrium veterum medicorum instituta resque gestas exponeret, facere idem, ut ait Cicero, quod seditiosi cives solebant, cum aliquos ex antiquis claros viros proferebant, quos dicebant fuisse populares, ut eorum ipsi similes viderentur. Profecto ille vetera & veteres valde amavit; & tum se praeclare operam posuisse putabat, quando ex antiquitatis monumentis aliquid in apertum extraxisset, quod congrueret cum illa disciplina, quam ipse sequebatur. Sic volens convincere eos, qui negabant lotione aquae frigidae ali vires, nervos confirmari, & non paucos sanari posse morbos, ad multas, quas ex physica attulit rationes, addidit etiam exemplum auctoritatemque antiquorum. Probat enim illius usum communem vulgaremque fuisse non solum apud Romanos & Graecos, sed etiam apud Aegyptios, & ab his profluxisse ad hominum utilitatem. Inter morbos, quos frigida curari putat, est tabes pituitosa, qua laborasse Augustum post illius reditum a domita Cantabria dicit, contra ac narrat Svetonius, qui morbi illius sedem in jecore ponit; quapropter bene ac sapienter fecisse Antonium Musam, qui in illius curatione frigida fomenta, amotis calidis, adhibuit. Jussus inquirere num a veteribus medicis mentio facta esset vermium cucurbitinorum, hos ab iis obscure adumbratos potius, quam descriptos fuisse reperit. Neque a veteribus non modo, sed nec a recentioribus etiam, qui inter investigatores rerum naturalium principatum tenuerunt, quales profecto fuere Malpighius, Redius & Vallisnerius, satis hac in re factum fuit physicorum votis, credo, quod

Digitized by Google

raro accidat hujusmodi vermes videre. Semel iterumque vidit Cocchius, resque a se notatas in eo praesertim, quod spectat ad miras eorum inter se copulationes & adhaesiones, exposuit *Societati Botanicae*. At quoniam persequi instituimus, quae in veterum scriptis quaesivit Cocchius ad eas artes, quas profitebatur, illustrandas, erit hujus loci referre opus ab eo editum, donatumque Latina interpretatione, quod inscribitur: *Graecorum chirurgici libri, Sorani unus de fracturarum signis, Oribasii duo de fractis & luxatis e collectione Nicetae*. Magnum damnum fecerat illa medicinae pars, quae manu curat, quia misere perierant plurima veterum Graecorum volumina, quibus totam artem chirurgicam diligentissime comprehensam fuisse scimus. In hac jactura superfuerunt tamen, tenues veluti reliquiae, collectioues quaedam, inter quas tum scriptorum copia, tum utilitate longe ceteris praestat illa, quam saeculo XII. exeunte Nicetas confecit, cujusque exemplar Joan. Lascares Constantinopoli Florentiam adsportavit. Ex hac collectione excerpsit Cocchius Sorani & Oribasii libros, quos supra commemoravimus, hosque Latinos fecit, adnotationibus illustravit, & magnifice imprimendos curavit. Tales enim illos esse putavit, ut Graecae linguae studiosis, & iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum in chirurgia virorum, plurimum prodesse possent, & afferre adjumenta ad vitia quaedam corporis obscuriora dignoscenda, & certa & selecta praecepta ad morbos, quibus ossa afficiuntur, removendos. Docuit etiam Antonius lectores suos de reliquis scriptis in Nicetae opere contentis, & in quo illa versentur argumento, nonnullorumque specimen dedit. Nec sine corollario opus esse voluit, cum ex Mediceo Celsi codice, *quicum nullum inter omnes Italiae membranas aetate vel emendatiori scriptione comparandum esse* censuit Joannes Rodius, protulisset variantes VIII. libri lectiones, quae quidem plurimae erant, maximique momenti. Et ne res prorsus aliena a proposito videretur, fecit similitudo argumenti, cum ossa aut vitiata, aut fracta, aut de loco mota sibi curare Celsus libro in illo proponat. Hac re voluit etiam Coc-

chius aliqua ex parte satisfacere desiderio Morgagnii, a quo honorificentissimis sane verbis invitatus fuit ad evulgandas omnes, quas ex veterum exemplarium Celsi collatione excerpserat, variantes lectiones, quibus & facilior & felicior esset emendatio, in qua Morgagnius tum elaborabat, illius politissimi utilissimique scriptoris. Gloriabatur quoque Cocchius, magnis hominibus auctoribus & laudatoribus Meadio & Boerhaavio, se impulsum fuisse ad edendos Sorani & Oribasii libros, quapropter se effecturum, si vita & pecunia suppeterent, ut illorum alii similes ac veluti comites prodirent in lucem. Minime tamen hoc praestitit, cum ipsum quotidie aliud ex alio impedierit. Ad munera enim, quae sustinebat in nosocomio Florentino anatomes & chirurgicarum institutionum praeceptoris, nec non medici, ut appellant, consultoris, adjunctum fuit onus ordinate disponendi libros, quibus copiosissime instructa est bibliotheca Magliabechiana, nec non cura numismatum aliorumque monumentorum antiquitatis, quae mirum in modum ornant pinacothecam Mediceam, ad quae explicanda cum honorificentissime invitaretur a Carolo Rinuccinio, operam praesertim studiumque suum collocavit in iis, quae ad Graeciam pertinent. Implicabatur etiam Cocchius multis medicis curationibus & consiliis, quae ab eo praesertim requirebant exteri & absentes. Horum enim magna semper fuisse videtur opinio de illius prudentia in medicina facienda. Nec secus judicasse Emmanuelem Richecourtium ceterosque, qui Francisci I. Caesaris nomine Etruriam rexere, illud declarat, quod nulla fere res gesta sit publica ad medicinam quomodocumque pertinens, de qua prius sit decretum, quam Cocchii sententia cognita. Sunt in manibus hominum quae consultus respondit, ut probaret & auctoritatibus & rationibus minime phthysin inter contagiosos morbos numerandam esse. Nihilo tamen minus nonnulla prudenter esse cavenda dicebat; eaque lex, quam habemus de modo, quo tractari debent tabe affecti, & expurgari res, quibus ii sunt usi, fere tota ex ipsius sententia condita fuit. At nihil honorificentius facere potuit Richecourtius, quam ut Cocchii in primis esset judicium,

Digitized by Google

quid maxime conduceret ad restituendam jamdiu sublatam Pisanis balneis celebritatem. Haec vero, quo major esset sua quoque commendatione, de iisdem balneis opus conscripsit vulgavitque, in quo postquam loci situm, caeli naturam, & nonnulla ad historiam Pisarum pertinentia (historicum etiam agit in fine operis) descripsisset, in eo philosophari incipit, ut definiat qui sit aquarum color, odor, sapor, pondus, calor, vis & effectus, partesque, quibus componuntur. In harum rerum caussis assignandis si se abstinuisset ab iis, quarum cognitio ab exquisita quadam doctrina physica pendet, prudentius quidem egisset. Ait enim, ut unam rem exempli caussa ponam, hujusmodi aquas vitri pelluciditatem idcirco habere, quod in iis magna insit raritas ab interno emanans aere; hoc vero paullatim aufugiente, quod evenit, quando aquae separantur a fonte, & ab externo tanguntur aere, tum ipsas densari aquas, & nonnihil nativae pelluciditatis amittere. Quod ad aquarum vero naturae investigationem per chemica experimenta pertinet, haec non ita diligenter instituta videntur, ut non multa illius artis intelligentes desiderent. Exornat ample magnificeque Antonius, in quo maxima libri pars versatur, aquarum virtutem, sic ut ad omnes fere sanandos morbos (adeo liberaliter cum iis egit) utilissimas esse praedicet. At si quid inest in hoc aliisque libris Cocchii, quod minus probari debeat, non ille quidem fraudandus est merita maximaque laude, ita scilicet eos scripsisse, ut nullius scripta fuerint & eruditione, & lepore & festivitate orationis conditiora. Ex diligenti & nunquam intermissa lectione veterum scriptorum comparavit sibi eruditionem; ut vero ad perfectam dicendi laudem perveniret, multis litteris & exquisitis, maximisque exercitationibus fuerat consecutus. Porro non fuit Cocchius unus ex multis elegantibus scriptoribus; potius inter multos prope singularis fuit, & suam quamdam effinxit formam dicendi, quae ita libere fluit, ut nusquam adhaerescat, ita pura est, ut nihil liquidius, ita composita, ut nihil in ea sit humile, insolens, aut longius ductum; & quae translata sunt ad illuminandam orationem, ea non irruisse in alienum,

sed

sed in suum potius immigrasse locum videntur. Accedit numerus & ordo rerum plenus artis, & comprehensio exquisitarum reconditarumque sententiarum, & frequens usus oppositorum, quae proprietates rerum non tam indicant, quam ad vivum exprimunt. Sed qui apud alios loqui adeo didicerat, non multum ipse secum. Existimabat enim suo jure posse dicere per se Etruriam ad pristinae gloriae spem revixisse, se jam obtinuisse principatum in medicina ceterisque facultatibus, ex quibus illa conflatur; & levior Demosthene, qui illo susurro delectari se ajebat aquam ferentis mulierculae insusurrantisque alteri: hic est ille Demosthenes, non solum monstrari digito gaudebat, sed etiam pene indignabatur, nisi monstraretur. Discipulos suos non modo pios, sed etiam venerabundos habere volebat; & quae iis tradebat, tanquam ex oraculo edi a se putare coarguebatur. Cujus rei suspicionem id non minimum augebat, quod esset tardiloquus, & omnium verborum ponderibus uteretur. At nimium intoleranterque sibi Cocchium plausisse illud praesertim declarat, quod C. & amplius volumina scripserit ephemeridum rerum suarum, ad quae delegamus eos, qui nos reprehendere solent, quod in declarandis illustrium virorum factis & moribus nonnulla praetermittamus. Ex illis enim intelligent qua hora cubitum ierit, & qua surrexerit Cocchius, quid somniaverit, quibuscum, & quo in loco sermones habuerit, quibus cibis, & quam delicatis (neque enim in ejus victu, uti supra innuimus, terra nata solummodo erant in honore) ejus mensa extrueretur, quo uteretur pistore & coquo, quos sibi convivas adduceret; quam ab iis collectam exigeret, num in sole, num in umbra ambularet, ceteraque hujusmodi levitatis plenissima. Sunt qui superbiae vitio vertunt, quod Cocchius adeo contempserit oppugnatores suos, ut ne verbum quidem iis unquam responderit. At nos libentius in hoc agnoscimus tranquillitatis studium, animique constantiam magnitudinemque; ex quo fiebat, ut & multorum morositatem perpeteretur, arrogantiam perferret, & vel dumesticas sollicitudines exsorberet. Nam Socratem imitatus eodem vultu domo exibat & revertebatur. Consu-

lebat quid maxime conduceret ad vitae felicitatem, & hoc studioſiſſime conſectabatur; adeoque illi favit fortuna, ut in eo valde ſe amaret, quod & famae ſuae & tranquillitati belliſſime ſemper ſervierit. Habebat plura & honorifica munera, & ex iis divitias non ſolum ad uſus vitae neceſſarios, ſed ad cultum etiam elegantem & ſplendidum. Depoſito onere docendi medicinam in Academia Piſana, quamvis nihil poſtea de Academiae commodis cogitaverit, obtinuit tamen an. 1745., ut Anatomes *Emeritus Profeſſor* declararetur, ut ab Academia abeſſe ſibi liceret, utque ex illius aerario CLX. centuſſes ſibi quotaunis ſolverentur. Ad excolenda ſtudia ſua, & ad pompam etiam, cum multorum nummorum bibliothecam habere voluiſſet, hanc magna ex parte collegit ex amicorum liberalitate. Floruit enim ſemper ſummorum clariſſimorumque virorum familiaritatibus. Plurima & inſignia facile conſecutus eſt doctrinae teſtimonia. Nam multis erat Academiis adſcriptus; homines litteris clari libros illi dedicarunt; percuſſum etiam ab amico numiſma cum effigie ejuſdem, & cum expreſſis ſignis illarum diſciplinarum, in quibus putabatur excellere. Illius domus magna frequentia illuſtrium hominum, & praeſertim exterorum, qui Florentiam adventabant, quotidie fere celebrabatur. Ex Thereſia Piombantia (neque hoc dubitamus in maximis illius proſperitatibus ponere) filium & filiam ſuſcepit, qui paternam gloriam plurimum auxere. Fuit enim Raymundus multis & graviſſimis artibus atque doctrinis, & ingenio prorſus ſingulari inſtructus atque ornatus. Beatrix vero, quae nupta erat Angelo Tavantio homini ampliſſimis honoribus & praemiis decorato, habuit & ipſa quoque a natura eximium ingenium, cujus ſpecimen dedit, cum an. 1751. e Britannica in Italicam linguam convertiſſet, & in lucem emiſiſſet quamdam epiſtolam, qua recens nuptae ſalutaria praecepta dantur. Qui hanc epiſtolam legerint, non dubito, quin puellam Mucellanam (ſic libuit auctori ſe appellare) patris elegantia, quemadmodum de Laelia Caii filia praedicavit Cicero, tinctam videant. Antea quoque duxerat Cocchius in matrimonium Cajetanam Debiam, ſed ex ea nullos habuit liberos. Mul-

ti profeſto mirabuntur hominem ἄγαμον auſum fuiſſe ea de matrimonio ſcribere, ut quidquam libero leſtulo negaverit eſſe jucundius, magiſque neceſſarium ad tranquille beateque vivendum. Luſiſſe arbitror Cocchium dum haec ſcripſit, aut, ut ſolebat, oſtentandi ingenii cauſſa rem, quae eſſet mirabilis & contra omnium opinionem, voluiſſe defendere. Sed ita compreſſit ſcriptum, ut nunquam emanaturum putaverit, cumque emanaſſet poſt illius mortem, judicio Romanorum de Religione Quaeſitorum merito damnatum fuit. Ita feliciter cum vixiſſet Cocchius an. LXII. menſes IV. dies XXVIII., placide acquievit, omnibus religionis officiis rite ſanſteque perſolutis, Kal. Jan. an. 1758. ſepultuſque fuit in Aede S. Crucis prope Michelii ſepulcrum. Ejus diſcipulus & amicus Dominicus Brogianius marmoreum monumentum ei faciendum locavit, in quo hoc ſcripſit elogium.

D. O. M.

ANTONIO. COCCHIO
PHILOSOPHO. ET. MEDICO
PRAESTANTISSIMO
FRANCISCI. CAESARIS. ANTIQVARIO
DOCTRINARVM. LINGVARVM. QVE
PERITIA
PRVDENTIA. PROBITATE
BENEFICENTIA
SVIS. EXTERIS. QVE. PROBATISSIMO
DOMINICVS. BROGIANIVS
AMICO. ET. PRAECEPTORI. GRATVS
POSVIT. ANNO. S. MDCCLXXIII.
AB EJVS OBITV XV.

Pauci supersunt medici, de quibus a nobis dicendum esse videatur. Inter hos ingenio sane & doctrina praestitit Dominicus Maria Cajetanus Pasqualius Liburnensis, qui totos novem annos ita dialecticam docuit, ut per eum, teste Soria, sordes eluerit, quibus ceteri ante ipsum magistri illam contaminaverant. Bonus & mataphysicus & geometra existimabatur, non expers erat poeticae suavitatis, cum esset in sua potestate vis incitatioque mentis, adeo vero prudens in medicina facienda, ut nihil auderet, omniaque ad experientiam certioraque dogmata referret. Quid animi affectiones, quarum erat acutissimus indagator, possint in valetudine perturbanda etiam atque etiam videbat, qua de re, & de caussis, quae illas movent, opus conficere meditabatur. Cum vero an. 1735. ad theoricam medicinam docendam vocatus fuisset, omne id, quod recentiores medici tum Britanni, tum Galli, quorum linguas bene noverat, ex optima disciplina tradiderant sic exponebat discipulis suis, perinde ac si nulla in re peregrini atque hospites illi esse debuissent. Non ultra triennium apud nos mansit, jussus practicam medicinam tradere Florentiae, in locum Josephi Avanzinii Roboretani suffectus (1). Docuit & ethicen in Lyceo Florentino, quam scientiam tanquam filiolam videbatur osculari suam. Qui multorum saluti consuluerat, haud potuit acuta febri correptus consulere suae, vitamque amisit an. 1745. cum complesset nondum XLV. aetatis annum. Nihil in eo fuit falsum, & imitatione simulatum, & cum sedulitate in omni obeundo officio sibi ipsi sa-

(1) *Edidit Pasqualius Florentiae anno* 1744. *epistolam quamdam ad Josephum Bertinium, ex qua intelligi potest quanta abundaret medica & anatomica doctrina, per quos in ea profecisset, quantum tribueret mercurio in quibusdam curandis morbis, quam magni faceret Redium, quam parvi (quod miraberis) Josephum de Papa, aliosque, qui ab eo, quod experientia docet, & ratio suadet, animos avertebant. Vid.* Giornale de' Letterati Pubblicato in Firenze Tom. III. Part. I. Art. VI.

tisfecisset, facile contempsit invidorum voces, tulitque conscientiae suae fructus amplissimos. Iisdem fere temporibus bini ex Verzaniorum Bargaea familia medicinam apud nos docuere. Talis profecto erat Cajetanus, ut omnes ejus ingenium, mores, studia, doctrinam & diligentiam amarent. In Christophoro vero Theodoro, qui antequam medicinam Pisis traderet, Volaterris fecerat, voluntas magis prospiciendi discipulorum utilitati, quam res ipsa apparuit. Uterque dialecticae quoque scholae praefuerunt, & senior per totos XV. annos. Coactus demum an. 1735. propter incommodam valetudinem vacationem ab scholasticis exercitationibus petere, se in patriae otium retulit, ibique vitae cursum explevit XIV. Kal. Feb. an. 1736. Christophorus autem Pisis mortem obivit an. 1762. summaque ab illo data est opera, ut gratissimus in Academiam, & in Pisanos, a quibus singularibus beneficiis ornatus fuit, cognosceretur (1). Bonitatem etiam magis, castissimosque mores, quam doctrinam (de praestanti loquor) laudasses in Rainerio Bonaparte Miniatensi, qui per totos XXV. annos (obiit enim an. 1761. V. Id. Decembris) summa diligentia consuluit medicinae studiosis. Restat, ut de Nicolao Gualterio dicamus, cujus

(1) *Extat monumentum illius in Pisana Aede S. Petri* a Ischia, *in quo haec est inscriptio*

Christophoro Theodoro Verzanio Bargaeo ingenio doctrina eruditione prudentia morum candore atque integritate spectatissimo, qui Volaterris per an. XX. salutarem artem maxima cum laude exercens, in civium nobilium ordinem una cum Verzania gente cooptari meruit. Mox a Jo. Gastone M. E. D. an. 1735. in Academia Pisana Medicinae Professor honorificentissime renunciatus in en tradenda faciendaque Civium atque Exterorum amorem & plausum sibi conciliavit. Demum Pisis An. Chr. MDCCLXII. Prid. Non. Apr. annos natus LXXI. Mens. IV. D. I. piissime obiit. Alexander & Franciscus ex Constantia Lamia filii Parenti optimo & desideratissimo moerentes posuerunt.

fama late manavit, cuique nullus non habitus est honos. Huic frater fuit Jo. ille Paullus, de quo alibi mentionem fecimus, homo religiosus & sanctus, in quo imaginem antiquitatis dixisses intueri, pater vero Laurentius, mater Margarita Cardavellia. Florentiae ortum habuit VII. id. Julii an. 1688., in pueritia autem bonis artibus, & disciplinis institutus fuit tum in Miniatensi, tum in Pratensi Seminario, postmodum Pisis, ubi Kal. Maii an. 1713. insignia doctrinae accepit a Zambeccario. Hoc duce, plurimum se exercuit in anatomia, tabulasque sibi ipse comparavit anatomicas, cum graphidos scientiam teneret. Frequentavit etiam Florentiae nosocomium S. Mariae Novae, & si quid novi animadvertisset vel in aegrotis curandis, vel in cadaveribus scrutandis non cum suis modo communicabat, sed etiam cum illustribus quibusdam Germanis medicis, quos noverat degens Vindobonae ad duodeviginti usque menses. Minime ignotus fuit cursus industriae illius Cosmo III. quare illi mandatum dedit, ut ad Portum Ferrarum se conferret curandi caussa contagiones malorum, quibus urbs illa misere affligabatur. Illuc Florentiam rediens dictus est medicus Violantis Mediceae, mortuo autem Josepho de Papa curavit aulae Archiatrus valetudinem Jo. Gastonis M. E. D. ejusdemque Doctoris locum in Academia Pisana (cathedram enim regebat, ut loquuntur, de morbis mulierum) occupavit. Dum in Insula Ilva fuit, multa collegit ad historiam naturalem pertinentia; haec vero desiderium in eo commoverunt magis magisque augendi museum suum, quod potuit facile & liberalitate Magni Ducis, & studiis Michelii & Jo. Targionii. Hortum & Botanicum habere voluit laetum rarissimis plantis, & quo haec studia quotidie plus excolerentur, instituit, ut alibi innuimus, adjutoribus Cajetano Monelia, Michelio & Jo Sebastiano Franchio, *Societatem Botanicam*, ad quam flos omnis nobilitatis & juventutis concurrebat. Ut ille efferebatur laetitia, cum videbat adolescentes ad praeclara suscipienda bene animatos, ut studiose curabat, ne summa ingenia in occulto laterent, ut commemoratio alienae virtutis ipsum delectabat, ut prae gaudio illi prosiliebant lacrymae, cum quos domi

suae convocabat, rerum physicarum cultores suis officiis paupertate liberatos conspiciebat! Ut vero ad omnes, si fieri potuisset, utilitas perveniret earum rerum, quas summo cum labore collegerat, an. 1742. non eleganter modo, sed & magnifice imprimendum curavit *indicem Testarum Conchyliorumque*, quem sequi debebat index alius plantarum maritimarum, ad quem typis committendum multa magno cum sumptu praeparaverat. Sed obstitit mors, ne inchoata perficeret. Merito quidem vir summus Linnaeus volumen illud absolutissimum appellavit, quod illi nihil desit vel ad ordinem, vel ad explicationem rerum, vel ad dictionis Latinae elegantiam. Quale autem futurum fuisset secundum volumen, judicabis ex Latina epistola Auctoris ad Janum Plancum (1) *de stella quadam marina echinata*, quae unica pars erat musei regali nomine digni, quoque nunc ornatur Academia nostra. Factum id liberalitate Francisci II. Lotharingii, cujus singularia in Academiam ipsam & universam Etruriam beneficia nulla unquam delebit oblivio. Male mihi sit, ajebat Gualterius, si unquam quicquam tam enitar, quam ut prosim meis civibus, quae voluntas si minus belle a nonnullis accipiebatur, id assignabis invidiae, quae solet lacerare ejusdem artis professores. Bene enim Hesiodus: κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει. Vidit hoc Gualterius in ea, quam cum Vallisnerio habuit controversia de fontium origine, de qua librum an. 1725. emiserat omni elegantia expolitum, ut probaret (minus fortasse vere) eas a mari exoriri. Nam omnis fere turba medicorum Florentinorum arma adversus eum sumpsit, magnoque opere efflagitatum fuit a Violante Medicea, ne Archiatro suo iterum in scenam prodire permitteret. Ultra quam satis esset de hac re disputatum Florentiae fuit, & erat profecto in Gualterio talis animus, ut facile cederet adversariorum audaciae tranquillitatis cupidissimus. Ad haec nil tam

(1) Dissertazioni Fisiche. Lucca 1743.

volebat, quam morem gerere Dominae suae, quae humanitate illius, probitate & eruditione in consuetudine quotidiana mirum in modum delectabatur. Nec minus plenam pietatis ipsius voluntatem amabat Magnus Dux; neque mentiri videbor, si affirmavero, cultum eumdem fuisse ab iis omnibus, qui doctrinam, honestatem, candorem, temperantiam, moderationem omneque virtutis genus in pretio habebant. Vir ad humanitatem societatemque hominum factus minime mansuetiores musas neglexit, quin immo coluisse videtur, ut conjici potest ex musico quodam dramate, quod ab ipso Metastasio plurimum laudatum fuit (1), aliisque Italicis carminibus huc & illuc sparsis. Vel ex tempore illa fudisse dicitur, quod animi & ingenii celerrimi in ipso erant motus. Vitae cursum explevit XV. Kal. Martias an. 1744. sepulcrumque sine monumento habuit in Florentina Carmelitarum Aede. Atque haec de medicis dixisse sufficiat. Restat unum, ut de humaniorum litterarum magistris dicamus, quod non multis praestabimus, cum nimium excrevisset magnitudo voluminis.

CA-

(1) *Haec Jo. Lamius*. Avendo destinato il Cav. Francesco Maria Gaburri Presidente dell' Accademia del disegno di fare nella sala del Palazzo Vecchio una pubblica Accademia di pittura, da celebrarsi ancora con una composizione poetica, il Dot. Gualtieri fu quello, che elegantemente la compose; ma essendo il degno pensiero del Gaburri frastornato dall' impensata morte del G. Duca seguita nel 1737. fu quella Cantata del Gualtieri recitata poi a Vienna nel Palazzo Cesarco, ed ivi tanto approvata dal celebre Pietro Metastasio, che per lettera si congratulò coll' Autore, statogli incognito per l' avanti.

CAPUT XVII.

De Humaniorum Litterarum Magistris.

IN hoc statu erant humaniores litterae, quando Paganinus Gaudentius e Romano Lyceo ob Scapinellii ab Academia discessum ad illas apud nos profitendas vocatus fuit, ut omnes fere sequerentur dicendi genus vel sordidum, vel inflatum nimis, omnino vitiosum: quod ab Imperii Romani inclinatione ortum, veluti indicium servitutis, eo studio & diligentia propagatum est a Barbaris hominibus, ut omne disciplinarum genus foedarit. Quanquam multi saeculo XVI. extiterint, qui ad aureae aetatis scriptores respicientes, inveteratam barbariem delere adlaboraverint, brevi tamen homines in veteres tenebras reciderunt, ut qui pejus dicerent, melius loqui putarentur, qui obscurius, litteratius quam ceteri. Placuit commentum desidiosis, ut sincera linguarum castitate veluti religione se exsolverent, nullisque legibus se adstringerent, qua licentia pro bene sonantibus verbis horrida, pro usitatis nova, pro exquisitis vulgaria attulerunt, nulla ordinis, nulla numeri, nulla stili, nulla sententiarum rei, de qua agitur, convenientium habita ratione. Nemo sane negare poterit, quin magnam vim ingenii a natura habuerit Rhaetus ille Gaudentius, eamque industria pene incredibili aluerit, ut multarum disciplinarum peritissimus haberetur & esset; peream tamen si ejus scripta, quae innumera prope sunt, legens, ejus loquacitatem, & inconditum dicendi genus patienter ferre potueris. Nihilo tamen minus & disertus & eloquens a multis habitus est, judicatusque ita sustinuisse munus oratoriae & poesis docendae, quod

summa cum dignitate ei delatum assignatumque fuit anno 1628., ut nihil illi deesset & ad emolumentum studiosae juventutis, & ad ornamentum Academiae. Qua in re illud profecto mirandum fuit, hujus Praefectos, homines sane non omnis elegantiae expertos, qui neque fabro imperito credidissent veteres parietinas, neque sortito operas ad agrum colendum conduci voluissent, non vidisse quantum conveniebat esse Pisis, ad quam urbem tanquam ad mercaturam bonarum artium concurrebat omnis flos Etruscae & Italicae nobilitatis, talem eloquentiae praeceptorem, qui nobilissimam hanc artem ab illius inficetissimi saeculi licentia tueretur, pristinaeque dignitati restitueret. Fuerunt, qui me objurgarent, quod multis verbis Rhaeti hujus vitam explicaverim; sed id ea mente feci, ut haberem, ad quod delegarem lectores in Academiae historia conscribenda. Quare nunc de eo dicturi paucis contenti erimus. Is Pesclavii natus an. 1596., celebriores Germaniae Academias peragravit, multos audivit, multisque disciplinis imbutus est. In eo vero sapientissimus existimandus est, quod errores Calvinistarum ab se rejecerit, honores ultro oblatos repudiaverit, Romamque confugerit, quo liberius & tutius religioni, divinisque litteris vacaret. Ibi *de dogmatibus & ritibus veteris Ecclesiae* librum vulgavit, neque multo post *Velitationes adversus Chamierii panstratiam*, quae scripta cum parvi fieri intellexisset ab iis, qui ejus augendae fortunae potestatem habebant, hanc a Mediceis Principibus quaesivit. Statim ac Pisas venit una atque altera oratione exposuit quid sentiret de universa eloquentia, illud & probans sine graviorum artium instrumento, & multarum rerum, ac praesertim civilium usu & prudentia ipsam non posse existere. Sed aberat plurimum ab ea arte, de qua satis perite disserebat, nec illi serviebat, dum laudem quaerebat ex dictione extemporali, quanquam magno cum plausu in Insubria, Romae, & in Etruria hanc adhibuisse affirmabat. Fudit & carmina ex tempore tum Latina, tum Italica, neque ullum fere erat genus litterarum, in quo multo cum labore se exercuisse non gloriaretur. Teste Sommaja, noverat Graecam linguam, quam Romae publice do-

tuerat, attigerat & Hebraicam, Arabam, & Chaldaeam; multum versatus erat in divinarum rerum scriptoribus, in omni historia, praesertim Romana, omnique antiquitate; leges, mores, atque instituta veterum populorum tenebat; omnino talis erat vir, ut ingenio & doctrina numerasses in doctissimis suae aetatis, si didicisset ordine, elegantia, & judicio quodam & electione rerum scripta sua ornare. Quare minime est mirandum si laudatores, ut & reprehensores plurimos habuerit. Magno quidem Duci acceptissimum fuisse ex illo conjici potest, quod dum is Pisis commorabatur, saepe aderat mensae illius, de omni re, quaecunque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profiteus. Praeter eloquentiam publice apud nos docuit politicen & historiam, & ad breve etiam tempus jus feudale, ut ajunt, extra ordinem: innumera vero fere sunt quae vulgavit scripta, theologica, civilia, historica, poetica, oratoria, philosophica, & id generis alia, quorum indicem contextnm habes in XIV. volumine, quod a nobis est editum, de vitis Italorum doctrina excellentium. Quod elatius se efferebat, domi vero sic se continebat, ut vitare velle videretur hominum consuetudinem, quodque vultu, motu corporis, & sono vocis & moribus etiam agrestis erat, quodque auguriis rerum futurarum fidem praestabat, multorum invidiam, contemptum & risum facile in se concitavit. Ceterum vir fuit singulari integritate atque innocentia, & diligentia summa in exequendis iis, quae sui muneris erant. An. 1649. ab Inc. III. Non. Jan. obiit Pisis impavidus, ut de eo testatus est Bartholomaeus Chesius, qui illi monumentum posuit in Sepulcreto Pisano, quod Campum Sanctum dicimus. In Gaudentii locum successit Julius Caesar Bazzardus Sergianensis, sed is ad perpaucos menses, neque admodum feliciter & gloriose, operam tribuit Academiae: nam Novembri mense an. 1650. declaratus est humaniorum litterarum magister Joannes Gamba Paulli nobilis Ravennatis filius, cujus eruditionis opinio aliqua fuit, quam fortasse sustinuisset, si, ut tibicen Xenophontius a cantendo, ita hic a dicendo se abstinuisset. Vir natura & institutione sanctus & reli-

giosus nomen dedit societati illi, quae dicebatur Clericorum Regularium Boni Jesu, quaeque non diu fuit ob Sodalium paucitatem. Illa deleta a Petro Aldobrandinio Cardinali & Ravennatium Archiepiscopo, Gamba Romam profectus est, ubi procuravit negotia quarumdam urbium Aemiliae, & in Deum pietati & in litteras studio servivit. Cum minime defuissent homines gratiosissimi, & in his Aloysius Capponius Cardinalis, qui illius dignitatem commendarent Ferdinando II. & ingenium laudarent, sumpto testimonio ex quibusdam orationibus, & carminibus, quae semel iterumque Bononiae typis impressa fuerant (1) addictus, ut diximus, Academiae fuit cum stipendio CCC. centussium, sed non ultra biennium in ea mansit, cum minus sibi salubre caelum Pisanum expertus fuisset. Redditus patriae tamdiu ibi fuit, dum amissam valetudinem recuperaret, postea se contulit Ariminum delectus, ut vocant, Vicarius Generalis illius urbis Episcopi, a quo demum praefectus fuit Longianensi paroeciae (Archipresbyterum dicunt), quo in exercendo sancte munere diem obiit supremum V. Id. Octob. an. 1671. cum ageret annum LXV. Anno post discessum Gambae declaratus fuit humaniorum litterarum magister Valerius Chimentellius, de quo satis multa supra narravimus, hoc autem mortuo an. 1669. illarum cathedra vacua doctore fuit eatenus, quoad an. 1673. ad illam occupandam ex Hispania, ubi aliquandiu fuerat Batavorum Legati assecla,

---

(1) Il Valor Romano, ovvero le lodi della B. Margarita di Molli da Russi Istitutrice della Congregazione del Buon Gesù di Ravenna.

L'oro consacrato, ovvero le lodi della Beata Gentile de' Giusti da Ravenna coadiutrice della B. Margarita.

Panegyrica prolusio in reditu Eminentiss. & Reverendiss. Principis Aloysii Card. Capponii ad suam Ravennatem Ecclesiam.

Pium coeli & terrae jurgium super humanis Mariae Virginis Assumptae exuviis, carmen Panegyricum.

In obitum Serenissimi Principis Francisci Medices, Elogium Panegyricum.

venit Jacobus Gronovius Jo. Friderici filius, viri, ut ipse illum appellat, litterarum studiis clari. Factum est id praesertim opera Antonii Magliabechii, nec sane ullus majori in expectatione fuit, quam concitaverat clarorum virorum testimoniis, dum in Academia Oxoniensi & Cantambrigiensi studiorum caussa commoratus est, & dum redux in patriam (natus erat Daventriae oppido Belgii foederati nobilissimo) plura vulgavit in Macrobium, Polybium & Tacitum. Ex his enim lucide apparebat quanta & quam recondita abundaret doctrina Graecarum Latinarumque litterarum. Iisdem temporibus ad Academiam accessit Norisius, utque tanti hi viri quibus de rebus vellent inter se communicare possent, utque amicitia eorum confirmaretur vehementius, ejusdem Magliabechii consilio & Magni Ducis jussu contubernii necessitudinem inierunt. Quae vero fuerit prima ingressio illorum ex litteris Friderici Nomii ad Magliabechium ipsum intelliges (1). Scimus etiam ex Redii epistolis incurrisse Jacobum in varias legulejorum reprehensiones, quod Bartolum & Baldum appellaverit Latinae majestatis carcinomata & sterquilinia, atque extitisse Doctorem qui pro iis defensionem in vulgus emitteret. Male etiam audiebat Gronovius, quod

(1) Il P. Noris fece l'ottava dell' ingresso del Sig. Gronovio, e parve che l'offizio concordasse, perchè l' uno e l'altro fu de solemnioribus. Il Gronovio più culto, il Noris più grave: quegli più fiori, questi più frutti: il primo mostrò le grazie, il secondo le virtù: ambedue il Latino candore diverso, ma lo stesso, il più giovane come la neve, il più maturo come il latte appreso. Che devo dir di più? Furono lodati dall' invidia, e riportarono applausi dalla malignità. Se poi qualcheduno, che forse non dovrebbe parlare, ha parlato male, io lo reputo o difetto di natura o mancamento d' intelligenza. Creda VS. sincera la mia relazione, e non creda altrimenti.

Pisa li 28. Feb. 1673. A. I.

Digitized by Google

Calvini erroribus prorsus erat addictus, & quod suarum virium conscius omnes fere prae se contemnebat, & quod durum agrestemque se praebebat in disputando. Porro quid asperius fieri potuit iis controversiis, quas habuit cum Fellero, Perizonio, Vossio, Fabretto, Blancardo, Clerico, Kustero aliisque doctissimis viris? Nihilo tamen minus non caruit amicis propter summam doctrinae opinionem, atque relicta Academia nostra paucos post menses, quam ad illam venerat (1) cum Venetias accessisset, magnis stipendiis invitatus est, ut

(1) *Quae ad Gronovii commorationem Pisanam pertineat his verbis narravit Norisius ad Raphaelem Fabrettum scribens*. Intendo le di lei ragioni di risentirsi contro il Gronovio; ma circa le cose di Pisa, le sono state date informazioni lontane dal vero. Egli ebbe quella lettura con 400. Se. di stipendio, e cento di donativo pro una vice. S. A. lo provvide di casa addobbata. Il Sig. Ferrante Capponi lo tenne circa un mese alla sua mensa, e poi mi disse che S. A. aveva desiderio, che conversasse meco, e fosse mio comeosale, acciocchè lo disponessi a lasciare il Calvinismo. Stette dunque mio comeosale tre mesi, ma non scroccò, mentre pagava la sua porzione al mio spenditore. Intanto un Cardinale mi scrisse da parte della Congregazione del S. Uffizio, che non volevano permettere che un eretico leggesse in Pisa, il cui Studio non ha altre entrate, che le decime Ecclesiastiche. Ne parlai a S. A. come poi fece ancora M. Naoaio Airoldi. Rispose S. A. che ci erano stati altri esempj. Intanto il Gronovio terminato l'anno corso, informato delle istanze di Roma, scrisse una lettera a S. A. e col pretesto di necessità di ripatriare rinunziò la cattedra. Questa è la pura verità del fatto. Egli sospettò, ch'io avessi passati sinistri uffizj nella corte, nè valsero i lunghi discorsi a disingannarlo. Si partì con quella opinione, nè venne a prender congedo, nè mai mi ha mandato un saluto. *Plura de Gronovio vide in epistolis Clarorum virorum ad Magliabechium, quas edidit Jo. Targionius. Vide etiam* Niceronium Vol. II. Chaufepiè, Acta Lipsiensia an. 1717. & Saxi Onomasticon.

Patavinae Academiae operam locaret. Sed cum hereditas illi a propinquo venisset, sibi studiisque suis unice vivere decrevit. Nihilo tamen minus negare haud potuit Lugdunensibus suis, quin locum honorificentissimum in eorum Academia occuparet, & anno 1702. ceteris titulis accessit etiam ille Geographi Lugdunensis. Infinitus essem, si ea omnia commemorare vellem, quae scripsit atque edidit. Cum anno 1716. totus in eo esset, ut novis commentariis Tacitum exornaret, & filiam natu minimam, quam singulari amore prosequebatur, repentino amisisset, tanto moerore perculsus fuisse traditur, ut eodem morbi genere XII. Kal. Novembres e vita migraverit. Binos alios reliquit liberos, quorum alter medicinae, alter juris prudentiae, & elegantioribus litteris se consecrarunt.

Post Gronovii ab Academia discessum siluit humaniorum litterarum cathedra per octo annos. Nam an. 1682. ad eam regendam vocatus est Benedictus Averanius. Hoc autem mortuo an. 1707. siluit iterum ad diuturnius tempus, eatenus scilicet quoad Alexander Politus an. 1733. in illius locum successit. Diximus multa de his viris eo in capite, in quo de Graecae linguae magistris egimus; quare hoc superest unum, ut pauca narremus de Benedicto Buonmatthaeio, cui contigit uni, ut Etruscae linguae praecepta in Lyceo nostro traderet. Natus is est Florentiae V. Id. Sext. an. 1581. patre Vincentio, homine non solum antiquitate generis, verum etiam patientia paupertatis ornato, matre autem Beatrice Strada, ipsa quoque nobili & castissima femina, qui septem usque liberos suscepere, quorum natu major fuit Benedictus. Nondum hic ex ephebis excesserat, cum patrem ob illatam ei ab inimico necem amisit. Itaque voluntati matris parere coactus, ad faciendam mercaturam prorsus instituebatur, qua ex re una praesidium labenti familiae quaerendum ipsa putabat. Sed ad majora eum genuerat & conformaverat natura. Litterae, historiae, cognitioque rerum, poetarum evolutio sic animum illius occuparunt, ut sine his insuavem vitam existimaret, cumque grandior jam factus ad Marcellum Adrianium publicum litterarum Graecarum Etruscarum-

Digitized by Google

que magistrum ductus fuisset, huic diligentissimam operam dedit. Audivit etiam, qui primi putabantur in urbe Florentia, philosophiae & theologiae magistros, quibus praesidiis instructus venit ad Academiam Pisanam, a qua juris prudentiae insignia accepit. Cooptatus quoque fuit an. 1611. in collegium Theologorum Florentini Lycei, cum presbyter factus militare ecclesiae coepisset vel sacrarum virginum coenobia regens, vel ad populum in asceteriis orationes habens. Romam deinde profectus est, & commendatione Petri Guicciardinii, Magni Etruriae Ducis ad Summum Pontificem Legati, cujus rem familiarem curaverat (domus praefectum dicunt) a bibliotheca & a studiis fuit Benedicti Justinianii Cardinalis, a quo nihil non sperare poterat. Post haec triennium fere cum Presbyteris Sodalitii, quod S. Hieronymi Charitatis dicitur, versatus est, ut liberius studiis & Deo vacaret. Sed familiae caritas coegit eum Romam deserere. Nam magnum illa in periculum ac discrimen vocata fuit, quod ejus frater Jo. Baptista paterni sanguinis ultor fuerat. Quam ob caussam cum ad Venetos ipse confugisset, eorum stipendia meruit, & vitam in bello amisit. Ex quo factum est, ut Benedictus Venetias concesserit, qua in urbe patronos liberalissimos, atque in his Jo. Contarenum, facile nactus est ob opinionem, quam omnes de illius doctrina, animique virtutibus habebant. Gratiam quoque sibi conciliavit Marci Cornelii Patavinorum Pontificis, a quo in regendis Virginum monasteriis aliisque hujusmodi rebus adhibitus fuit. A Francisco vero Justinianio Tarvisii Episcopo Paroeciam obtinuit, quo munere se an. 1626. abdicavit, ut levamen afferret matri, quae Francisci filii morte ab inimicis mulctati casum orbitatemque deflebat. Redditus Benedictus patriae dedit operam, ut sacerdotio augeretur, cum summum illum studium teneret consulendi animarum saluti. Et declaravit ei saepe Ferdinandus II. se ejus votis satisfacturum: sed minime praestitit re, quod verbis promiserat. Miraberis vero quod petenti a Bondelmontiis Paroeciam S. Mariae ad Arni ripas culpae datum fuerit, quod nimium temporis in frequentandis

Digitized by Google

dis Academiis & in colendis litteris consumeret (1), quasi hae indignae presbytero essent. Coactus itaque litterarum defensionem cum sua conjungere, ea scripsit, ut imaginem suae vitae quotidianae expressam facile omnes intuerentur. Porro nullum erat litteratorum hominum sodalitium (plurima autem tum erant Florentiae) ad quod non admitteretur Benedictus, consequebaturque celebritatem sermonis hominum sive de rebus grandioribus, sive de eruditis, sive de ludicris diceret, sive orationes, sive carmina afferret. Minime tamen tacendum videtur non adeo illum propitias habuisse musas, ut per eas memoriae hominum commendari potuerit. Cuivis quidem par erat elegantia poeticae dictionis, sed natura minime factus erat ad imagines agentes, atque insignitas, & ad illum furorem, sine quo Democritus negat quemquam poetam magnum esse posse. Plurimum vero valere judicabatur in ea facultate, quae vim dicendi adhibet, & est explicatrix orationis perpetuae ad persuadendum accommodatae: erat quoque instructus voce, actione & lepore, sic, ut ubicumque consisteret, consistere in suo videretur. Neque solum scriptis, sed etiam consilio & opera plurimum auxit dignitatem Academiarum, quae dicuntur Furfureorum & Apathistarum, a quibus munera, quae dari potuerunt amplissima, cunctis suffragiis facile obtinuit. Haec quidem ei gratissima erant honestatis decore, sed emolumenta quoque quaerere

(1) Se io ho praticato *(sic ipse scribebat)* e pratico per l' Accademie, e con persone nobili e virtuose, io non so che questo possa impedire il servizio, e la servitù che una Chiesa ricerca. Ci son l' ore per gli studj e per l' Accademie: ci son quelle per li negozj: ci son quelle per le cose che appartengono all' anima. Chi non si perde nell' ozio sa distribuire i tempi, e ordinar le faccende e gli studj, e l' Accademie posson meglio aggiustarsi e adattarsi con una Chiesa, che non posson fare i giuochi, le bische e le taverne.

Digitized by Google

cogebatur, & anno 1632. cum cathedram ethices postulasset in Academia Pisana, quae diu doctore suo carebat, minime voti compos factus est. Eodem tamen tempore declaratus est Etruscae linguae magister, quod munus exercere coepit Florentiae cum tenui centussium L. stipendio. Egregiam vero laudem retulit sive digitum ad fontes intenderet, unde patriae linguae veneres fluxere, sive Dantis comoediam nova ratione explicaret, sive ex se aliquid promeret, quod discipulos erudiret, & grammaticam juvaret. Nihil vero illi potius fuit, quam ut litteris consignaret praecepta, quae tradere solebat, bene & emendate loquendi atque scribendi. Vel ab an. 1613. grammaticam Etruscam confecerat, in qua expolienda decennium fere consumpsit. Emisit tandem Venetiis an. 1623. librum tanquam specimen quoddam majoris operis cum hoc titulo: *Delle cagioni della lingua Toscana*, nuncupavitque Ferdinando II. Auxit postea opus ipsum, quod binos in libros divisit, cuique inscriptionem fecit *della lingua Toscana*. Accurate & exquisite disputat de omni re grammatica, exemplis utitur electissimis, &, ut paucis dicam, ea praecipit, quae mutari non possunt, & ad quae tanquam ad certissimam regulam dirigi debet oratio eorum, qui Etrusce volunt dicere. Hac facultate, quam habuit summam, laudes omnium consecutus est, decoravitque grammaticam ipsam multarum disciplinarum cognitione. Pro tantis ejus in Etruscas litteras meritis, res prorsus nova in Academiam Pisanam invecta est, cum ei an. 1633. quando ad Collegii, sicuti nominatur, Ferdinandi regimen vocatus fuit, Magnus Dux mandasset, ut eam linguam doceret, quam tot scriptis exornaverat (1). Oratio, quam dixit in ingressu muneris,

---

(1) Serenissimo G. Duca

Benedetto Buommattei umilissimo servo di V. A. S. reverentemente la supplica a volerlo favorir del luogo ora vacante di Rettorato di Collegio Ferdinando nello Studio di Pisa, con lasciarli il carico di lettor della lingua

Etrusce scripta erat, fuitque illi campus amplissimus, in quem excurreret ipsius Academiae, magistrorum, qui in ea docebant, & linguae, quam ipse docturus erat, laudes. Dubitavit an excusationem aliquam pararet ob rei novitatem, sed haec utilitate & magistri fama defendebatur. Prout dignitas loci ferebat, non in nudis verbis explicandis, sed in Dantis comoedia interpretanda ejus versabantur acroases, composite, ornate, copiose & erudite exponens, non quae ceteri interpretes tradiderant, sed quae per se ipse investigaverat. Haec quidem illi erant jucunda, sed homo integer, religiosus, mansuetus & mitis ferre haud poterat se rem habere cum adolescentibus ad voluptates omnemque vivendi licentiam propensissimis, quos cum fraenare non posset, sibi consulendum putavit. Relicto itaque an. 1637. collegii regimine, Florentiam ad suum pristinum munus rediit, in quo retinendum ipsum putavit Ferdinandus II. quod is erat, cui vel maxime concederent omnes Etruscarum litterarum doctrinam. Nec vero voluit, quasi decurso spatio, a calce ad carceres revocari. Omissis itaque grammaticae rudimentis, ea tractavit, quae digna usu atque aetate sua videbantur, quo factum est, ut quotquot erant Florentiae doctrina clari viri, & ii praesertim, qui in Academiam Apathistarum cooptati erant, qui eum sicuti alterum parentem colebant, ad ipsum audiendum concurrerent. Neque dubitamus id in summis ejusdem laudibus ponere, quod exemplo suo, scriptis & voce plurimum animi addidit Furfureis Academicis, quibus erat ab epistolis, ad revocanda pristina instituta, quae nimium diu intermissa fuerant, ad novum condendum

Toscana, come di presente esercita nell' Accademia Fiorentina, che di tal grazia terrà obbligo a V. A. S. *Ad quae rescripsit Princeps*. Concedesi con che eserciti la suddetta sua lettura nello Studio di Pisa.

Persio Falconcini 12. Gen. 1633. A. I.

Digitized by Google

Etruscum lexicon, & ad majorum gloriam aequandam, & si fieri etiam potuisset, superandam. *Debemus hoc patriae*, ajebat, *debemus hoc Principi omnium quotquot fuerunt litterarum amantissimo. Equidem vobis fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa putavi demonstranda, restat ut pro virili parte quisque munus suum expleat; neque periculum est, multis adnitentibus, quieturos alios*. Tantum erat nomen, atque opinio industriae Benedicti, ut ad ejus exemplum imitandum plurimi fuerint excitati. Cum sibi videretur satis superque civium suorum studiis fecisse, ut coepit periculoso morbo tentari, sibi unice consulendum putavit. Totum enim se tradidit divinarum rerum meditationi, ac dies noctesque in obeundis religiosi hominis officiis insumebat. Biennium fere in hoc statu permansit; nam vitam amisit ineunte an. 1648. cum complesset LXVI. aetatis annum, menses V. dies autem XIX. Sepultus est in Aede S. Pancratii in sepulcro majorum cum funeris pompa; nec defuerunt, qui exquisitissimis verbis ejus laudes celebrarent (1).

OPERA EDITA

(1) Orazione in morte del G. Duca Ferdinando I. de' Medici: In Firenze per Gio. Antonio Caneo 1609. in 4. *quae oratio sapientissimis sententiis gravibusque verbis ornata est & perpolita*.

Modo di consacrar le vergini secondo l'uso del Pontificale Romano ec. con alcuni brevi ragionamenti ec. In Venezia per Antonio Pinelli 1622. in 4.

Delle cagioni della lingua Toscana: In Venezia per Alessandro Polo 1623. in 4. *Minima haec pars est grammaticae, quam postea vulgavit, ut exquireret doctorum hominum judicia*.

Descrizione dell' apparato e delle iscrizioni per la festa della canonizzazione di S. Andrea Corsini: in Firenze per Zanobi Pignoni 1632.

Regulae Sacerdotum centuriae Congregationis Emporiensis: Florentiae ex typographia Nestaea 1632. *Praefuit huic Sodalitio Benedictus*.

Tavole Sinotiche, cioè divisione morale dell' Inferno di Dante con la distinzion delle pene a ciascun vizio assegnate. In Firenze per Amador

Atque hic omnis labor noster in exponenda Historia Academiae Pisanae consistet. Sed antequam scribendi finem faciam, veniam petendam puto, si in quibusdam erraverim, si quaedam praetermiserim, si multa non satis concinne & litterate narraverim. Porro quod per me fieri potuit, non neglexi, atque in arduo exequendo munere, cum adjutores nulli mihi adessent, illa me sustentavi C. Plinii Secundi ad Vespasianum sententia: *etiam non assecutis voluisse abunde pulchrum atque magnificum est.*

F I N I S.

Massi e Lorenzo Landi 1638. Division morale del Pusgatorio ec. 1640. *Tertia tabula haud vulgata fuit.*

Elogj di Antonio Orso, di Vieri Cerchi de' Bianchi, e di Corso Donati. *Haec elogia e Latina in Italicam linguam vertit Benedictus, & typis impressa fuere Florentiae an. 1639. a Massio & Landio.*

Della Lingua Toscana libri II. In Firenze per Zanobi Pignoni 1643. in 4. *Saepius hic liber editus est. Auxit illum Jo. Baptista Casottius auctoris vita, oratione quadam de laudibus Etruscae linguae, & Antonii Mariae Salvinii adnotationibus.*

Le tre Sirocchie, cicalate fatte in diversi tempi in occasione di generale Stravizzo nella nobilissima Aceademia della Crusca colla declamaione delle Campane. *Edidit haec ludicra scripta Benedictus Pisis 1635. sub ficto nomine Benducci Riboboli a Matelica. Iterum vero vulgata fuerunt in Vol. II. Part. III.* delle Prose Fiosentine. *Haec tantummodo, dum vixit, vulgavit Benedictus. Post mortem vero illius extiterunt, qui in lucem emitterent*

Orazione delle lodi di S. Filippo Neri. Vol. V. Part. I. delle Prose Fiorentine *Venetae editionis apud Dominicum Occhium.*

Lezioni tre sopsa le Imprese. Vol. II. Past. II. delle Prose Fiorentine.

Lezione sopra l'ozio. Vol. IV. Part. II. delle Psose Fiorentine.

Lezioni IV. sopra il Canto I. dell'Inferno di Dante dette nell' Accademia Fiorentina nel 1632. Vol. V. Past. II. delle Prose Fiosentine.

Poesie varie. *Diligenter, suo more, retulit Mazzuchellius quae scripta inedita reliquit Buommathaejus.*

CURATORES SEU PROVISORES ACADEMIAE.

HIERONYMUS A SOMMAJA FLOR.	1622 — 1636.
GHERARDUS SARACINIUS SENENS.	1636 — 1641.
JOANNES VISCONTIUS PISTORIENS.	1641 — 1647.
ALEXANDER MINERBETTUS FLOR.	1647 — 1652.
FRANCISCUS MARIA ZATUS FLOR.	1652 — 1654.
PHILIPPUS MAGALOTTUS FLOR.	1654 — 1657.
JO. BAPTISTA QUARATESIUS FLOR.	1658 — 1662.
ALEXANDER MARSILIUS SENENS.	1662 — 1670.
FELIX MARCHETTUS PISTOR.	1670 — 1685.
FRANCISCUS MARIA SERGRIFIUS FLOR.	1685 — 1688.
CAJETANUS MACCHIAVELLIUS FLOR.	1703 — 1717.
CASPAR CERATIUS PARMENS.	1753 — 1769.

Digitized by Google

RECTORES ET VICE-RECTORES

ACADEMIAE

1623. Hieronymus Malfantus Genuens. V. R.
1624. Jo. Nuccius Politianus V. R.
1625. Petrus Paullus Galeottus Pisciensis V. R.
Bartholomaeus Catanius Aretinus V. R.
1626. Hieronymus Malfin Genuens. 10. Jan. V. R.
Joannes Cano Sardus 16. Junii V. R.
Jo. Campana de Petra Sancta 15. Novemb. V. R.
1627. Thomas Galeottus Pisciensis V. R.
1628. Bonavita de Capezzalibus Corsus 16. Junii V. R.
Jacobus Natta Comensis 15. Novemb. R. Generalis
1629. Valentinus Farinola Corsus V. R.
1630. Gavinus Colloreda Sardus V. R.
Lucas Ferdinandus de Mendossa V. R.
1631. Antonius Cano Sardus 9. Septemb. V. R.
Vincentius Belluccius Recanatens. . . . Martii V. R.
1632. Julianus Tanus Pistoriensis V. R.
1633. Eques Ant. Curinus Pontremul. 28. Junii Principis rescripto V. R.
Vincentius Pagninius Volater. 21. Novemb. V. R.
1634. Vincentius Belluccius 13. Junii V. R.
Petrus Jo. Feno Collens. 13. Novemb. V. R.
1635. Petrus Franciscus Borra Genuens. 13. Nov. V. R.
1636. Marcus Antonius Ballatus Libur. 11. Junii V. R.
Franciscus Pieruccius de Callis Vallis Nebulae 13. Nov. V. R.
1637. Antonius Masoni Sardus 24. Jun. V. R.
Augustinus Maria Ginocchius Genuens. 23. Nov. V. R.
1638. Gaspar Castellinus Pontremul. V. R.

Digitized by Google

1639. Alexius Bitossius Liburnens. 27. Jan. V. R. iterum 14. Nov. 1639.

1640. Jo. Andreas Levanto Genuens. 15. Nov. R. Generalis, qui discessit 18. Maii 1641. & tum electus fuit

Franciscus Guelfius a Burgo S. Sepulcri, qui discessit 29. Junii, & fuit electus

Alexander Bitozzi Liburn. V. R.

1641. Alexander Bitozzi R. Generalis 26. Novemb.

1642. Hiacynthus Lippius Lucens. V. R.

1643. Jo. Antonius Manfredius Genuens. V. R.

1644. Franciscus Aurlus Genuens. 14. April. V. R.

Jo. Angelus Diatius Casalens. 5. Jun. V. R. confirmatus 15. Novemb.

1645. Jacobus Ant. Lossius Aretinus 1. August. V. R.

Jaseph Boninsignus Collensis 20. Novemb. V. R.

1646. Augustinus Masola Sardus 11. Jul. V. R.

Hieronymus Seraphinus Pedamont. 13. Nov. V. R.

1647. Fabritius Taninus Genuens. 3. Aug. V. R.

Joannes Bapt. Brondius Genuens. 21. Nov. V. R.

Jo. Baptista Dabbene V. R.

Jo. Carolus Maria Borganus Libur. V. R.

1648. Franciscus Follius Puppiens. V. R.

1649. Carolus Maria Borganus Libur. 19. Junii V. R.

Philippus Maria de Baccis Aret. 21. Nov. V. R.

Alexander Farinola Corsus V. R.

1650. Paullus Ant. Calderinius V. R.

1651. Alexander Bencivennius Florent. V. R.

1652. Saturnius Demistranus V. R.

1653. Innocentius Grassionius Aret. R. Generalis

Leo Samperius ... Jul. V. R.

1654. Innoc. Grassionius Aret. R. Generalis

Franciscus Maria Berlonius Ariminens. V. R.

Digitized by Google

1655. Jo. Bossius Pedemontanus V. R.
1656. Petrus Soldanius Puppiens. V. R.
1657. Aloysius de Horto V. R.
1658. Petrus Angelius Corsus V. R.
1659. Joseph Ceius Libur. V. R.
1660. Jacobus Pigrius a Balneo V. R.
1661. Joseph Cecchius Collens. V. R.
1662. Jo. Bapt. Vandemptan Libur. R. Generalis.
1663.
1664.
1665.
1666. Pasqualis Novara a Levanto V. R.
1667. Philippus Bocconus Genuens. V. R.
Aloysius de Horto V. R.
1668. Romulus Cremonius Libur. V. R.
1669. Antonius Franciscus de Camiciolis Pontremol. V. R.
1670. Gevinus Marea Sardus V. R.
1671. Bartholomaeus de Pievinis Libur. V. R.
1672. Jacobus Barbonius Puppiens. V. R.
1673. Joannes Antonius Rolandi Genuensis V. R.
1674. Bartholomaeus Alixerius Finariensis V. R., atque in ejus absentis locum.
Petrus Thomas Ansaldus Miniatensis V. R.
1675. Barthol. Alixerius Finariens. qui fuit confirmatus V. R.
1676. Antonius Franc. Biscacciantius de Augubio V. R.
1677. Brunorus Paravicinius Mediolan. V. R.
1678. Philippus de Bocconis Genuensis V. R.
1679.
1680. Antonius Rossani Liburn. V. R.
1681. Franciscus M. de Cipolleschis de Aretio V. R.
1682. Dominicus de Poltris ex Bibbiena V. R.
1683. Joseph de Lapinis Liburn. V. R.

1684. Petrus Chiaviti a Petrasancta V. R.
1685. Leonardus de Novellis a Castrofranco Vallis Arni Infer. V. R.
1686. Paulus Franc. Molinellius Genuensis V. R.
1687. Angelus de Balestrieris Lucensis V. R.
1688. Nicolaus de Stanghis Pratensis V. R.
1689. Antonius Sebastianus de Maffeis Liburn. V. R.
1690. Idem.
1691. Jo. Maria Manettius Volaterranus V. R.
1692. Petrus Franciscus Serra Genuens. V. R.
1693. Antonius Nicolaus de Riccis Emporiensis V. R.
1694. Philippus de Cedris ex Ponte Erae V. R.
1695. David Grifi Cosmopolitanus V. R.
1696. Joannes Santes de Montanellis Focensis V. R.
1697. Joannes Antonius Bobio Genuensis V. R.
1698. Petrus Pieronius e Dicomano V. R.
1699. Carolus de Cattanis Massensis V. R.
1700. Simon de Turinis a S. Joanne Vallis Arni V. R.
1701. Alexander de Pandolfis ex Ponte Erae V. R.
1702. Pasqualis Gaetanus de Baccettis de Campilia V. R.
1703. Paullus Franciscus Molinellius Genuensis V. R.
1704. Liborius Antonius Berti ex Cutigliana V. R.
1705. Joannes Augustinus Patroni Liburn. V. R.
1706. Idem: Postquam autem laureâ insignitus fuit jussu Magni Ducis Vices Rectoris gessit Jo. Baptista Maures Juris civilis Magister.
1707. Antonius Franciscus Magiotti ex Monte Varchi V. R.
1708. Minime electus fuit Vicerector, cujus munus gessit Oliverius Juris civilis Magister.
1709. Cosmus de Bernardeschis de Palaja V. R.
1710. Minime electus fuit Vicerector, cujus munus gessit Juris civilis Magister Michael Angelus Monti.
1711. Silvester Maria Lena Lucensis V. R.

1712. Minime electus fuit Vicerector, cujus munus gessit Michael Angelus Monti.

1713. Minime electus fuit V. R. sed ad ejus munus exercendum confirmatus fuit Michael Angelus Monti.

1714. Hippolytus de Merlinis Pistoriensis V. R.

1715. Minime electus fuit V. R. sed ad ejus partes gerendas destinatus fuit Jo. Andreas Pinius Juris Pontificii Magister.

1716. Matthaeus Scali Liburn. V. R.

1717. Minime electus fuit V. R. sed ejus munus gessit Aloysius Maria Ceffinius Juris civilis Magister.

1718. Non fuit electus V. R. sed ejus munus gessit Antonius Laurentius Cappuccius Juris Canonici Magister.

1719. Joannes Lami a S. Cruce Vallis Arni V. R.

1720. Joannes Vincentius Bonfigli Liburnensis V. R.

1721. 1722. Minime electus fuit V. R., sed munus illius gessit Julius Parasacchius juris feudalis Magister.

1723. Petrus Romagnolius Emporiens. V. R.

1724. Joannes Baptista Chiostri a Laterina V. R.

1725. Ferdinandus Dei a Burgo Buggiano V. R.

1726. Joannes Bapt. del Soldato a Castro Florentino V. R.

1727. Joannes Bapt. Corsi Volaterranus V. R.

1728. Joseph Camanerich Venetus V. R.

1729. Laurentius Venzi a Carmignano V. R.

1730. Minime electus fuit V. R. sed ejus partes gessit Ant. Laurentius Cappuccius.

1731. Marias Vallus a Ponsacco V. R.

1732. Cappuccius gessit munus V. R.

1733. Gessit & Julius Parasacchius

1734. Ferdinandus Dei Florent. V. R.

1735. Jacobus Danti Liburnens. V. R.

1736. Josephus Ceccherinius Liburnens. V. R.

1737. Josephus Centofanti a Cevolo V. R.

Digitized by Google

ROTULI PROFESSORUM

QUI AB ANNO MDCXXII. AD ANNUM USQUE MDCCXXXVII. IN ACADEMIA PISANA FUERUNT (1).

SACRAE SCRIPTURAE MAGISTRI.

* Laelius Marzarius Faventinus Minorita 1622-1623.

Jo. Maria Ptolomaejus Auximas Minorita 1623-1625.

Cyriacus Sanctius Senensis e Cassinensium Monachorum familia 1629-1677.

Henricus Norisius Veronens. ex Augustinianorum familia 1677-1692. (2).

Franciscus Meslier Parisinus Ordinis Min. Observant. S. Francisci 1692-1716.

Julius Lomius Pistor. 1698-1741.

Virginius Valsecchius Brixien. e Monachorum Cassinensium familia 1711-1739.

THEOLOGIAE MAGISTRI:

* Henricus Antonius Burgus Servita 1622-1630.

* Jeremias Pellerius Minorita 1622-1625.

Franciscus Falagianius Florentinus Minorita 1625.

Tiberius Sinibaldius Minorita 1625-1636.

Dionysius Bussottius Florent. Servita 1630-1638. & pro eo Angelus Maria Bindius.

Bernardinus Manzonius Caesenas Minorita 1636-1638.

Angelus Piccininius Ravennas Minorita 1637-1640.

Gerardus Baldius Florent. Servita 1638-1660.

Alexander Perius Florent. Minorita 1639-1644.

Vincentius Salvonius Pisciensis Minorita 1644-1650.

Hieronymus Perius a Burgo S. Laurentii Minorita 1650-1662.

Callistus Puccinellius Lucensis Servita 1660-1666. & pro eo Georgius Soggia Saxarensis.

Ludovicus Nutus Cosmopolitanus Minorita 1662-1668.

---

(1) *Asteriscus * indicat Professores illos, de quibus superiori in volumine diximus, quod eorum conductiones ante annum 1622. vel hoc ipso anno factae fuerant.*

(2) *Postquam Norisius, qui ad nos venit an. 1673. Ecclesiasticae historiae Magister, utrumque in se junxit munus & hujus & Sacrae Scripturae interpretandae, ceteri, qui illum consecuti sunt, Magistri utrique etiam satisfecisse videntur.*

Julius Arrighettius Florent. Servita 1666-1682.

Bonaventura Ceccardus Politianus Minorita 1668-1679. 1686 1707. *Ejus absentis vices gesserunt Bonoventura Baccionius, & Jo. Vincentius Martellinius.*

Desiderius Casaccinius Politianus Minorita 1681-1686.

Jo. Franciscus Poggius Florent. Servita 1682-1703. *Pro eo absente Capassius, Rossius & Roboredus.*

Jo. Vincentius Martellinius Piscien-sis Miorita 1700-1732. *Pro eo absente Bonoventura Baccionius & Leonordus Doninius.*

Petrus Antonius Rossius Servita Florentinus. *Anno 1687. declaratus fuit Theologiae Magister, cum antea gessisset partes Poggii absentis. Abfuit & ipse, & cum functus fuisset honoribus familiae suoe, rediissetque ad Academiom, ab an. 1703. od an. 1724. proefuit cathedrae explicationis historicae & theologicae sacrorum cononum.*

Julius Antonios Roboredus Lusitanus: *Poggii & Rossii absentium partes gessit.*

Aloysius Maria Garbiot Florentioos Servita 1703-1722. *& pro eo ab anno 1720. usque ad annum 1722. Joseph Maria Milioratus.*

Bonaventura Bacciooius Florentinus Minorita 1707-1710.

Joseph Inguimbertius Carpentoractensis Ord. Praedicat. 1713-1714.

Ignatius Perinios Taorinensis Ord. Praedicat. 1715-1727.

Fortunatus Corsetius Senensis Carmelitanus 1717-1727.

Thomas Morandius Florent. Ord. Observant. S. Francisci 1718-1733.

Leonardus Doninius Pistoriensis Minorita 1719-1759.

Gerardos Maria Capassius Florent. Servita 1727-1735. *Pro eo docuit ejus collega Jo. Petrus Fancellius Senensis.*

Ubaldus Vernaceinios Pisanus Ord. Praedicatorum 1734-1742. *quo anno motus Academia fuit.*

Hi omnes fuerunt Scholosticoe Theologiae Magistri. Dogmaticom vero, cujus cathedra primum instituta fuit an. 1691. docuerunt.

Franciscus Meslierios 1691 1697.

Franciscus Orlendius Laudensis Ord. Praedicat. 1697-1733.

Gerardus Maria Capassius 1735-1737.

Jo. Petros Fancellius 1735-1749. *quo anno emeritus declaratus est.*

THEOLOGIAE MORALIS AD MENTEM S. THOMAE MAGISTRI.

Bartholomaeus Ortega Hispanos O. P. 1636 1645.

Jacobos Zatus Florent. O. P. 1645-1654.

Laurentius Zatos Florent. O. P. 1654-1655.

Joannes Vinc. Guinigius Lucens. O. P. 1655-1682.

Carolus Goccius Miniatens. O. P. 1682-1713. & pro eo Ventura Talentus.

Augustinus Matthaeus Presbyter Britannus 1683-1699.

Albertus Cecchius Florentinus O. P. 1714-1718.

Bernardinus a SS. Trinitate a Clanceaoo Ord. Carmelitarum Discalceatorum 1710-1722.

Nicolaus a S. Laurentio Scantianensis Ord. Carmelit. Discalceatorum 1722-1746.

Digitized by Google

PHILOSOPHIAE MORALIS

MAGISTRI.

Michael Caſtellius 1632-1635.
Jo. Baptiſta Ricciardus Piſanus 1673-1686.
Martinus Meſquita Luſitanus 1692-1700.
Marcus Antonius Alaymius Panormitanus Caſſinenſ. Monachus 1713-1718.
Stephanus Ioſeph Trenta Lucenſis Caſſinenſis Monachus 1718-1739.

METAPHYSICES MAGISTRI

* Albertus Campanius Florent. O. P. 1622-1630.
* Aegidius Nuccius Piſtor. Auguſtinianus 1622-1627.
Cyprianus Maſius Florent. Auguſt. 1627-1631.
Petrus Thedaldus Florentinus O. P. 1630-1634.
Auguſtinus Braccellius Piſanus Auguſt. 1631-1638.
Jo. Donatus Autella Florent. O. P. 1634-1654.
Gregorius Paſſegionius Piſ. Auguſt. 1638-1641.
Auguſtinus Salurius Miniatenſis Auguſt. 1641-1649.
Auguſtinus Plumbinenſis Auguſtinianus 1649-1656.
Jacobus Zatus Florent. O. P. 1654-1673.
Celſus Scafuccius Senenſis Auguſt. 1656 1659.
Aurelius Vanninius Cortonenſis Auguſt. 1659-1681.
Thomas Maria Cinius Piſtor. O. P. 1673-1705.
Auguſtinus Felix Canalius a Monte Alcino Auguſt. 1681-1697.
Albertus Cecchius Florent. O. P. 1706-1714.
Joſeph Orontius Lucenſis O. P. 1714-1731. & loco ejus
Jo. Dominicus Montius Liburnenſis O. P. 1731-1742.

HEBRAICAE LINGUAE

MAGISTRI

* Coſmus Svetonius 1622-1637.
Jo. Baptiſta Jona 1632-1636.
Franciſcus Svetonius 1644-1648.

CHALDAICAE ET ARABICAE

Abraham Ecchellenſis 1633-1637.(1)
Iſaac Siandreſius Maronita e Monte Libano 1636-1638.
Petrus Benedictus e Monte Libano 1698 1707.

GRAECAE LINGUAE

MAGISTRI

* Georgius Moſchettus Cretenſ. 1622-1625.

---

(1) *Parum profuit Ecchellenſis Academiae, cum ab ea plerumque abeſſet. Illam autem reliquit an. 1637. ut eſt in monumentis*, inſalutato hoſpite. *De vita & morte ejuſdem vide epiſtolam Fauſti Naironii, qui ei levir erat, quamque nos edidimus in Vol. I.* delle lettere inedite, *quo in libro alia plura extant ad Ecchellenſem pertinentia.*

Digitized by Google

* Franciscus Trinius Atheniens. 1622-1626.
Georgius Tromba Lascaris Anconitanus 1626-1640.
Valerius Chimentellius 1648-1668. (1)
Benedictus Averanius 1676-1707.
Alexander Politus Florent. 1733-1752.

BOTANICES MAGISTRI

* Dominicus Vigna 1609-1647.
Thomas Belluccius Pistor. 1747-1672.
Petrus Natus Bibienensis 1672-1685.
Michael Angelus Tillius a Castro Florentino 1685-1740.

PRAEFECTI

HORTO BOTANICO.

Matthaeus Pandolfinius Florentinus Franciscanus 1626-1630.
Hyacintus Maidalchinius Viterbiensis O. P. 1631-1634.
Petrus Dionysius Veglia Perus. Servita 1634-1636.
Claudius Berigardus Molinensis 1636-1637.
Jo. Tellierius Gallus 1637-1641.
Thomas Belluccius 1641-1672
Petrus Natus 1672-1685.
Michael Angelus Tillius 1685-1740.

JURIS CANONICI

ORDINARII & EXTRAORDINARII

MAGISTRI.

* Petrus Accoltus Aret. 1622-1627.

* Vincentius Maccantius Miniat. 1622-1625.
* Laelius Mancinius Polit. 1622-1633.
* Franciscus Falconettus Florent. 1622-1640.
* Paullus Ruschius Pis. 1622-1638.
* Petrus Roncionius Pis. 1622-1629.
* Matthaeus Stephanius Florent. 1623-1630.
Bernardus Flaminghius Miniat. 1622-1623. 1632-1636.
Benedictus Ammiratus Florent. 1627-1631.
Antonius Picrallius Miniat. 1629-1632.
Petrus Gerius Aret. 1630.
Laurentius Magona Pis. 1631-1632.
Joannes Pinoccius Senens. 1632-1668.
Balthasar Francolinius Firmanus 1633-1635.
Franciscus Stupha Florent. 1635-1640.
Franciscus Stephanius Miniat. 1635-1649.
Sebastianus Galeottus Pisciens. 1636-1638.
Jo. Bapt. Vannicinius Senens. 1636-1638.
Laurentius Pettinimius Pis. 1649-1681.
Thomas Pruinius Pis. 1660-1673.
Laurentius del Becceto Flor. 1660-1682.
Joseph Dominic. Andreonius Luc. 1681-1694.
Sebastianus Zucchettus Pis. 1683-1693.
Benedictus Falconcinius Volaterran. 1683-1693.

---

(1) *Satis multa de Chimentellio suo in loco diximus. Narrare tamen praetermisimus sacrae militiae nomen dediſse eumdem, & de ejus vita & morte extare epiſtolam Franciſci Mariae Ceſſinii ad Carolum* Datium, *quam edidit Franciſcus Fontanius in libro, qui inscribitur*: Elogio di Carlo Roberto Dati.

Digitized by Google

Joseph Maria Cascina Pis. 1686-1693-1696-1706.

Andreas Tanuccius a Stia 1688-1723.

Ernandus Amerighius Senens. 1689-1699.

Dominic. Ant. Rossettus Foroliv. 1689-1696.

Bencivennius Ceffinius Florent. 1693-1704.

Carolus Bizzarinius Senens. 1693-1698.

Lazzarus Benedict. Miglioruccius Florent. 1693-1724.

Balthasar Ansaldius Miniat. 1693-1713.

Andreas Farsettius Massens. 1695-1699.

Joseph Maria Venturinius Pontremul. 1696-1706.

Franciscus Maria Corsinisuius Pupiens. 1698-1725.

Vincentius Puccinellius Piscien. 1698-1743.

Laurentius Brunaccius a Monte Alcino Ordinarius Practicus Canonum 1700-1710.

Petrus Antonius Rossius Florentinus Servita ad explicationem historicam & theologicam sacrorum canonum 1703-1724.

Jo. Dom. Poggialius Pistor. 1704-1745.

Andreas Pinius Pistor. Ordin. Practicus Canonum 1710-1732.

Jo. Paullus Gualterius Florent. 1723-1734.

Antonius Laurentius Cappuccius Bibienens. 1726-1741.

Joseph M. Ruschius Pis. 1734-1744.

Franc. M. Piccolomineus ad explicationem historicam & theologicam sacrorum canonum 1736-1737.

JURIS CIVILIS ORDINARII & EXTRAORDINARII MAGISTRI.

* Turnus Pinoccius Senens. 1622-1646.

* Attilius Corsius Florent. 1622-1623.

* Philippus Facchineus Foroliv. 1622-1641.

* Antonius Curinius Pontremul. 1622-1634.

* Sanctes Ballerinius Perus. 1622-1634.

* Antonius Merenda Foroliviens. 1622-1628.

* Jo. Viscontius Pistor. 1622-1624.

* Camillus Accarisius Sen. 1622-1628.

* Jo. Santinius Lucens. 1622-1624.

* Georgius de Maros Pinellius Lusit. 1622-1630.

* Nicolaus Buonapartius Miniat. 1624-1644.

Aurelius Galvanius Ferrar. 1624-1630-1634-1636.

Nicolaus Simius Lucens. 1624-1631.

Julius Farsettius Massens. 1627-1630.

Hieronymus Benevoglientius Senens. 1628.

Franciscus Schipisius Pis. 1630-1656.

~~Ferdinandus Cattaneus Massens. 1632.~~

Balthasar Francolinius Firmanus 1631-1633.

Franciscus Stupha Floreut. 1631-1635.

Bernar. Flaminghius Miniat. 1631-1632.

Laelius Mancinius Polit. 1633-1635.

Jo. Baptista Canossa Pontremulens. 1634 1638.

Rodulphus Vuettus Perus. 1634-1635.

Virgilius Vecchius Senens. 1635-1648.

Valentinus Farinola Corsus 1635-1643.

Hieronymus Borghesius Senens. 1636-1654.

Bernardinus a Penna Perus. 1636-1642.

Bartholom. Vecchius Sen. 1638-1650.

Bartholomaeus Chesius Pis. 1638-1680.

Sebastianus Galeottus Piscien. 1642-1653.

Jacobus Damianius Pis. 1643-1649.

Blasius Curinius Pontremul. 1644-1664.

Jo. Bapt. Vecchius Senens. 1644-1650.

Josephus Lupius Pis. 1647-1661.

Digitized by Google

Petrus Paullus Borromaeus Miniat. 1649 1685.
Ludovicus Vecchius 1650.1657.
Fabius Paccallus Pis. 1651.
Franciscus Maria Ceſſinius Florent. 1651-1685.
Thomas Prainius Pis. 1652-1660.
Fridericus Antenoreus Flor. 1654-1656.
Innocentius Maſſinius Perus. 1656-1668.
Laurentius Magnanius Flor. 1657.
Laurentius del Beccuto Flor. 1657-1660.
Creſcentius Burgheſius Senens. 1660-1682.
Gabriel Ant. Rau Pis. 1660-1662.
Ludovicus Guilichinius Aret. 1661-1678.
Franciſcus Maria Sergrifius Florent. 1661-1665.
Joſeph Brondius Sergianens. 1662-1708.
Petrinus de Bellantis Senens.
Andreas Garzonius Lucens. 1666-1675.
Bencivennus Ceſſinius Florent. 1669-1683.
Andreas Tavola Pis. 1677 1700.
Raphael Serratius Flor. 1678-1711.
Didacus Lopeſius Lusit. 1679 1714.
Joſeph Maria Caſcina Pis. 1682 1686.
Carolus Bizzarinius Sen. 1684-1692.
Franciſcus Maria Corſinianius Puſiens. 1686-1691.
Jo. Badia Nerius a Caſtro Florent. 1686-1689.
Andreas Farsettius Maſſens. 1688-1695.
Joſephus Averanius Flor. 1688.1738.
Michael Angelus Montius Pis. 1689-1718.
Paullus Franc. Molinellius Genuens. 1690-1705.
Jo. Hoppener Norvegus 1691-1692.
Stephan. Campana Seravetiens. 1694-1713.

Vincentius Froſinius Pis. 1698 1737.
Martius Venturinius Pontremul. 1700. 1702.
Vincentius Aulla Pis. 1704-1732.
Raincrius Caſapierius Pis. 1705-1729.
Jo. Bapt. Melchior Maures Florent. 1708-1716.
Aloyſius Maria Ceſſinius Florent. 1713-1722.
Antonius Oliverius Florent. 1714-1744.
Bernardus Ceccherellius Florentinus 1714-1721.
Julius Paraſacchlus Pontremul. 1716-1722.
Blaſius Curinius Pontremul. 1716-1748.
Franciſcus Ferd. Benaſcia Liburnens. 1717-1755.
Joachim Cepparellius Geminianens. 1726-1742.
Stephanus Fabbruccius Florent. 1726-1755.
Bernardus Tanuccius a Seia 1726-1733.
Joſeph Ant. Branchius a Caſtro Florent. 1733-1749.
Dominicus Santuccius Pis. 1734-1739.
Salvator Olmeta Baſtiens. 1735-1748.

PANDECTARUM MAGISTRI.

* Nicolaus Buonapartius Miniat. 1623.
* Jo. Viſcontius 1624.1628.
Camillus Accariſius Sen. 1628-1630.
M. Aurelius Galvanius 1630-1634. 1639-1642.
Laelius Mancinius Polit. 1635.

CRIMINALIS JURIS MAGISTRI.

* Jacobus Vannellius Carrarienſis 1622-1624.
Philippus Facchineus Forolivien. 1632-
Hoc anno additum ceteris muneri.

bus illius onus docendi jus criminale diebus festis .

Josephus Lupius Pis. 1640-1642.
Augustinus Zucchettus Pisan. 1642-1662.
Bartholomaeus a Vecchiano Pis. 1665-1674.
Josephus Dominicus Andreonius Luc. 1678-1681.
Alexander Brogiottius Florent. 1681-1684.
Franciscus Columbinus Senens. 1685-1702.
Martius Venturinius Pontremulens. 1702-1733.
Jo. Augustinus Padronus Libur. 1733-1738.

FEUDALIS.

• Matthaeus Stephanius Florent. 1627-1630. *Per eum restituta fuit juris feudalis cathedra , quae antea per plures annos siluerat . Illo mortuo jussus est Paganinus Gaudentius jus feudale explicare extra ordinem, diebusque festis .*
Hieronymus Dinius Collensis 1666-1670.
Fridericus Nomius Angliariensis 1674-1682.
Dominicus Soldanius Papiensis 1682-1700.
Julius Caesar Philippinius Florent. 1701-1741.
Jo. Baptista Melchior Maurus Flor. 1716-1722.
Julius Parasacchius Pontremul. 1722-1750.

JURIS PUBLICI.

Pompejus Nerius Florent. 1716.

INSTITUTIONUM

CANONICARUM MAGISTRI.

Laurentius Pettininius Pis.
Franciscus degli Empoli Florent.
Philippus Magnianius Florent.
Benciveunus Ceffinius Flor.
Raphael Serratius Flor.
Sebastianus Zucchettus Pis.
Benedictus Falconcinius Vulater.
Andreas Tanuccius a Stia.
Antonius Rossettius Foroliviens.
Lazzarus Benedictus Miglioruccius Florent.
Balthasar Ansaldius Miniat.
Vincentius Puccinellius Pisciens.
Julius Lomius Pistor.
Aloysius Maria Ceffinius Flor.
Ambrosius Brunettus Massens.
Jo. Dominicus Poggialius Pistor.
Jo. Paullus Gualterius Florent.
Barthulom. Abbatus a Punte Aerae
Ant. Laurentius Cappuccius Bibien.
Joseph M. Ruschius Pis.
Juseph Aloysius Pellegrini a Monte Carolo
Franciscus Maria Piccolomineus Sen.
Caesar Ferdinandus Deguigues Liburnens.
Caesar Albericus Borghi Pis.
Cajetanus Castellani Libur.

INSTITUTIONUM

CIVILIUM MAGISTRI.

Nicolaus Buonapartius Miniat.
Benedictus Ammiratus Florent.
Nicolaus Simius Lucensis .
Cosmus Coluccius Florent.
Matthaeus Stephanius Florent.
Franciscus Schipisius Pis.
Petrus Panicalius Pis. qui fugam arripuit.
Bernardus Flaminghius Miniat.
Joannes Viscontius Pistor.

Hieronymus Benevolientius Senens.
Jo. Baptista Canossa Pontremul.
Laurentius Maguna Pis.
Franciscus Stufa Florent.
Jo. Pinoccius Senens.
Julianus Barzichius Pis.
Valentinus Fatioola Corsus
Jo. Bapt. Gustavinius Genuens.
Julius del Setaiolo Pis.
Jo. Michael Pieruccius a Massa Vallis Nebulae.
Michael Aogelus Baroncinius Pis.
Bartholomaeus Chesius Pis.
Jacobus Damianius Pis.
Sebastianus Galeottus Piscien.
Jo. Bapt. Vannicinius Senens.
Lactantius Beringuccius Senens.
Blasius Carinius Pontremul.
Bernardinus a Penna Perus.
Cosmus Cellesius Pistor.
Jo. Bapt. Vecchius Senens.
Vincentius Ferianus Tipheruas.
P. Paullus Borromaeus Miniatens.
Fabius Paccallius Pis.
Laurentius Pettininius Pis.
Josephus Lupius Pis.
Jo. Ruschius Pis.
Caspar Caroccius Genuens.
Benedictus Fanuccius Volater.
Jacobus Leonius Sergianens.
Marius Veranius Volater.
Thomas Pruinius Pis.
Franciscus Maria Ceſſinius Florent.
Felix Marchettus Pistor.
Ludovicus Vecchius Senens
Fridericus Antenoreus Florent.
Laurentius *del Beccuto* Florent.
Comes Guilelmus *Co-de-bò* Mutinens.
Julius Caesar Belattus Maſſens.
Laurent. Magnanius Florent.
Cerbo Scafuccius Senens.
Franciscus *degli Empoli* Flor.
Paullus Andr. Calderinius Genuens.
Gabriel Ant. Rau Pis.
Creſcentius Burgheſius Sen.
Bartholomaeus a Vecchiano Pis.
Theodosius Maracchius Pontremul.

Scipio Graſſius Senens.
Ludovicus Guilichinius Aret.
Franciscus Maria Sergriſius Florent.
Jo. Quarquaglius Geminianens.
Sebastianus Blanchinius Pis.
Leo Bartholomaejus Florent.
Hieronymus Belluccius Pistor.
Andreas Garzonius Lucens.
Andreas Tavola Pis.
Petrus Angelius Corsus.
Raphael Serratius Florent.
Julianus Ant. Monaldinius Ravennas.
Fulvius Tegliaccius Senens.
Hieronymus Bellantes Senens.
Horatius Marchettus Pistor.
Antonius Rillius Florent.
Joseph Maria Cascina Pis.
Joseph Dom. Andreonius Luc.
Jacobus Curinius Pontremul.
Rainerius Lanfranchius Pis.
Carolus Biaaarinius Senens.
Benedictus Falconcinius Volater.
Odoardus *del Lettore*.
Joseph Brondius Serg.
Franciscus Maria Corsinianius Pupien.
Jo. Badia Nerius a Castro Florent.
Andreas Farsettius Massens.
Iacobus Rillius Florent.
Ioseph Averanius Florent.
Ernandus Amerighius Senens.
Georgius Scrillius Pratens.
Michael Angelus Montius Pis.
Io. Dom. Poggialius Pistor.
Ioseph Maria Venturinius Pontremul.
Stephanus Campana a Setaveria.
Paullus Franc. Molinellius Genuens.
Martius Venturinius Pontremul.
Vincentius Aulla Pis.
Caspar Guazzesius Aret.
Rainerius Casapierius Pis.
Vincentius Frosinius Pis.
Io. Baptista Maures Florent.
Bartholomaeus Puccius Politian.
Bartholom. Abbatus a Ponte Aerae.
Aloysius Maria Ceſſinius Florent.
Antonius Oliverius a Monte Varchio.
Bernardus Ceccherellius Florent.

Io. Bertinius a Castro Florent.
Franciscus Ferd. Benascia Libur.
Blasius Curinius Pis.
Ioseph Ant. Scarlattius Florent.
Ioachim Cepparellius Florent.
Stephanus M. Fabruccius Florent.
Ant. Ioseph Branchius a Castro Flor.
Salvator Olmeta Bastiens.
Bernardus Tanuccius de Stia.
Iacobus Tiburtius Montius Pis.
Dominicus Santuccius Pis.
Io. August. Padroni Libur.
Iulius Oricellarius Florent.
Leopoldus Guadagnius Flor.
Flaminius dal Borgo Pis.
Ioseph Terenzoni Gragnoleus.
Caesar Albericus Borghi Pis.
Donatus Philippus Redi Aret.
Salvator Beccius a Castilione Florent.

PHILOSOPHIAE ORDINARII & EXTRAORDINARII MAGISTRI.

* Andreas Bellavita Pisanus Canonicus 1622-1626.
* Scipio Aquilanius Pis. Eques 1622-1624.
* Franciscus Seghierius a Monte Carolo 1622-1640.
* Bartholomaeus Talentonius Fivizzanensis 1622-1644.
* Nicolaus Ansaldius Miniatensis 1622-1628.
* Io. Baptista Fabronius Marradiensis 1622-1625.

Petrus Stroctius Florent. 1625.
Io Peregrinius Camajorensis 1625-1630.
Scipio Claramontius Caesenas 1627-1636.
Claudius Gilimer Berigardus Molinensis 1627-1639.
Philippus Vernaccinius Pis. 1632-1638.
Hieronymus Bardus Genuensis 1633-1635.
Bartholomaeus Ortega Hispanus Ordinis Praedicatorum 1635-1636.
Felicianus Silvestrius Fulginas 1636-1639.
Laelius Santuccius Perusinus Ordinis Servorum B. M. V. 1636-1657.
Victorius Raphaellius Lucensis Ordinis Olivetanorum 1636-1638.
Ioannes Maffejus Pis. 1638-1678.
Alexander Marsilius Senens. 1638-1662.
Paullus Stecchinius Venetus 1640-1645.
Matthias Naldius Senens. 1647-1650.
Rainerius Damianius Pis. Canonicus 1647-1651.
Marcus Grossius Blentinensis 1648-1652.
Carolus Renaldinius Anconitan. 1649-1667.
Franciscus Armaleus Senens. 1649-1666.
Gabriel Gilbertus Tridentinus 1653-1656.
Lucas Terentius Ariminensis 1657.
Thomas Forbesius Scotus 1658.
Petrus Bocciantinus a Monte Carolo 1659-1672.
Alexander Marchettus Emporiensis 1660-1677.
Io. Andreas Albizzinius Florentin. 1661-1666.
Alphonsus Marsilius Senens. 1661-1666.
Iacobus Dortona Cretensis 1662-1671.
Io. Vincentius Tozzius Emporiensis 1662-1678.
Laurentius Bellinius 1666-1668.
Fabricius Capaccius Senens. 1667-1681.
Franciscus Verzanius Bargaeus 1667-1672.
Donatus Rossettus Liburnensis 1668-1674.

Bonaventura Ceccardus Minorita 1668-1686.
Didacus Zarillius Messanensis 1670-1676.
Io. Franciscus Albercompius Londinensis Monachus Casinensis 1671-1693.
Iosephus de Papa Empnriensis 1675-1677.
Nicolaus Maria Monelia 1677-1684.
Io. Maria Cella Clavarensis 1677-1686.
Io. Antonius Avvisius Florent. 1681.
Nicolaus Verzanius Bargaeus 1684-1695.
Pascasius Iannettius Florent. 1686-1706.
Aloysius M. Garbius Flor. 1691-1703.
Marcus Mancinius Castilionensis 1692-1703.
Io. Maria Morazzanius Libur. Bernabita 1693.
Dominicus Vanghettus Emporiens. 1694-1713.
Guido Grandius Cremonens. 1700-1714.
Petrus Ioannes Massettanius Florent. 1707-1712.
Carolus Tallinius Clanaensis 1707-1747.
Marcus Antonius Alaymo Panormitanus Cassin. Monachus 1712-1714.
Laurentius Stecchius a Ponte a Seve 1715-1739.
Ferdinandus Gavardus Mediolanens. Augustinianus 1715-1721.
Caelestinus Rollius Aletinus Monachus Caelestinus 1722-1749.
Io. Baptista Caracciolus Neapolit. Ord. Clericorum Regular. 1731-1740.
Raynerius Boonaparte Miniat. 1735-1736.
Io. Albertus de Soria Libur. 1735-1767.

MATHESEOS

MAGISTRI.

* Benedictus Castellius Brix. Monachus Cas. 1612-1626.
Nicolaus Adjunctius a Burgo S. Sepulcri 1626. 1635.
Dinus Perius Florent. 1635-1640.
Vincentius Renerius Genuens. 1640-1647.
Famianus Michelinius Roman. 1647-1656.
Alphonsus Borellius Neapolit. 1656-1667.
Alexander Marchettus Empor. 1677-1714.
Angelus Marchettus Empor. Mechanices Praeceptor 1704-1752.
Guido Grandius Cremonens. Monachus Camaldulens. 1714-1742.

ARCHITECTURAE

MILITARIS MAGISTRI

Quintilianus Santarellius Flor. 1693-1709.
Angelus Marchettus 1709-1752.

ANATOMES

MAGISTRI.

* Petrus Ruschius 1622-1625.
Jo. Andreas Danos 1626.
Jo Baptista Bellavita Pis. 1627-1629.
Jo. Bapt. Ruschius Pis. 1633-1649.
Jo. Franciscus Rid. lphius Pis. 1650-1654.
Thomas Belluccius Pistor. 1655.
Claudius Auberius Lotharingius 1656-1658.
Jo. Finchius Britannus 1659-1663.

Carolus Fracassatius Bononiens. 1665-1668.

Laurentius Bellinius Florent. 1668-1703.

Joseph Zimbeccarius Pontremulens. 1690-1729.

Ant. Dom. Gottus Florent. 1729-1754.

CHIRURGIAE MAGISTRI.

Andreas Checcaccius Pis. 1633-1672.

Petrus Boccianinius a Monte Carolo 1672-1679.

Carolus Vasolius Fivizzanens. 1692-1699. *Post hunc nullum alium habemus Chirurgiae Magistrum.*

MEDICINAE TUM THEORICAE TUM PRACTICAE ORDINARII & EXTRAORDINARII MAGITRI.

* Stephanus Castrensis Lusitanus Supraordinar. 1622-1638.

* Jo. Baptista Cartegnius Bagnunens. 1622-1632.

* Matthaeus Carrara Bargaeus 1622.

* Julius Titius Pis. 1622-1629.

* Jacobus Lavellius a Castro Novo 1621-1626.

* Jo. Baptista Bellavita Pis. 1622-1630.

* Oliverius Celata Pis. 1622-1649.

* Julius Gustavinius Genuens. 1622-1636.

Jo. Baptista Ruschius Pis. 1633-1636.

Marcus Vernaccinius Pis. 1633-1635.

Valerius Nervius Pis. 1633-1636.

Sebastianus Baroncinius Pis. 1633-1636.

Andreas Checcaccius Pis. Chirurgiae Magister 1633-1672.

Jo. Franciscus Saldus Genuens. 1634-1635.

Andreas Marianus Bononiens. 1634-1635.

Alsarius Crucius Genuens. 1634.

Ascanius Panzanius a Monte Carolo 1635-1640.

Peregrinus Coluccius a Monte Carolo 1636-1662.

Bernardinus Lippius Lucens. 1636-1639.

Jo Baptista Frantangiolius Pient. 1636-1645.

Sebastianus Ferreira Lopes Lusitanus 1637-1643.

Prosper Tedeschius a Castilione Florent. 1638-1653.

Paullus Stecchinius Venetus 1639-1640

Horatius Seraphinius Lucensis 1639-1640.

Jo. Baptista Soncinius Brixiens. 1640-1648.

Camillus Studiatus Pis. 1640-1648.

Caspar Silvera Hispanus 1644-1646.

Nicolaus Tiribillius Pis. 1644-1650.

Franciscus del Rosso Blentinen. 1644-1666.

Marcus Grossius Blentinens. 1645-1658.

Jo. Franciscus Ridolphius Pis. 1645-1654.

Laurentius Nerius Emporiensis 1645-1649.

Constantinus Vigna Florent. 1648.

Odoardus Cavallerius Nicaeus 1649-1651.

Carolus Tassonius Mutinens. 1649-1653.

Vincentius Petronius Salernitanus 1649-1656.

Julius Simonius Bergaeus 1649-1652.

Fabius del Rosso Pis. 1649-1658.

Silvius del Hoste Pis. 1650.

Matthias Naldius Senens. 1651-1655.

Cosmus Fontenellius Florentin 1651-1655.

Hieronymus Vergerius Justinopolitanus 1653-1665.
Jo Guilelmus Boggius Vercellen. 1653-1655.
Hieronymus Barbatus Patavin. 1655-1662.
Josephus Puccinius Pistor. 1655-1681.
Marcellus Malpighius Bonon. 1656-1659.
Io. Bonomius Venet. 1656-1660.
Jo. Zanettus Patav. 1657-1666.
Apollonius Apollonius a Pirano 1658-1662.
Lucas Terentius Ariminens. 1658-1697.
Thomas Forbes Scotus 1659-1662.
Jo. Baptista Gornia Bononiens. 1659-1679.
Felix Viallus Patav. 1661-1674.
Augustinus Campo di Gallo Vicetinus 1662-1665.
Franciscus del Bono Pis. 1663.
Carolus Fracassatius Bonon. 1663-1665.
Antonius Oliva Calaber. 1663-1667.
Petrus Bocciantinius a Monte Carolo 1663 1672. *quo anno Chirurgiae Magister declaratus est.*
Franciscus Ferrarius Genuens. 1663.
Petrus Laurentius Orsacchius Emporiens. 1666-1672.
Jo. Pagnius Pis. 1666-1677.
Jo. Andreas Munelia Florent. 1667-1700.
Franciscus Verzanius Bargaeus 1672-1703.
Didacus Zarillius Messanens. 1676-1706.
Joseph de Papa Emporiens. 1677-1735.
Christophorus Rusticius Senens. 1681-1686
Benedictus Rossettus Foroliviens. 1681-1704.
Joseph Zambeccarius Pontremulens. 1681-1704.
Thomas Frosinius Pistor. 1682-1712.
Joseph Duccinius Lucens. 1682-1735.
Valerius Gallenius Focensis 1689-1738.
Camillus Manuellius Florent. 1690-1731.
Jo. Anton. Terenzonius Gragnolens. 1695-1746.
Jo. Ant. Pizzornius Genuensis 1697-1699.
Franciscus Maria Guariscius Bibienens. 1698-1712.
Christophorus Pieracchius Bargaeus 1702-1746.
Thomas Zarillius Messanensis 1705-1741.
Pascasius Iannettius Florent. 1706-1739.
Ant. Dominicus Gottus Florent. 1711-1729.
Petrus Jo. Massettanius Florent. 1712-1718.
Laurentius Cajetanus Fabbrius Flor. 1714-1718.
Antonius Cocchius Florent. 1726-1727.
Cajetanus Verzanius Bargaeus 1731-1735.
Dom. Maria Cajetanus Pasqualius Liburnens 1731-1738.
Christophorus Theodorus Verzanius Bargaeus 1735-1762.
Rainerius Buonaparte Miniatens. 1735-1761.
Niculaus Gualterius Florent. 1735-1738. *quo anno emeritus declaratus est.*

HUMANIORUM

LITTERARUM MAGISTRI.

* Luduvicus Scapinellius Mutinensis 1622-1628.
Paganinus Gaudentius Rhaetus 1628-1649.

Julius Caesar Bazzardus Sergianens. 1630.
Joannes Gamba Ravennas 1650-1652.
Valerius Chimentellius Florent. 1653-1668.
Jacobus Gronovius Batavus. 1673.
Benedictus Averanius Florent. 1682-1707.
Alexander Politus Florentinus Scholarum Piarum 1733-1752

ETRUSCARUM LITTERARUM

MAGISTER.

Benedictus Buommathaejus Florent. 1634.

LOGICES MAGISTRI.

Philippus Vernaccinius Pis.
Jo. Pellegrinius Camajorens.
Silvestrus Brunacchius Florent. Monachus Camaldulensis.
Sebastianus Baronernius Pis.
Jo. Baptista Ruschius Pis.
Peregrinus Coluccius a Monte Carolo.
Gherardus Baldius Servita.
Thomas Cinius Pistor. Dominicanus
Gregorius Passegionius Pis. Augustin.
Jo. Maffejus Pis.
Theodorus Ugurgerius Senens. Dominicanus.
Marcus Borsellius Senensis Carmelita
Octavius Michaelangelus Pis.
Raineriua Damianius Pis.
Franciscus del Rosso Blentinens.
Camillus Sadiatus Pis.
Marcus Grossiua Blentinens.
Jo. Franciscus Ridolphius Pis.
Laurentius Nerius Emporiens.
Petrus *del Minore* Pis.
Attilius Aulla Pis.
Fabius *del Rosso* Pis.
Silvius *del Hoste* Pis.
Guilelmus Buggia Vercellens.
Gabriel Gibertus Trident.
Laurentius Zatus Flor Dominican.
Lucas Terentius Ariminens.
Carolus Borromaeus Florent. Dominicanus.
Petrus Bocciantinius a Monte Carolo
Jo. Andreas Albizzinius Florent.
Alexander Marchettus Emporiens.
Alphonsus Marsilius Senens.
Petrus Laurentius Ursacchius Emposiens.
Laurentius Tozzius Empor. Carmelita.
Franc. Ansaldius Sardus.
Laurentius Bellinius Florent.
Jo. Julius *del Rosso* Pis.
Donatua Rossettus Libur.
Fulvius Tegliaccius Senens.
Alexander Pecorinius Flurent.
Ioseph de Papa Empor.
Nicolaus Maria Monelia Florent.
Jo. Maria Cella Clavarens.
Joseph Maria Cuscina Pis.
Jo. Antonius Davisius Florent.
Petrus Ant. Rossius Florent. Servita
Nicolaua Verzanius Bargaeus.
Pascasius Jannettius Florent.
Valerius Gallenius Focensis.
Franc. Maria Guariscius Bibienens.
Dominicus Vanghettus Empor.
Aloysius Maria Garoius Flor. Servita
Franciscus Razzius Florent.
Christophorus Pieracchius Bargaeus.
Thomas Zarillius Messanens.
Petrus Jo. Masserranius Flor.
Carolus Tallinius Clannens.
Laurentius Stecchius a Ponte a Seve
Marcus Alaymus Panor. Monachus Cassinens.
Ferdinand. Gavardus Mediol. Augus.
Cajetanus Versanius Bargaeus.
Dom. M Cajetanus Pasqualius Libur.
Albertus de Soria Libur.
Rainerius Bonaparte Miniar.
Jo. Baptista Asturillus Carassali Pis.
Oduardus Corsinius Mutinens. Schol. Piarum.

IN-

INDEX

NOMINUM ET RERUM

A

de Abbatis Bartholom. 264.
Abercompius Jo. Franc. 402.
Academia del Cimento 394. 445. 614.
. . . . Oppressorum 311.
. . . . Umorosorum 311.
Accarisius Camillus 269.
Accoltus Petrus 243.
Adimarius Alex. 164.
Adjunctius Nicolaus 426.
Aetnae descriptio 472.
Alsymius Marc. Ant. 134. 416.
Albizzinius Jo. Andr. 399.
Albizius Lucas 560.
Alexander VII. 140. 189. 387. 391.
Alexander Natalis 213.
Amerighius Ermandus 255.
Ammiratus Benedictus 244.
Andreonius Joseph Dom. 249. 350.
Anaidius Balthasar 252. 255.
Antella Donatus 139.
Antinorius Fridericus 292.
Apollonii interpretatio 448.
Apollonus Apollonius 609.
Argolius Andreas 372.
Armaleus Franc. 393.
Arrighettius Julius 96.
Asclepiades 646.
Averanius Bened. 29. 191. 296. 299. 324. 665.
: : : : Josephus 196. 257. 297. 299. 301. 305. 331. 359. 417. 633. 635.
Avisius Ant. 92.
. . . Joannes 404.
Auberius Claudius 531. 580.
Augustinus S. vindicatus 43. 70.
. . . . Antonius 241.
Aulla Vincent. 324.

B

Bacchinius Bened. 83. 86. 109. 336.
Baccionius Bonaventura 93.
Baciallius Jo. 510.
Baglivius Georg. 79. 609.
Baldigianius Jo. Maria 625.
Baldius Gerardus 94.
Balianius Jo. 436.
Ballantes Petrinus 294.
Ballerinii Fratres 46. 53.
Bandiera Nicolaus 363.
Barbatus Hieronym. 575.
Barberinus Thaddaeus 394.
Bardius Hieron. 381.
Baroncinius Sebast. 567.
Bazzardus Julius Caesar 661.
Beccutus Laurentius 248.

Bellinius Laurent. 229. 538. 645.
Belluccius Thomas 225. 531.
Benascia Franc. Ferd. 328.
Benedictus XIII. 123.
- - - - XIV. 82. 107. 115. 214. 361.
Benedictus Petrus 152.
Benevolientius Hieron. 274.
Berigardus Claudius 244. 379. 523.
- - - - Petrus 585.
Bernardinus a SS. Trinitate 125.
Beverinius Bartol. 166.
Biselli Honor 168.
Bizzarinius Carolus 253.
Blanchius Janus 646.
- - - - Nicolaus 125.
Bocciantinius Petrus 404. 617.
Bona Card. 48.
Buonapartius Nicol. 297.
- - - - Rainerius 655.
Bonaventurius Thomas 512. 557.
Bonius Philippus 221.
Bonomius Jo. 609.
Bonus Franc. 613.
Borbonia Isabella 338.
Borellius Alphonsus 406. 437. 439. 440. & seq. 484. 531. 540. 543. 558. 579. 582. 599.
Borromeus Fridericus 293.
- - - - Paulina 289.
Bottarius Joan. 197. 418. 512. 632.
Branchius Ant. Joseph 329.
Brogianius Dom. 653.
Brogiottius Alex. 550.
Brondius Joseph 294.
- - - Odoardus 294.
Braccellius Augustinus 239.
Brenkmanns Henricus 307. 348. 520.
Brunaccius Laurent. 261.
Bullialdus Ismael 376. 436.
Buommatthaeius Bened. 665. & seq.
Burghesius Hier. 277.
Burgus Caesar Albericus 264. 353.
Bussotius Dionysius 93.
Bynckershoekius 319.

C.

Caeniga 506.
Calendarii correctio 77. 523.
Campana Albertus 137.
- - - - Stephanus 325.
Campo di Gallo August 613.
Canalius Augustinus 142.
Cannetus Jo. Bapt. 494.
Capaccius Fabritius 403.
Canossa Io. Bapt. 273.
Capassius Gerardus 104. 120.
Capponius Ferrantes 210.
Cappuccina Laur. Anc. 262.
Caracciolus Io. Bapt. 420.
Cardus Angelus 369.
Carolus Borbonius 31. 238. 338.
Casaccinius Desiderius 93.
Casanata Hier. 41.
Caspierina Rainerius 323.
Cascina Ioseph Maria 249.
Cassinius Dominic 4. 77. 449. 453. 455.
Castellius Bened. 440. 450.
- - - - Michael 126.
Castrensis Rodericus 386. 565.
Cattaneus Ferd. 273.
Cavallerius Odoardus 572.
Ceccardus Bonaventura 92. 404.
Ceccarcilius Bern. 327.
Cecchius Albertus 124. 141.
Cessinius Aloysius 291. 328.
- - - - Bencivennus 252.
- - - - Franciscus Maria 291.
Cella Io. M. 409.
Capparellius Ioachim 329.
Ceratius Caspar 50.
Ceva Thomas 521.
Checcaccius Andr. 568.
Chesius Barthol. 281. 297.
Chimentellius Valerius 16. 262. 288. 662.
Christina Lotharingia 220.
- - - - Svecorum Regina 56. 65. 424.

Cinellius Ioan. 623.
Cinius Ant. M. 140.
Claramontius Scipio 369.
Cocchius Ant. 438. 642. & seq.
Clemens IX. 388. 616.
- - - - XI. 77. 112.
- - - - XII. 88. 118.
Clochius Antoninus 106.
Coluccius Peregrinus 569.
Columbinus Franc. 351.
Corsinianius Franc. M. 258.
Corsinius Eduardus 135.
- - - - Philippus 314.
Cortesius Fortunat. 118.
Cosmus III. 5. 61. 108. 153. 165. 166. 231. 396. 410. 534.
Cotunius Io. 160.
Crucius Alearius 566.
Curinius Blasius 285. 329.
- - - Iacobus 285.

D

Damianius Iacobus 284.
- - - - - Rainerius 389.
Dartona Iacobus 401.
Datius Carolus 165. 288. 432. 437.
D colonia 82.
Deguignes Ferd. 264.
Dinius Hier. 354.
Donius Io. Baptista 10. 164.
Donatistarum historia 46.
Donninius Leonard 93.
Duccinius Ioseph 637.

E

Ecchellensis Abraham 146. 448.
S. Ephraemi opera 157.
Eustachii interpretatio 208.

F

Fabbiuccius Stephanus 330.
Faber Honoratus 452.
Fabrius Laur. Caiet. 639.
Falsgianius Franc. 90.
Falconcinius Benedict. 251.
Falconettus Franc. 243.
Fancellius Io. Petrus 114. 128.
Farinola Valentinus 279.
Farsettius Andreas 257.
- - - - Iulius 273.
Fasti consulares emendati 55.
Ferdinandi II. laudes 3. 225. 268. 389. 394. 427. 436. 443. 545. 613.
Ferrarius Franc. 617.
Finchius Io. 467. 523. 615.
Flamminghius Bernard. 274.
Florentiae libertas 316.
Fontaninius Iustus 509.
Fontenellius Cosmus 574.
Forbesius Thomas 610.
Fracassetius Carolus 467. 535. 543. 613.
Franchius Sebast. 495.
Franciscus II. 119. 141. 546. 359. 657.
Francolinius Balthasar 245.
Frantagiolius Jo. Bapt. 569.
Fridericus Saxoniae Princeps 312.
Frosinius Thomas 636.
- - - - Vincentius 323.

G

Gabriellius Pyrrhus 630.
Galeottus Sebastianus 247.
Galilejus 17. 18. 305. 371. 381. 389. 395. 426. 429. 431. 432. 434. 442. 445. 460. 472. 485. 508. 513.
Gallenius Valerius 636.
Gallianius Caelestinus 418.
Galvanius Marc. Ant. 162. 269.
Gamba Ioan. 661.
Gandavensis Henricus 96.
Garbius Aloysius Maria 103. 413.
Garnerius Io. 42. 51.
Gassendus Petrus 628.
Garzonius Andr. 295.
Gavardus Ferd. 416.
Gaudentius Paganinus 139. 430. 435. 571. 659. & seq.

Gerius Petrus 245.
Giannius Laur. 203.
Gilbertus Gabriel 389.
Gornia Io. Bapt. 611.
Gottus Dom. Ant. 563. 640.
Grandius Guido 332. 413. 414. 472. 490. 493. & seq.
Grifonius Michael 13.
Gronovius Iacobus 45. 197. 662. & seq.
Grossius Marcus 389. 572.
Guadagnius Leopoldus 238. 308. 338.
Gualterius Io. Paullus 262. 656.
- - - - Nicolaus 655. & seq.
Guariscius Franc. M. 639.
Guccius Carolus 124.
Guilichinius Ludovicus 293.
Guinigius Io. Vincentius 123.
Gustavious Iulius 386.

H

Hallerius Albertus 601.
Harduinius Joannes 59. 62.
Hoppener Io. 325.
dell' Hoste Sylvius 572.
Hugenius Christ. 453. 456. 498.

I

Iannettius Paschasius 235. 410. 417. 640.
Iesuitarum machinae 49. 66. 71. 78. 410. 521. 626.
Imperialis Card. 118.
Inguimbertius Ioseph 117.
Innocentius X. 159. 394.
- - - - XI. 629
- - - - XII. 65. 607.
- - - - XIII. 112.
Investiturarum Historia 75.
Ioannes Gasto I. 5. 65. 114. 310.
Iona Franc. 144.
- - Io. Bapt. 144.
Iordanus Vitalis 505.
Iovis Satellites 454. 455.
Isaac Tripolit. Archiep. 145.

K

Kircherius Athanasius 443.

L

Laderchius Jacob. 108. 518.
Lamius Io. 415. 424.
Lazzarinius Dom. 487.
Lavellius Io. Bapt. 248.
Lauria Card 68.
Leopoldi Medicei laudes 3. 21. 24. 56. 166. 194. 225. 389. 395. 433. 443. 445. 523. 614.
Leges censoriae 339.
Leibnitius 315 356. 501.
Licetus Fortunius 374. 386.
Liparus Michael 587.
Lippius Bernard. 569.
Lomellinius Aug. 420.
Lomius Julius 84.
Lopesius Didacus 296.
- - - - Stephanus 569.
Lorenzinius Laur. 418.
Lucretii interpretatio 486.
Ludorum varia genera 315.
Lupus Christianus 39.
- - - Joseph 284. 350.

M

Macchiavellius Cajetanus 29.
Macciouius Migliorottus 335.
Macedus Franc. 44. 47. 50.
Maffejus Io. 399.
Magalottus Laurentius 108. 154. 311. 314. 440. 453. 556.
Magiottus Raphael 388. 449.
Magliabechius Ant. 44. 48. 58. 64. 130. 257. 357. 623. 663.
Magnianius Philippus 264.
Magona Laurent. 244.
Maildachinius Hyacinthus 221.
Maimburgus Aloys. 75.
Malpighius Marcellus 451. 467. 541. 543. 558. 578. & seq.
Mancinius Laelius 243. 264.

- - - - Marcus 413.
Manellius Camillus 637.
Manfredius Eustachius 510. 512.
Manaonius Bernardinus 91.
Maraldius Phil. 77.
Marchettus Alexander 7. 417. 474. 484. & seq. 507. 546.
- - - - Angelus 493.
- - - - Felix 20.
Marianus Andreas 565.
Marsilius Alexander 18. 277. 389.
- - - - Alphonsus 404.
Martyrologium Rom. 214.
Martellinius Jo. Vincentius 93.
Marzarius Laelius 37.
Masius Cyprianus 137.
Massettanius Petrus Ant. 414. 639.
Massinius Innocentius 8. 292.
Matthaeius August. 124.
Mazzarinus Card. 149.
Maures Jo. Bapt. 326. 358.
Menzinius Bened. 623.
Meslierius Franc. 83.
Mesquita Martinus 133.
Michelius Petrus 227. 236. 240 632. 644.
Michelinius Famianus 128. 164. 435. 460.
Miglioratus Joseph 104.
Miglioruccius Lazzarus 252. 255.
Minerbettus Alex. 12.
Molinellius Paullus Franc 324.
Monclia Jo. Andreas 64. 401. 621.
- - - Nicolaus Maria 409. 623.
Montanarius Geminian. 408.
Montius Io. Dominicus 141.
- - - Michael Angelus 323.
Mutandius Thomas 118.
Morazzanius Io. M. 403.
Morgagnius Io. Bapt. 609.
Mozzius M. Ant. 110.
Muretus Marc. Ant. 198. 613.

N

Naldius Matthias 390. 572.
Nardaccius Thomas 516. 523.
Natus Petrus 227.
Nerius Bonaventura 300. 316.
- - - Laurentius 572.
- - - Pompejus 302. 359.
Nervius Valerius 567.
Newtonus Isaac 500. 504. 517.
Niccolinius Ant. 307. 320.
Nomius Fridetic. 354. 663.
Noodtius 319.
Norisius Henricus 38. & seq. 619. 663.
Nuccius Aegidius 137.
Nutus Ludov. 92.

O

Oliva Ant. 402. 445. 539. 613. & seq.
Oliverius Ant. 327.
Olmeta Salvator 335.
Oricellarius Iulius 336.
Orlendius Franc. 119. 125.
Orsatius Iosephus 141.
Orsacchius Petrus Laurentius 617.
Ortega Bartol. 122. 389.

P

Padronius Io. Aug. 352.
Pagnius Io. 618.
Pandectarum codex & historia 332. 343. 518.
Pandulphinius Matthaeus 220.
Panzanius Ascanius 568.
de Papa Ioseph 403. 409. 623. & seq.
Papebroehius 74.
Parasacchius Iulius 328. 358.
Parckerus Samuel 384.
Pasqualius Dominic. M. 654.
Passegionius Gregorius 139.
Paullus V. Pont. 367.
Pelagiana Historia 41.
Pellegrinius Io. Aloysius 264.
- - - - Ioannes 364.
Penis Thomas 533.
a Penna Bernardinus 278.

Perellius Thomas 360. 412. 522.
Perinius Ignatius 128.
Petius Alexander 91.
- - - Dinus 431.
- - - Hieronymus 91.
Petronius Vinc. 573.
Pettiniuius Laurentius 248. 264.
Philippinius Jul. Caesar 358.
Piccininius Angelus 91.
Piccolomineus Franc. M. 263.
Piersechius Christoph. 639.
Pierallius Ant. 122. 244. 430.
Pignius Jo. Andreas 202.
Pinoccius Jo. 246.
Pinius Jo. Andreas 262.
Pisana Cenotaphia illustrata 57. 619.
Pisani horti plantae 236.
Pisarum laudes 189.
Pizzoenius Jo. Ant. 639.
Plumbinensis Augustinus 142.
Poggialius Dominicus 261.
Poggius Jo. Franc. 97.
Politus Alex. 204.
Portius Lucas Ant. 505.
Pruinius Thomas 249.
Puccinellius Callistus 95.
- - - - Vincentius 256.
Puccinius Joseph 577.
- - - - Thomas 577. 648.
Ptolemaejus Jo. Bapt. 37.

Q

Quarstesius Jo. Bapt. 17. 396.
Quirinus Card. 156.

R

Rainuccius Farnesius 286.
Raphaelius Victorius 389.
Rau Gabriel 293.
- - Simeon 474.
Resumurius 424.
Redius Franc. 225 354. 383. 489. 554. 356. 358. 564. 599. 611. 614. 624.
Renaldinius Carolus 28. 393. 445.
Renerius Vinc. 433.
Ricciardius Jo. Bapt. 127.
Riccius Michael Ang. 449. 460. 473.
Richecourtius Comes 361. 649.
Ridolphius Jo. Franc. 531. 572.
Rillius Antonius M. 297.
- - - Jacobus 297.
Roboredus Julius Ant. 100. 105.
Rollius Caelestinus 418.
Rosa Salvator 132.
Rossettius Ant. 252.
- - - - Bened. 636.
- - - - Donatus 405.
Rossius Petrus Ant. 98. 262.
Rubeus Fabius 572.
- - - Franc. 572.
Ruschius Io. 248. 327.
- - - Joannes Baptista 327.
- - - Joseph Maria 262.
Ruinartius Theodoricus 53.
Rusticius Christoph. 628. 636.

S

Saldus Jo. Franc. 565.
Salvinius Ant. Maria 28. 98. 153. 197. 204. 209. 239. 299. 304. 353. 561. 642.
Salvonius Vincentius 91.
Salutius Augustinus 139.
Sanctius Cyrinus 37.
Santarellius Quintilianus 493.
Santuccius Dom. 229.
- - - Laelius 388.
Saracinius Gherardus 7.
Sardiniae Rex 259. 409. 422.
Scatuccius Celsus 142.
Schipisius Franc. 272.
Segnerius Paulus 67.
Seraphinius Horat. 569.
Sergritius Franc. Maria 25. 295.
Serratius Raphael 295.
Silvera Gaspar 571.
Silvestrius Felicianus 388.
Simius Nicolaus 271.

Simonius Julius 575.
Sinibaldus Tiberius 90.
Sogia Georgius 96.
Soldanius Dominic. 534. 358.
- - - Fidelis 518.
Sommaja Hieron. 7.
Soncinius Jo. Bapt. 571.
Soria Jo. Albertus 420. 422.
Stecchinius Paullus 392. 571.
Stecchius Jo. Laur. 416.
Steno Nicolaus 226. 535.
Stephanius Franc. 246.
- - - - Matthaeus 553.
Stroctius Petrus 365.
Studistus Camillus 571.
Stupha Franc. 243.
Svetonius Cosmus 143.
Syro-Macedonum epochae 58.

T

Taglinius Carolus 413.
Talentus Hyacinthus 124.
Tambuccius Hier. 505.
Tanuccius Andreas 252.
- - - Bernardus 331. 422. 518.
Targionius Cyprianus 510.
Tassonius Carolus 572.
Tavola Andreas 295.
Tedeschius Prosper 570.
Tellierius Jo. 224.
Terentius Lucas 610.
Terenzonius Jo. Andreas 638.
Thedaldus Petrus 139.
Tillius Angelus 240.
- - - Michael Angelus 228.
Tiribillius Nicol. 571.
Torricellius Evangelista 435. 441. 461.
Tozzius Laurent. 400.
Treuta Josephus 135.
Tromba Georgius 160. 381.
Tructwyu Tilmannus 534.
Turnefortius 237.

V

Vaillantius Jo. 59.
Vallisnerius Ant. 353. 560. 657.
Valecchius Virginius 84.
Vanghettius Dominic. 413.
Vannicinius Jo. Bapt. 247.
Vanninius Aurelius 142.
Vannius Franc. 305.
Varignonius 505.
Vasellius Crescentius 650.
Ugurgerius Isidorus 10.
Veglis Pet. Dionysius 222.
a Vecchiano Bartholom. 350.
Vecchius Bartholomaeus 285.
- - - Jo. Baptista 277.
- - - Ludovicus 277.
Venturinius Joseph M. 256.
- - - Martius 551. 353.
Vergerius Hieronym. 574.
Vernaccinius Joseph 525.
- - - Marcus 567.
- - - Philippus 364.
- - - Ubaldus 118.
Verzalia Joseph 509.
Verzanius Cajetanus 655.
- - - Christoph. 655.
- - - Franciscus 620.
- - - Nicolaus 450.
Vialius Felix. 576.
Vigna Constantinus 219. 372.
- - - Dominicus 219.
Viscontius 11.
Vivianius Vinc. 396. 431. 447. 485. 488. 496. 508. 515. 615.
Vuertus-Rodulphus 275.

X

Xenophontis Ephesii interpretatio 642.

Digitized by Google

Z

Zanettus Ion. 575.
Zambeccarius Ioseph 235. 561. 636.
Zarillius Didacus 403. 560. 620.
- - - - Thomas 639.
Zatus Franc. Maria 15.
- - - Iacobus 123. 140.
- - - Laurentius 123.
Zenus Apostolus 518.
Zucchettus Augustinus 350.
- - - - Sebastianus 251.

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
18.	2.	minime	hoc homine
30.	21.	illorum	*deme*
72.	1.	*tyro*	*tyrio*
76.	30.	acretionem	accretionem
84.	19.	Valesehius	Valsechius
85.	9.	Valeschio	Valsechio
88.	7.	protestate	potestate
95.	5.	haeriticorum	haereticorum
117.	15.	primigeniti	primigenii
193.	18.	parte	patre
234.	31.	Dereheamnum	Derheamum
241.	5.	Caroli Magni temporibus	Saeculo illo, quo Carolus Magnus regnavit
245.	4.	destineretur	distineretur
253.	12.	1705.	1704.
262.	10.	Andrea	Andreas
280.	28.	SEXAGENTA	SEXAGINTA
283.	17.	Irenerii	Irnerii
292.	3.	1646.	1656.
311.	9.	Ha[illegible]sbaeus	Hauksbejus
322.	14	Pa[illegible]	Parnasium
339.	8.	hebitudo	hebetudo
358.	lin. penul.	verem	ver
378.	8.	sommo	somno
381.	26.	fulmena	fulmen
390.	1.	sem	rem
	23.	svremmo	avemmo
391.	29.	remedica	re medica
400.	8.	est	essec
403.	9.	Diego	Didacus
406.	2.	est	essec
407.	6.	offerabat	offetebat
415.	24.	proissent	paroissent
418.	2.	adsperius	asperius

421.

421.	13. finitimarum	finitarum
430.	17. frangiſset	fregiſset
441.	12. Turricellii	Torricellii
444.	penult. ſatisfeceret	ſatisfaceret
454.	18. Periescius	Peireschius
457.	19. requirentur	requiruntur
465.	21. termometri	thermometri
469.	18. Vicemite	Vicecomite
479.	16. Jacobus	Joannes
	23. unicas	uncias
542.	27. ſantentias	ſententias
552.	18. in quadam Scotiae Academia	in Lugduni Batavorum Academia
573.	6. Terraconenſis	Tarraconenſis
581.	22. idatides	hydatides
662.	19. 1669.	1668.

M4G 2003410

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google